FRANCI LE ROY
INS ANI
è Societate IE octoris Theologi

TEMPLVM SAPIENTIÆ.

SIVE

DISSERTATIO MYSTAGOGICA

In qua de Templo Sapientiæ, partim hiſtorico ſeu litterali, partim myſtico ac ſpiritali, ſenſu diſſeritur; illudque nominatim diſquiritur:

FVERITNE TEMPLVM SALOMONICVM

Supremæ Dei Sapientiæ, ſpeciali titulo, ac vero nomine

DEDICATVM.

AD SANCTISSIMVM
DOMINVM NOSTRVM
ALEXANDRVM VII.
PONT. MAX.

INSULIS,
Ex Officinâ NICOLAI DE RACHE, ſub Biblijs aureis.
M. DC. LXIV.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO ALEXANDRO VII. PONTIFICI MAXIMO

FELICITATEM.

SAPIENTIÆ TEMPLVM, è ſuis, non dicam parietinis aut ruderibus, ſed quaſi cineribus pulueribuſúe, in quos illud æui longinqua vetuſtas redegerat, qualicunque meo conatu excitatum, Tibi repræſentare fert animus, ALEXANDER PONT. MAX. ac SAPIENTISSIME: non vnâ, nec ſpernendâ causâ, in eam, vt videri poſſet, audaciorem cogitationem adductus.

Nam neque templum, quodcunque eſſet, fas intelligebam publicè poni conſecrariúe, abſque Hierarchæ conſcientiâ: & Templi Sapientiæ inſpectionem, ſuo quodam iure cenſebam, ad ſummi, eiuſque ſapientiſſimi, Sacrorum Principis prouidentiam (ſi id tanti cenſeret, dignareturque) pertinere. *De conſec. Diſt. 1.*

Nec iam abſterrebat me illa ſpecies; quaſi temeritati & audaciæ affine eſſet, iſto veluti Doctrinæ ludo, (vt S. Ambroſij vocem vſurpem) exili nimirum Scriptione, neque re aliâ, *Præfat. in Pſalmos.*

quàm Tituli forsitan honestate, aut quadam imagine nouitatis, commendabili, detinere velle Principis oculos, in Reip. Christianæ grauissimas curas intentos; aut tantillum etiam interpellare, & ad se aduertere magnam Mentem, quæ tanquam per omnes artus infusa vasti Corporis, saluti excubet orbis terrarum.

Quippe quòd non vana spes erat, Te, summâ aliàs benignitate ac facilitate Principem, eundemque bonarum artium ac disciplinarum vniuersè fautorem, istius priuatim argumenti Dissertationem non admodum fortassis aspernaturum. Quin potiùs, qui amantium est mos, vt siquid scilicet, eius quod ament, aliquam preferat imaginem, aut ad illud sanè quomodocunque pertinere videatur, id verò cupidè ac perlibenter excipiant: eodem Te more videlicet, vel inspecto tantùm Sapientiæ nomine, quã
Sap. 8. v. 2. Tibi, etiam puero, Salomonis exemplo, adamatam, perque omnem deinceps ætatem studiosissimè cultam, nunc quoque (quod item de
2. Machab. 2. v. 9. Salomone conscriptum est) pro eâ, in qua es excelsitate dignitatis, magnificè tractas, atque exornas; Tractatum hunc, eius veluti formam ac lineamenta describentem, propenso animo, & (si fas dicere) etiam inclinatâ maiestate, respecturum atque adoptaturum esse.

Non molestè feres, vt existimo, quando hic locus ita postulat, me, vel quantum Tibi ipsa debeat Sapientia, vel Ipse libenter acceptum referas Sapientiæ, sermone non longo commemorantem.

Enim-

Enimuero FABIVM mirabamur, vel in priuatâ vitâ MAXIMVM, non modò ΦΙΛΟΜΑΘΗ, quam nomenclationem ſua ei impoſuerat modeſtia, ſed ΠΟΛΥΜΑΘΗ quoque, immo ΠΑΝΣΟΦΟΝ; vniuerſum quippe diſciplinarum orbem, & ſiue humanæ, ſiue diuinæ Sapientiæ partes omnes, vaſtâ illâ mente complexum. At poſteaquam in Purpurâ primùm, nec longo exinde interuallo, in Petri Cathedrâ, MAXIMVS ALEXANDER apparuit, ſuſpexit Chriſtianus orbis, adorauitque refulgentem in Capite ſuo lucem illam Virtutis ac Sapientiæ. Cuius adeò, ſiue experiendæ, ſiue propiùs inſpiciendæ ſtudio, protinus excita ſagax ac ſapiens Aquilonis Regina, vt illa quondam Regina Auſtri, venit & ipſa à finibus terræ, vt noſtri audiret ſapientiam Salomonis. *Matth. 12. v. 42.*

Ergo, qua veluti manuducente, ſupremi honoris ſolium ſublime conſcenderas, eandem, ad ſummæ Diuinitatis exemplum, ſedium Tuarum aſſeſtricem, & conſortem, adſciſcens Sapientiam, continuò ex eius dictatis inſtitutiſque Rem Chriſtianam adminiſtrare ac moderari aggreſſus es. Cui itidem ſtudio inſtitutoúe vſque inſiſtens, cum Tibi commiſſum Dominicum gregem ſapientiſſimis legibus inſtruis, tum aſſiſtens Tibi Purpuratorum Patrum Collegium, ſapientiſſimis hominibus. Perinde atque ſi totidem excelſis columnis (nam & hoc nomine video Purpuratos Patres, à Theodidactâ, & Chriſto in paucis dilectâ, [a] S. Catharinâ, ciue Tuâ, appellatos) fulcire ſtuderes, quod Tibi cordi eſt, Templum Sapientiæ; & felicia illa re-

Sap. 9. v. 4.

a. *Orat. 20. factâ die 14. Februarij Anno 1378.*

† 3 præſentare

præſentare Gregorij verè Magni tempora ; de quibus delectat Ioannis Diaconi, huic equidem loco peropportunas, voces recognoſcere ; in Vitæ illius hiſtoriâ ita ſcribentis. [b] „ Tunc rerum
b. Lib.2.c. 13. 14 „ Sapientia Romæ ſibi Templum viſibiliter quo- „ dammodo fabricauerat, & ſeptemplicibus artibus „ veluti columnis nobiliſſimorum totidem lapidum, „ Apoſtolicę Sedis atrium fulciebat. - Refloruerant „ ibi diuerſarum artium ſtudia : & qui vel ſancti- „ moniâ, vel prudentia fortè carebat, ſuo ipſius „ iudicio ſubſiſtendi coram Pontifice fiduciam non „ habebat. Arceſſebantur pontificalibus profundis „ conſilijs, prudentes viri ; & quę ſequuntur.

Quorum Tu itidem ſapientiſſimorum virorum, ſeu ſtatis cœtibus, ſeu, vbi res poſtulet, etiam extra ordinem inſtitutis congreſſibus, tam aſſiduus & indefeſſus ades ; vt ſi, quadam ſupremæ Sapien-
c. Prou. 9. v. 12. tiæ æmulatione, Te quoque delectet, [c] „ habitare „ in conſilio, & eruditis intereſſe cogitationibus ; aut, quod de Magno olim Theodoſio prædica-
d. Lat. Pacat. paneg. tum, [d] „ quidquid homines laborem vocant, ve- „ ſtra natura ſit.

Quid enim aliud eſſe dixerim, quòd ipſas etiam remiſſiones, & interualla negotiorum, non otio languido & inerti, ſed ſtudio dedicas exercitationique ſapientiæ ? Et nunc adhibitis, vario genere diſciplinarum excellentibus hominibus, ſi quid in qualibet, aut præclarum, aut rarum, aut nouum ineſſe videatur (quid enim intactum relinquat ſummum ingenium?) aut diſquiris, aut diſputas : nunc Tecum ipſe ſolitarius, Te dignis frueris & acquieſcis cogitationibus ;

nibus; &, non Tibi operosâ illâ quidem; attamen attentâ & eruditâ cessatione, quod siue animo exercendo propriè seruiat, siue in commune possit prodesse, commentaris. Quò Tibi profectò iustiùs vsurpes, quod Magnum ad sese inuitans Basilium, ambitiosiùs iactantiusque, in hæc verba scripsit Iulianus Augustus: „ Ex eo „accidit (quod sine inuidiâ dicere liceat) vt „dum relaxamur, seria agamus. *Epist. 12. ad Basil.*

Ita adeò vtrisque rebus, & siue publicè, siue priuatim quid agites, instituti vbique retinens, ipsi operaris semel adamatæ Sapientiæ: & quæcunque rebus varietas incidat, æquabili mentis constantiâ & vitæ tenore, philosopharis.

Nec verò ipsius Sapientiæ tantummodo, sed eius gratiâ atque respectu, etiam virorum Sapientium delectaris consuetudine, & illius Te atque istorum, pro genio Tuo amatorem, pro autoritate fautorem & patronum, ostendis.

Atque hæ causæ sunt, Maxime Pontifex, ex ipsâ desumptæ suscepti argumenti naturâ, & quasi materiæ visceribus, quibus haud temere adductus videbar, vt exilem istam de Sapientiâ Dissertationem, sponte quidem suâ ad Te euntem, & cognatæ indolis propensione, in Tuo sapientissimi Principis augusto nomine apparere cupientem, Tibi denique propriam dicarem, &, quod nunc facio, venerabundus repræsentarem. Vt alias interim plures taceam, deuotissimi nostri obsequij, & obstrictissimę obseruantię, causas; seu communes nobis cum cæteris, siue Ordini nostro proprias: in quem, magna Tua & verè

immor-

immortalia merita, clariori voce nostri loquentur, & in sæcula dident, Annales.

Sed stylum sisto; mihi ad extremum, ab ipsâ temporum comparatione, geminam hanc tanquam felicitatem gratulatus: quòd, & huius Templi Sapientiæ componendi, atque adornandi, cogitatio, mihi sub id tempus iniecta sit, quo Tu pariter, inter alia Opera sanè præclara, quibus almæ Vrbis faciem mirificè honestas ac perficis, Ædem instaurabas Romanæ Sapientiæ; & in annum istum Operis incidat editio, quo mihi opportunè liceat, hoc publico ac festo munere, atque (vt principio appellabam) doctrinę ludo, clementissimi Tui Principatus, ex ritu veteri, Decennalia celebrare. Cui annos multos atque felices, Cæli benignitate superadijci, & meum, & orbis Christiani est Votum.

Dio Cass. hist. Rom. l. 53. Nazar. paneg. Constant.

Scribebam in Romano Collegio XIV. Cal. Maij MDCLXIV.

SANCTITATI TVÆ

DEVOTISSIMVS

FRANCISCVS LE ROY
E SOC. JESU.

SYLLABVS

Partium & Capitum huius operis.

PROLVSIO MYSTAGOGICA.

Siue, ſtudioſi lectoris in Sapientiæ templum Introductio.

TEMPLI SAPIENTIÆ

PARS PRIMA.

Templi Diuinæ Sapientiæ hiſtorica, ſiue (vt appellant) litteralis diſquiſitio.

*

CAP. VI.

PARS II.

PARS II.

In qua de diuinæ Sapientiæ templo, partim allegoricâ ratione, partim anagogicâ contemplatione, dissetitur.

PARS III.

Tropologica templi Sapientiæ, & morum nostrorum sanctitatem propiùs spectans, expositio.

CAP. III.

PARTIVM ET CAPITVM.

PRO-

PROLVSIO
MYSTAGOGICA.
SIVE
STVDIOSI LECTORIS
IN
SAPIENTIÆ TEMPLVM
INTRODVCTIO.

§. I.

Nostræ cogitationis occasio, & scriptionis, inscriptionisue, causæ.

ANNIS abhinc sanè compluribus, cùm in celebri Academiâ Duacenâ theologicas disciplinas publicè traderem, à religiosissimis sacri Ordinis Prædicatorum Patribus requisitus, vt S. Thomæ Doctoris Angelici festum diem, solenni de more loci laudatione celebrarem; pro meâ, tum erga cælestem illum diuinumque virum religione, tum in illius sanctissimum Ordinem obseruantiâ, equidem perlibenter assensus sum.

Cumque istud mihi sumpsissem argumentum dicendi, vt Sancti Doctoris cælesti Sapientiæ commendandæ, id potissimùm

mũm oſtenderem : hoc vnum egiſſe illum in omni vitâ , vt in mente ſuâ , velut in quodam monte ſublimi, diuinum quaſi templum extrueret Sapientiæ, antiquo, illi quod ſapientiſſimus Salomon in monte Moria auguſtiſſimum excitaſſet, haud abſimile ; quippe quod cenſerem expreſſam fuiſſe S. Thomæ mentis imaginem : quemadmodum item exiſtimabam , Summam S. Thomæ theologicam , magnæ illius mentis ſimulacrum , ſeu veriùs , templi Sapientiæ , quod in mente ſuâ Doctorum ſummus , magno conatu atque ſtudio ædificaſſet, veluti modulum & epitomen cenſeri poſſe. Hæc , inquam , dum mecum attentiore curâ verſarem , in eoque proinde totus eſſem , vt inter vtramque ædem illam , corpoream alteram in monte Moria , incorpoream alteram, in mente Aquinatis extructam , proportionis ac conuenientiæ vndique argumenta conquirerem ; ipſis quoque Summæ B. Thomę Partibus, cum partibus ſeu membris templi Salomonici , haud incongruenti ratione , comparatis : in eam denique cogitationem , non tam deueni quàm incidi ; vt Salomonis templum , cui excitatum in Angelico pectore Sapientię templum conferebam , & ipſum quoque ſuſpicarer peculiari quadam ratione ædem fuiſſe ſupremę Dei Sapientiæ ; atque eo nomine , diuino Numini (ipsâ id agente deſignanteque Dei Sapientiâ) priuatim ac propriè conſecratum.

Eam igitur ſuſpicionem , vt quæ argumento , quod tunc tractandum ſuſceperam , perfectioris analogiæ ratione , belliſſimè congrueret , cùm adamaſſem ; in eam ſubinde me profundiùs penetrans , & rerum fines , modos , adiuncta, verborumque diuinæ Scripturę ad inuicem reſponſus conſiderans , animaduerti denique , eam non abſurdè poſſe defendi : quin etiam cenſui , eam ipſam noſtram cogitationem , plauſibilium coniecturarum tanquam ornatu circumveſtitam , & ſiue ſacræ , ſiue profanæ eruditionis variâ quaſi luce aſperſam , poſſe quendam colorem , formam , ſpeciem accipere, etiam doctorum nonnullis non omnino fortaſſe diſplicituram.

Itaque eandem commentationem, in Academico eruditoque conſeſſu , per eam quam dixi occaſionem , tum quidem obiter propoſitam , & doctis auditoribus probabilem viſam ,

nunc

nunc verò pluribus explicatam & illustratam, audeo demum amicis hortantibus iuris publici facere, & sapientum de eâ sensum ac iudicia experiri. Quod vt tandem facerem, istæ me causæ potissimùm impulere.

Primùm, quòd induxissem in animum, hunc meum conatum, quicunque esset, ad ipsam sacrarum litterarum explanationem nonnihil posse conducere, eiusdem locis compluribus lucis aliquid addere, eiusdem sibi per omnia consonantem atque constantem harmoniam, siue (quod dixit S. Augustinus) *castorum eloquiorum vnam faciem*, & vultum semper eundem, ostendere. L. 7. Conf. c. 21.

Deinde, quòd hinc gradu facto, demonstrare pronum fuerit: qualiter diuinus Artifex, ab rerum initio ad finem vsque sæculorum, non tantùm omnia in sapientiâ fecerit, sed vniuersum rerum ordinem, ad sapientiæ suæ ostensionem; cultum, gloriam, manifesto quodam æternæ mentis consilio, disposuerit: atque adeò non ædem duntaxat Salomonicam, sed tum mundum ipsum, tum & præcipuè cælestem Sanctorum patriam (quorum ædes illa figura fuit) velut templa quædam Sapientię suę esse voluerit.

Postremò, quòd istud etiam extare posse videretur huius operæ pretium; quòd istâ, seu doctæ nouitatis, seu sacræ curiositatis illecebrâ inductus legentis animus, dum noscendi studio longiùs sensim prouehitur, rerumque ipsarum attendit inter se congruentiam, ordinem, conspirationem, vnaque supremæ, & diuinarum sedium assestricis Sapientiæ, erudito lusu vniuersa molientis, moderantis, atque ad fines suos suauiter ac fortiter perducentis, pulchritudinem miratur, honestatem, decus, gloriam, & ipse incipiat amator fieri formæ illius, eamque vnicam vitæ magistram, morum ducem, laborum adiutricem, curarum solatium ac delinimentum habere; ad ipsius leges se totum fingere ac componere; in hoc orbe mundano, veluti in quodam Sapientiæ Templo versari; atque ad cælestem demum patriam, tanquam ad perfectæ consummatæque sapientiæ sedem, cæteris posthabitis, aspirare.

Quæ quidem omnia in antecessum indicata, & huius Prolusionis paragrapho tertio, vtilitatum nomine, quæ ex hac nostrâ commentatione sperari possint, aliquanto vberiùs exponenda,

ponenda, clarè demonstrabit decursus Operis, & adiecta ad primam eius Partem, aliarum aliquot magis motata tractatio.

Interea hinc iam satis apparet, etiam inscriptionis huius Opusculi ratio. Eò enim rectè inscribitur Templum Sapientię, quòd argumenti pars potissima in eo sit, vt ex ipsis templi Salomonici ruderibus, nouum quasi templum Dei Sapientiæ excitetur. Vt nihil iam dicam de reliquis adiunctis argumento primario Partibus; in quibus ipsum Vniuersum, Cælumque Beatorum sedes, ipsaque adeò sapientis mens, etiam quædam Sapientię templa censenda esse demonstrantur.

Simili ex causâ Dissertationem hanc nuncupauimus Mystagogicam. Nam, quando, sic tradente Tullio, *hi qui hospites ad ea quæ* (in templis) *visenda sunt ducere solent, & vnumquidque ostendere, Mystagogi* olim vocabantur; mihi equidem visus sum in proposito, has tanquam partes assumere, dum lectorem meum in antiquum Salomonis templum inducere contendo, eiusque arcana nonnulla studiosis mentibus, huius officio commentationis, aperire. *Act. 2. in Verr. l. 4.*

Quâ item ex causâ S. Cyrillus Ierosolymitanus, Catecheses suas, quòd earum ope, initiandos in mysteriorum Christianorum cognitionem induceret, Mystagogicas appellauit. Eodemque sensu S. Maximus monachus & Martyr librum edidit de Ecclesiasticâ Mystagogiâ. Extatque nostri Ludouici Cresolij non paruum volumen, quod quia versetur in tradendâ sacrorum hominum disciplinâ, eâ re Mystagogum inscripsit. Cuius etiam Operis libro 1. capite 21. hanc præclaram laudat Gregorij Theologi sententiam: *Mystagogiæ, seu sacræ disciplinæ, finem esse, ipsius Pulchri Boni consortio & contemplatione perfrui.* *Orat. 10.*

§. II.

§. II.

Dissertationis huius argumentum proprium in solis probabilibus coniecturis consistere: nec ideo tamen ab eo abstinendum fuisse.

CÆterùm in primo limine, meus mihi Lector admonendus est, ne in argumento abstruso atque perplexo, euidentes demonstrationes, seu indicia conuincentia requirat. Quandoquidem (quæ est ipsius materiæ, suis quasi ruinis iam olim sepultæ, obscuritas) satis esse possit conatum nostrum æqui bonique consulentibus, si varijs hinc inde collectis, præsertim autem è diuino petitis Oraculo, atque aceruatis, & sub vnum tanquam aspectum positis coniecturis, suspicio nostra reddatur non improbabilis; neque quasi pleno die collucens, sed vel crepero tincta lumine, inter obsoleta æuo rudera, interlucentis veritatis.

Quippe *res ardua* (inquit ad Titum Vespasianum Plinius) *vetustis nouitatem dare, nouis autoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem. Itaque etiam non assecutis, voluisse abunde pulchrum atque magnificum est.* Sic ille. *Præf. hist. nat.*

Quapropter me valde delectat opportuna quædam S. Gregorij Nysseni, ad suos de Opere sex dierum commentarios ita proloquentis, oratio: *Nostra verò quicunque legerint, & aliquid præter communem opinionem inuenerint, sic accipiant, vt sine vllius iniuriá in dicendi exercitatione probabiliter disputata. Neque enim propositum defendere, aut dogma constituere profitemur, vt calumniantibus occasionem præbeamus; nec hisce scriptis interpretationis doctrinam tradere, sed animum & cogitationem nostram in hoc argumento duntaxat exercere.* Ista Nyssenus. Quę ad eam, quam modò habemus præ manibus, Mystagogicam dissertationem, quadam instituti similitudine, translata; siue, quæ pro se Nyssenus protulit, pro memetipso vsurpata, me (si beneuolos nanciscar iudices) excusabunt; sin minùs æquos, ipso tanti autoris exemplo, & facti similis conscientiâ,

riâ, ſolabuntur. Neque enim ego itidem in hoc Opere, aut dogma conſtituo, aut commentationem meam, ſicui minùs probabitur, contentioſiùs defendere contendo; ſed in hoc erudito puluere, animum meum abſque cuiuſquam iniuriâ, fortè etiam cum nonnullo fructu, veluti per quandam remiſſionem, exerceo.

Nempe ineruditi ſit ingenij, nullo materiarum diſcrimine, æqualem in cunctis quæ diſputentur, euidentiam requirere: & in re obſcurâ atque perplexâ, ſi de eâ quæri dignum fuerit, mediocribus contentum non eſſe, non eſt humanitatis. Potiſſimùm autem, ſi res alioqui nec ſcitu indigna, nec iniucunda, ſuâ tamen (vti dicebamus) antiquitate, altè abſtruſa, & quaſi ſepulta ſit, eoque ab oculis inueſtigantium ſemota. Vt enim quæ de cælorum naturâ, ob ſummam eorum à terræ globo diſtantiam, non niſi per coniecturam attingimus, tamen etiam curioſa ingenia (velut poſt Platonem in Critia, obſeruat Ariſtoteles) ipſa materiæ ſeu dignitate, ſeu nouitate delectant: ita res quas à nobis procul ſubmouit temporum longinquitas, ſiquid earum dignum cognitu, vel probabili tantùm coniecturâ deprehenſum ſit, cupidiùs amplecti atque exoſculari ſolemus; ipsâ rei vetuſtate videlicet pretium addenre recens inuentis. Nimirum antiquorum operum ipſa etiam fragmenta delectant; &, quamuis truncæ abruptæúe priſci temporis imagines, in palatiorum tamen propylæis, hortorumque ſpatijs, viſuntur.

L. 1. de part. anim. c. 5.

Tenent etiam ſpectantium oculos è ſuis ruinis recens effoſſa marmora; quibus vt vetuſtas quandam quaſi autoritatem conciliat; ita nouitas inuentionis accendit cognoſcendi cupiditatem.

Portò iniurius ſit in bonas artes, qui cuiuſque rei inuentionem ab ſuis initijs vndequaque velit eſſe perfectam. Scilicet tempore perficiuntur omnia; multaque dies ſequens aperit; & quærendo, veſtigando, ſcrutando, eruuntur quæ antè latebant, ſenſimque apertam proferuntur in lucem. Priorum ſiquidem, tametſi rudia atque imperfecta inuenta, acuunt ſubſequentium induſtriam: ac quemadmodum in glomere contingit, reperto adductoque lini capite; ita in artibus ac diſciplinis, tenui ſubinde inuento principio, longa rerum connexarum ſeries, & non vna veritas, quę tecta latebat, euoluitur.

Alterum

Alterum orbem mundo ignotum, & toto à nobis diuiſum Oceano, extare in natura rerum, pertenui primùm & ſubobſcurâ apud veteres ſuſpicione ferebatur. Atqui id, procedente tempore, alijs ex alijs indicijs probabilitatem intendentibus, credi cœptum eſt: tandemq́ue nupero ſæculo, præſtantium virorum audaci conatu, tentata via, reique veritas, ſero ſcilicet ſed certo denique, & noſtro huic orbi veteri, peropportuno experimento comperta. Quod ipſum & ad artes reliquas, diſciplinaſq́ue etiam theoreticas transferre licet: in quibus plerumque ſimiliter ipſo tempore, à non abſurdâ ſuſpicione ad probabilitatem magnam, ab hac ad veritatem, ſiue, vt in ſcholis potiùs loquimur, ab opinione ad ſcientiam, ordine quodam fit progreſſio. Vt enim egregiè expreſſum habes in Cebetis Thebani Tabulâ: Fas quidem non eſt Opinionibus ad Scientiam ingredi; ſuos tamen alumnos ipſæ introducunt ad Scientiam, & (vt ipſe ait) tradunt germanæ Diſciplinæ; ad eum modum quo nauiculæ onerariæ in emporium merces inducunt, quò tamen ipſæ non ſubeunt, ſed oneribus exemptis abſcedunt, alias atque alias ſubinde merces importaturæ. Cui ſimile quiddam inuenio apud S. Auguſtinum; dum, in rerum ſcientiâ quærendâ, ſenſibus nos vti, vt nauigio, ſignificat: quippe quos dimittimus, vbi eò nos, quò tendebamus, peruexerint. *L. 1. Solilоq. c. 4.*

Vt hinc non abſurdâ ratione fieri dicatur; quòd diſciplinæ pleræque omnes, paucis quidem decretis, ſed pluribus conſtent non niſi coniecturâ veriſimili, aut probabili ratione nixis; atque in his ferè tota Doctorum verſetur & conſumatur induſtria.

Siue id ita fieri dicamus (quod etiam obſeruat Cornelius Celſus) ingenij excolendi atque honeſtè exercitandi gratiâ; ſiue ſtudio exornandę & velut amplificandę diſciplinę; ſiue, & præcipuè, vt ijs verſandis agitandiſq́ue, ſenſim lux rebus maior accedat; &, ſi fieri poteſt, deprehendatur aliquando quid ſequendum ſit, & ad ipſum tandem deueniatur quaſi cubile veritatis. *Præf. in lib. de re med.*

Quam coniecturalium veriſimiliumúe tractationem à ſcientijs ſi remoueris, omnem homini proficiendi viam, & ipſis honeſtiſſimis artibus, ad aliquam ſui perfectionem perueniendi, ſpem ademeris.

§. III.

Ex hac Myſtagogica Diſquiſitione variam capi poſſe ac multiplicem vtilitatem.

NOn igitur accuſabit, opinor, ſed ſuâ potiùs benignitate adiuuabit lector eruditus conatum meum, ſi argumentum per ſe non ignobile, aſcitis vndique ac conquiſitis rationibus, probabile reddere atque illuſtrare ſatago: &, velut in iſto aſpectabili cælo interdum vſuuenit, vt minutarum ſtellularum, facularumúe multitudo, quæ hinc illinc ſparſæ per æthera, propter paruitatem viſum fugiant, vbi eas fortè caſus quiſpiam eundem in locum congregauerit, ſibique adiunxerit, iam mutuâ ad inuicem coniunctione euadant ſpectabiles, & noui, neque adhuc viſi ſideris formam, mirantium oculis obijciant: ita ego iunctis coniecturis pluribus, quæ parum fortaſſe iuuent ſingulæ, attamen ad idem efficiendum conglobatæ, ei argumento quod tractandum ſuſcepi, non contemnendam lucem adferant, in cælo iſto Myſtagogico nouum oſtendo phænomenon, atque (ſi ita fas eſt dicere) ex multis faculis, quaſi nondum viſam ſtellam accendo.

Etenim res digna videbatur, & apud ſacrarum litterarum ſtudioſos præſertim commendabilis; ſi Templo illi ſanctiſſimo ſimul atque auguſtiſſimo, quodque vero ac ſummo Numini omnium primum excitatum eſſet, qualicunque meâ commentatione, aliquod, ſi poſſem, decus adderem, eiuſque ſacram ſupellectilem exornare quodammodo ac locupletare ſtuderem, atque in eâ re ita verſarer; vt potiſſimùm eius condendi templi primæuas cauſas, & origines inquirerem; ſpeciale nimirum diuinæ mentis in eo excitando conſilium, quantum ex Dei verbo coniectari poſſet, aperirem: demum quidquid eius ſcrutando deprehenſum eſſet, id omne ad ſapientiæ diuinæ gloriam, pietatem in Deum, ac Chriſtianæ vitę informationem transferrem.

Epiſt. 108. Nam ſi hi qui Philologi vocantur (quorum muneris ac profeſſionis alicubi meminit etiam Seneca) ſacroſanctæ, vt ipſi appellant,

appellant, at reipsa profanæ, antiquitatis monumenta tractantes, & nescio quibus de prisca superstitione minutis quæstiunculis libros implentes, commendantur tamen, siquid ad priscos ritus noscendos, aut veterum Scriptorum intelligentiam, apposité dixerint: non mihi credidi indecorum quippe censendum, si in rebus ædis Salomonicæ exquirendis, ipse tanquam sacrum antiquarium agerem; &, tum alia plura, quæ ad eius ornatum, sacra, ritus, symbola faciant, scrutater curiosiùs, tum illud studio atque opere magno contenderem, priscam ipsius Ædis diuinæ inscriptionem (siue, sub quo illa speciali nomine, diuino cultui dicata & consecrata sit) in ijs quæ restant antiquitatis vestigijs, tanquam in obsoletis æuoque derosis marmoribus relictam, eamque iam fugientibus notis, ac pæne consumptis characteribus, vix apparentem, probabili saltem coniecturâ restituerem, restituramque publici iuris facerem, non sine aliquo (si Deus dederit) sacræ disciplinæ, ac Christianæ pietatis emolumento.

Nam qui rerum à nobis tradendarum, de supremâ Dei Sapientiâ, non templi duntaxat Salomonici, sed totius gentis Israëliticæ custode ac præside (quin & ipsius mundani cursus peculiari rectrice & administratrice) notionibus, animum suum aliquousque informarit atque imbuerit, multâ sese luce continuò circumfusum aspiciet, & studij sui dulce pretium, fructusque capiet iucundissimos.

Hinc enim (quod antè dicere cœpimus) apertior euadet varijs in rebus diuinarum Scripturarum intelligentia; vtriusque sacri testamenti illustrior existet conspiratio atque consensus, & tanquam duorum oris diuini labiorum vnitas; elucescent plurium figurarum vmbræ; magis apparebit diuinæ mentis, in Filio in terras submittendo consilium, & Verbi incarnati, atque in nobis habitantis, congruentissima rebus œconomia; ipse denique mundi cursus, sæculorum ordo, Vniuersi ratio, lucem hinc quandam accipient: quippe quæ ab ipsâ profecta Dei Sapientiâ, eiusque legibus & imperio à fine ad finem prouidentissimè gubernata, illius in sese quandam præferunt expressam imaginem, eoque denique fine claudentur, qui sempiterna sit atque beata participatio diuinæ Sapientiæ, & humanæ mentis, quæ quidem in vita diligens Sapientiæ cultrix fuerit, certa & inconcussa felicitas.

Ergo

Ergo & hinc quoque notior exiſtet arcanus quidam inter mundana & ſupramundana reſponſus. Excitabiturque humanus animus ad amorem vniuerſa condentis ac diſponentis, atque artificioſâ motione per omnia regnantis Sapientiæ: quam cùm intelliget, purâ erga Deum religione, honeſtate morum, æquabili vitæ vniuerſæ conſtantiâ, nobis colendam atque repræſentandam eſſe, vel eo nomine ad eas egregias artes, præclaraque ſtudia inflammabitur.

Verùm ipſa deinceps pro ſe loquetur Diſſertatio. Iam enim propiùs in rem ipſam ingredimur: ſi tamen priùs, vti fieri amat, auguſtam baſilicam ſpectandi ſtudio ſubeuntibus, in ipſo quaſi veſtibulo nonnihil ſcilicet reſiſtamus.

TEMPLI SAPIENTIÆ

PARS PRIMA.

Templi Diuinæ Sapientiæ historica, siue (vt appellant) litteralis, disquisitio.

CAPVT PRIMVM.

Romanos, Græcosúe, quemnam Deum Iudæi in templo suo colerent, incertum habuisse. Eiusce rei causæ nonnullæ.

PONENDVM hic esset ante omnia, tanquam indubitatum apud omnes, qui historiæ sacræ quicquam gustarint, rerumúe nationis istius aliquousque conscij sint: Iudæos vnicum, verum, atque supremum Numen, vniuersitatis factitatorem ac Dominum, (non aliquem ex his quos fatuo errore delusa gentilitas Deos credidit) pro Deo habuisse; eiusque vnius magno nomini ac gloriæ, templum illud suum augustissimum, quod habuere Ierosolymis, erexisse & consecrasse.

Verùm quia profani Scriptores, rerum eius gentis ignoratione, variè circa hoc allucinati sunt, possumusque fortassis quædam adferre, ijs quę alij eo in genere adhuc obseruauerint, distinguendis nonnihil atque illuminandis: placuit, opportunâ eo de argumento prolusione, istud templo nostro Salomonico tanquam vestibulum præstituere, aut sanè (quando id in rem propositam bellè congruit) veluti quoddam *Atrium Gentium*, ante & extra templum ipsum adornare. Quod vel hinc minùs dedeceat Theologum: quòd Sanctum quoque Augustinum minimè piguit, operę quidpiam in eâ disquisitione ponere: quemadmodum mox apparebit, ea quę subiungemus legenti.

Porrò quòd Scriptores profani, quem tandem Deum Iudæi colerent,

colerent, incertum habuerint; vel ſiqui nonnullis indicijs id conjectare, & quaſi ariolari aggreſſi ſunt, eâ in re toto (vt videbimus) cælo aberrauerint; non vna cauſa proferri poteſt.

Primùm etenim, cùm Iudæa gens, neque adorata cæteris
Adu. Gentes c. 26. L. 13. c. 4. gentibus numina, aut ſimulacra, coleret; *Deſpectrix*, vt ait Tertullianus, *communium iſtarum diuinitatum*; ſiue vt, Plinius, *contumeliâ numinum* (quæ nempe cæteræ gentes colerent) *inſignis*; neque Dei ſui vllam pareretur effigiem, immò neque nomen vulgò proderet, quippe quod diceretur ineffabile; ac ſolùm Dominum, aut Deum Iſraëlis appellaret; vt vel hac ipsâ re, apud
Legat. ad Caium. Philonem, Iudæis opprobrarit Caius Cæſar, quòd Deum ſine nomine colerent: exinde meritò incerti hærebant exteri populi, quem tandem Deorum ea natio veneraretur.

Accedebat, quòd vnico in templo, eoque (etiam mortis pœnâ propoſitâ) profanorum quorumuis acceſſui, quin & oculis etiam ſubducto, ſacra ſua Iudæi peragerent; ipſis quidem adytis, quæ Sancta Sanctorum appellitabant, veluti propriâ atque ſecretâ Numinis ſede, extra Pontificem, cui ſemel quotannis illuc ſubintrare fas erat, cuiuis etiam initiatorum atque myſtarum inacceſſis.

Tamen intrauit illuc Magnus Pompeius, captâ Ieroſolymâ;
Lib. 3. c. 5. *Viditq́;* (vt Florus loquitur) *illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vti cælo.* Sed vel hinc potiùs res perplexior, maiorque animis dubitatio ſuborta eſt; quando (quæ verba ſunt
Hiſtor. l. 5. Cornelij Taciti) *inde vulgatum, nullâ intus Deûm effigie, vacuam ſedem, & inania arcana.* Subductâ iam olim videlicet & arcâ fœderis, occultataque Ieremiæ Prophetæ ſtudio; vti deſcri-
Lib. 2. c. 2. bitur in hiſtoriâ Machabæorum.

Vt vel his ipſis Cornelij verbis, multoque ampliùs Ioſephi Hebræi ſacerdotis teſtimonio, qui etiam de ſuo tempore loquens,
Lib. 6. de bello c. 6. diſertè tradit; *In Sancto Sanctorum nihil prorſus poſitum fuiſſe*; planè redarguantur, qui ipſam arcam teſtimonij, à Tito Cæſare è Iudæa allatam, & in triumpho geſtatam, minùs conſideratè prodidere.

Neque enim ego huc pertinere exiſtimem, quod apud Minutium Felicem Cæcilius quidam in hunc modum loquens inducitur:
In Octauio. *Iudæorum ſola & miſera gentilitas, vnum & ipſi Deum, ſed palam, ſed templis, aris, victimis, ceremonijſq́; coluerunt*: Contrà quam Chriſtiani videlicet, qui per ea adhuc adoleſcentis Eccleſiæ tempora, templis manifeſtis, ſacriſque publicè carebant.

Pergit: *Cuius* (scilicet Iudæorum Dei) *adeò nulla vis, nec potestas est, vt sit Romanis hominibus cum suâ sibi natione captiuus.* Non hæc, inquam, ipse sic accipiam; quasi dicantur arcæ gratiâ, quæ cùm Deum Israël repræsentaret, in victorum manus potestatemque venerit: sed eò potiùs, quòd Ierosolymis potiti Romani, summi Dei templo destructo & spoliato, omnem consequenter illius cultum aboleuerint; vario etiam templi instrumento, candelabro septemplice, mensâ panum propositionis alijsque nonnullis (quorum hodieque vestigium aliquod in arcu Titi ad Forum Boarium videre est) non item arcâ, quæ aberat, triumphali pompâ in Capitolium, translatis, ac deinde partim in templo Pacis, partim in Palatio asseruatis. Atque id denique ex ipsâ Iosephi narratione manifestum est: quippe qui trium- *Lib. 7. bello c. 24.* phum illum describens, & templi spolia in eo gestata particulatim enumerans, nusquam arcæ Dei meminit; cuius vtique præ cæteris mentio facienda fuisset, si & ipsam inter spolia inueniri contigisset.

Quod si (vt porrò pergam, quod antè cæperam, dicere) vel priore vrbis Ierosolymæ casu Pompeius, vel Titus Cæsar posteriore, arcam fœderis in sua sede, in ipso inquam Sancto Sanctorum, stantem deprehendissent; potuissent fortasse Romani, pro recepto tunc temporis vsu æuique genio, hanc sanè pro Deo Iudæorum recognoscere: quemadmodum olim Philistæi, adductâ in castra arcâ Domini; venisse Deum in castra vociferati sunt, &: *Hi sunt Dij qui percusserunt Ægyptum* &c. Cùm præsertim *1. Reg. 3. v. 7. & 8.* alienum non esset à gentium moribus, rem etiam rudem atque informem, siue, neque hominis alteriusue animalis, neque vllius naturę quâ mundus constet, figurâ præditam, pro Deo seu Idolo colere: Quando & simulacrum Veneris Paphiæ, non effigie erat humanâ, sed informis duntaxat figura, in metę modum, vt ait Tacitus, aut (vt Maximus Tyrius) in morem albæ *Hist. l. 2.* pyramidis exurgens: & Matrem Deûm Pessinunte Romam *Dissert. 38.* aduectam, solùm sacrum quendam lapidem fuisse, Liuius restatur; *Dec. 3. l. 9.* & Cererem Farream Tertullianus, *Sine effigie, rudi palo & in-* *Adu. Gentes c. 16.* *formi ligno prostitisse.* Qualiter etiam tradit modò citatus Maximus, solitos agricolas in horto natiuum stipitem, statuam, vt ait, verè rusticam, Baccho figere; Arabas autem, etiam lapidem quadrangularem pro Deo habuisse.

Vt de Cherubinorum simulacris nihil iam dicam: in quibus illi ex vsu suo aliquam facilè diuinitatem agnoscerent; eadem

illa, siue Victoriæ, siue alterius familiaris sibi numinis, imitamentum interpretati.

At enim Romanis victoribus in intimum oraculum, seu Sancta Sanctorum, subingressis, inuentaque sede vacuâ, atque arcanis inanibus; profectò siue id oculis suis vsurpantes, siue famâ auditioneque accipientes, stupor vrgebat & tenebræ, iamque minus erat, quod de Iudæorum Deo suspicarentur.

Postrema denique eiusmodi erroris aut ignorationis occasio proferri potest, exigua aut nulla apud externos, Historiarum gentis Hebrææ cognitio. Quamobrem Iosephus Hebræus libro 1. contra Appionem, cùm eorum nonnullos, qui res Iudaicas quasi obiter attigissent, dixisset in varijs falsos fuisse: *Quibus,* inquit, *venia danda est, quoniam magnam nostrarum litterarum peritiam non habuere.*

Atque extabat quidem, saltem post Ptolomæi Philadelphi tempora, veteris instrumenti Græca versio. Sed, siue de gentis ipsius contemptu eorum quoque litteras externæ nationes fastidierint; siue Iudæi ipsi sacros Codices, quoad fieri posset, occultos habuerint, ne in profanorum venirent manus, qui (vt factum legimus 1. Machabæorum cap 3.) ijs ad suas superstitiones abuterentur, aut res ipsas in contemptum traherent; siue,
1. Macch. 1. v. 59. quòd eorundem pauca exempla superessent, plerisque codicibus, Antiochi iussu Epiphanis, conscissis, ignique consumptis;
Satyr. 14. quem etiam in sensum accipere possumus, quod Mosis volumen Iuuenalis, arcanum (quasi arcâ celatum, nec tantùm argumenti ratione, sed & sui gratiâ, occultum ac reconditum) appellarit: His inquam alijsue de causis, Iudæorum res ac Religiones constat, exteris nationibus, maximam partem inexploratas incompertasque fuisse.

Vt qui siue de Græcis, siue de Latinis Scriptoribus, eâ in parte, magis sapere visi sunt, in eâ caligine rerum, ignorationem suam profiteri maluerint, & Iudæorum Deum incertum ignotumue appellare, quàm de re occultâ specialius aliquid definire: Quod nonnulli fecere, vt videbimus, vanâ coniecturâ, & apud veritatis conscios deridiculâ suspicione.

Quamobrem non absurdè Lucanus libro 2. sui Operis ita cecinit: *Et dedita Sacris Incerti Iudæa Dei:* Incertum illum Deum
Ioan. 4. v. 22. appellans; non quasi Iudæi & ipsi ignorarent quod colerent, in quem sensum olim Athenienses, forsan Epimenidis Philosophi suasu (vt in eius vita significat Laërtius) aram erexerant, inscripserantque,

ſerantque; *Ignoto Deo*; ſed quòd genti Romanæ alijſque po- *Act. 17.*
pulis ignotus eſſet; neque qualibet factâ inquiſitione, in eius *v. 23.*
notitiam venire licuiſſet. Sic enim de eo Poëtâ S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 30. *Proinde quidam Lucanus, magnus eorum in carminibus declamator, credo & ipſe diu quærens, ſiue per ſuas cogitationes, ſiue per ſuorum litteras, quiſnam eſſet Iudæorum Deus, & quia non piè quærebat, non inueniens; maluit tamen incertum Deum, quem non inueniebat, quàm nullum dicere, cuius tam magna documenta ſentiebat. Ait enim*: Et dedita ſacris Incerti Iudæa Dei. Hæc Auguſtinus.

Porrò ad ſacra Iudæorum quod attinet, nihil adeò mirabimur, multa fugiſſe aut latuiſſe Romanos: quando & ipſos in ſacris ſuis domeſticis (ſiqua paulo occultiora eſſent) variè conſtat fluctuatos, incertoſque hæſiſſe. Sic enim & circa Bonam Deam, quam alij Carmentam matrem Euandri, alij Fatuam Fauni vxorem, alij aliud commenti ſunt; & circa Veſtæ ſimulacrum (quod *Faſt. l. 6.*
aduerſus vulgarem errorem, nullum in eius æde fuiſſe tradit Ouidius) circaque ipſum Palladium, aut ſiquod aliud aſſeruabatur imperij pignus multum ſanè allucinati ſunt. Cùm & ipſe Ro- *Lipſ. de Veſt.*
mæ tutelaris Deus, máſne eſſet, an fœmina, aut quo tandem *c. 3. & 9.*
nomine nuncuparetur, vulgò neſcirent; vti quidem Plinius at- *Plin. l. 28.*
que Plutarchus obſeruauere. Additque alibi idem Plinius alte- *c. 2.*
rum fuiſſe occultum, ac velut ſacrum, vrbis nomen, quod enun- *Plut. in qu. Rom.*
tiare, arcanis cæremoniarum nefas haberetur: Et meminit quo- *Plin. lib. 3.*
que Feſtus Pompeius arcani cuiuſdam ſacrificij, quod in arce *c. 5.*
fieret ab auguribus, *adeò* (inquit) *remotum à notitia vulgari, vt ne litteris quidem mandaretur, ſed per memoriam ſucceſſorum celebraretur.*

Verùm his omiſſis, nonnulla eorum, qui, Iudæorum Deus quis eſſet, definitè diuinare auſi ſunt, deliramenta ſubijciamus.

CAPVT II.

De Baccho à Iudæis culto, ridicula quorundam opinatio. Aliorum item de Ioue, aut Saturno.

VT ab eo autem, quod poſtremum dixi, exordiar, eoque me expediam perpaucis: *Varro* (vt inquit libro modò à nobis memorato Auguſtinus) *quo doctiorem apud ſe neminem inueniunt,*

 Deum

Deum Iudæorum Iouem putauit; nihil interesse censens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur. Quasi in hanc mentem Varro venerit, quòd cùm animaduerteret (vt ait ibidem Sanctus Augustinus) Iudæos summum Deum colere, nihil aliud suspicari potuerit quàm Iouem; quem illi vtique summum Deorum existimarent.

Nisi illum etiam ita dicamus esse locutum, quòd ex plurium opinione (quos capite proximo referam) illos censeret cælum aut æthera venerari, qui à Gentilibus appellaretur Iouis nomine; quò iste spectat Ennianus versus quem Cicero refert libro 2. de naturâ Deorum: *Aspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem*: Et hi Euripidæi:

Vides sublime fusum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur?
Hunc summum habeto Diuum, hunc perhibeto Iouem.

Alij dicunt (subdit ibidem Hipponensis Præsul) *Saturnus est; credo propter Sanctificationem Sabbati, quia isti eum diem Saturno tribuerunt.* Quò item respiciens Cornelius Tacitus, de septimi diei, immò & anni, solenni Iudæis otio agens: *Alij* (scribit) *honorem eum Saturno haberi: seu principia Religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus; seu quòd è septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe, & præcipuâ potentiâ stella Saturni feratur; ac pleraque cælestium, vim suam & cursum, septimos per numeros conficiant.*

Hist. l. 5.

Quò itidem forsan respexerit Hieronymus Cardanus, dum (veluti refert Bullingerus noster libro 2. de diuinatione capite 1.) non irreligiosè minùs, quàm vanè scripsit: Legem Iudaïcam à Saturno, sicut & Christianam à Sole & Mercurio, & Mahometanam à Sole & Marte, ortum habuisse.

Atque his, affinibusúe coniecturis niti potuerunt, qui siue de Ioue, siue de Saturno, vti dictum est, censuere.

At de Baccho idem Tacitus: *Sed quia sacerdotes eorum tibiâ tympanisq́ concinebant, hederâ vinciebantur, vitisq́ aurea templo reperta; Liberum patrem coli, domitorem orientis, quidam arbitrati sunt: nequaquam* (inquit) *congruentibus institutis. Quippe Liber festos lætosq́ ritus, posuit: Iudæorum mos absurdus sordidusq́.* Sic ille. Verùm quòd hederâ vinciri solitos sacerdotes ait, nimisquam falsum est: De tibiâ & tympanis, admitti potest; de vite aurea, mox viderimus.

In

In hac de Baccho opinatione, libro 4. conuiuialium quæstionum, sub persona cuiusdam Mæragenis, multùm se amat Plutarchus, coniecturis vsus non prorsus infelicibus; tametsi & in his falsa veris intermisceat; vt videbimus. *Quæst. 5.*

Igitur Bacchum à Iudæis Ierosolymis coli, suspicio primùm esse potuit, ex festo scenopegiæ, seu tabernaculorum: in quibus illi, ex arborum ramis, & potissimùm (vt quidem Plutarchus) ex palmitibus atque hederâ contextis, ipsos septem dies totos, conuiuijs ac vino ducebant. Non secus atque in Veneris honorem (iunctim fortassis & Adonidis, siue Liberi) festum trinoctium celebrabant Gentiles, in casis myrto implexis; vt videre est in eleganti illo Poëmate, Peruigilio Veneris inscripto, & à Petro Pythæo nescio vnde inuento, atque à Iusto Lipsio in Electis suis illustrato: vbi hæc inter cætera: *Lib. 1. c. 5.*

Cras amorum copulatrix inter vmbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.

Et: *Iam tribus choros videres feriatos noctibus,*
Congreges inter cateruas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus.
Detument, & tota nox est peruigil à cantibus.

Ita ibi.

Augebat porrò suspicionem, quòd per id Festum Iudęi, cradephoria atque thyrsophoria, vt inquit Plutarchus, celebrarent; gestatis nimirum arborum ramis, non vitis (quod ille ait, parum consentaneè Scripturę) sed, vti diuinum ferebat prę- *Leuit. 23. v. 40.* ceptum; ligni densarum frondium, quam myrtum esse volunt, salicum de torrente, atque palmarum; adjectis, & (vt *Lib. 3. antiq. c. 10.* tradit Iosephus) indidem dependentibus, fructibus arboris pulcherrimę, quam citream passim, Iosephus perseam, interpretatur. Quo ornatu lętabantur, saltabant inquam ludibundi, coram Domino; adjectâ eius festiuę pompę, ad lituorum citharęque modulos, septenâ circa sacram aram circumductione. *Nam & tubis exiguis* (inquit Plutarchus) *sicut Argiui Bacchanalibus vtuntur, ad euocationem Numinis; & alij progrediuntur citharis ludentes*, &c.

In quo sanè ritu, rem minùs attentè contuentibus, non obscura apparebat imago profanorum Orgiorum, aut species hominum; in Liberi honorem, thyrsophoria aut oschophoria

ria celebrantium. Quò non nimis absurdè credi posset, etiam Iudęos Liberum patrem colere, traductâ ad sese, toto Oriente celeberrimâ, Dei vitisatoris religione. Neque iam mirum sit,
Cap. 14. v. 33. si Nicanorem ducem libro 2. Machabęorum, comminatum legamus: se Templum Dei, Libero patri consecraturum, quasi quadam cultûs vtriusque Numinis similitudine, ad id faciendum prouocante. Atque inde fortè quoque nata sit, amara illa ne-
2. Mach. c. 6. v. 7. cessitas, quâ iussu regis Antiochi, *Cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur* (infelices Iudęi) *hederâ coronati*, seu vt habent Græca, hederam gestantes, *Libero Patri circuire*: aut etiam quod, ante hæc tempora (si libro tertio Machabæorum dicto credimus) Regis Ægypti iussu Ptolomæi Philometoris, Iudæorum corporibus inustum fuerit folium hederaceum, vt hoc quoque signo quasi Bacchi cultores designarentur.

Accedebat ad ea quę diximus, & sacer summi Sacerdotis ornatus (velut equidem conijcio) ei non prorsus absimilis, quo
lib. 15. Bacchi sacerdotes vterentur. Quò nonnihil faciunt, quę Strabo in sua Geographia memorat de quibusdam Indiarum populis, qui se de Bacchi genere esse, eo in cęteris argumento colligerent; *Quòd eorum reges castrensem apparatum, & cæteros exitus, cum tympanis & stolâ floridi coloris Bacchico more facerent.* Et distinctiùs postea: *Bacchicum est etiam* (inquit) *sindonem & mitram gestare, & vnguentis vti, & floribus cingi, & tympana ac tintinnabula exeuntem regem præcedere.* Vbi vtique obseruari possunt & sindon & mitra & stola floridi coloris, & vnguenta, & tintinnabula, Iudęorum quoque Pontificibus vsurpata.

Expressiùs autem Plutarchus: *Pontifex maximus* (Iudæorum scilicet) *festis diebus mitratus ingreditur, hinnuli pellem auro contextam indutus, tunicamq; ad talos pertinentem gestans, & cothurnos: multa autem tintinnabula dependent de veste, quæ inter ambulandum strepitum edunt.* Ista Plutarchus: addens insuper & illud indicium, sed ex falso interpretatum; quòd illis suem odiosam esse dicat, ob Adonim â sue interemptum.

Postremum sit argumentum illud; quod teste Tacito, quidam trahebant ex vite aureâ Templo repertâ. Quod multò erit efficacius, si quandam sequamur doctissimi viri Iusti Lipsij coniecturam; quæ quoniam interest historię, & ad sacrum Mystagogum pertinet, non est absque aliquâ disquisitione prætereunda.

Lib. 2. elect. c. 5. Is igitur in Lucij Flori de Pompeio verbis, quæ antè laudauimus,

mus, postrema illa *sub aureo vti cælo* (quæ obscurum quiddam hiulcumúe preſeferunt) emendanda censer, perleui voculæ mutatione, *sub aureo vitem cælo*. Vt arcanum illud impiæ gentis (sic enim tunc Iudæi ob Deorum contemptum, vti & deinceps Christiani, audiebant) vitis fuerit aurea, magnæ artis & pretij in ipso templo collocata. Eique suspicioni fauere, tum Taciti verba suprà posita, tum quod tradit Iosephus de vite aureâ Cnæo Pompeio ab Aristobulo dono missâ, & postea in templo Iouis Capitolini dedicatâ, atque, vt ex Plinio (si tamen res eadem) colligere est, triumpho Pompeij Asiatico illatâ. *Lib. 14. antiq. c. 5.* *Lib. 37. c. 2.*

Hoc verò admisso, vt dicebamus, nimio sanè plus efficax erit, inde sumpta argumenti ratio.

Nam cùm apud Florum manifestum sit, grandis illius arcani nomine (vti & apud Tacitum, dum arcana inania fuisse dicit) ipsa templi adyta, seu Sancta Sanctorum intelligi; aut secundùm Lipsij emendationem atque expositionem, secretum quoddam mysterij plenum, *Quod templi sui adytis Iudæi celarent ac colerent*, idque indicet, *cælum aureum*, quod videtur fuisse proprium Sancti Sanctorum: si reuera in ipso templi penetrali vitis aurea reperta esset, veluti cultui ac venerationi proposita, nulli iam videretur ambiguum, quin Liberum patrem in templo suo Iudæi colerent, cui ex vsu gentium vitis sacra esse cognosceretur.

Verùm vt homini erudito atque acuto permittamus sanè coniectationem suam, demusque ita scripsisse Florum: at si ita scripsit, verum scripsisse non facilè adducar vt credam.

Quale enim illud est, vt gens ad superstitionem religiosa, in ipsis adytis, vice arcæ Dei sedentis super Cherubim, & per ipsam quondam tot prodigia designantis, auream vitem substituerent; ad eamque sua, seu vota deferrent, seu sacrificia offerrent? Cùm præsertim non essent nescij, cui tandem inuidiæ se objicerent; obtrectaturis nationibus, quasi relicto Deo Israël, ad ritus gentium, Libero patre culto, desciuissent.

Quid, quod nullus scriptorum (Floro omisso, de quo quærimus) rei eiusmodi à gentis moribus tantùm abhorrentis meminerit? Cùm è contra liceat commentum istud ex Iosepho Hebræo, vt quidem arbitror, satis apertè conuincere: qui non vno loco, hæc quæ Pompeius in templo viderit exactè & vno eodemque modo describens; solùm recenset ex auro mensas, *L. 14. antiq. c. 8.* *L. 1. de bello c. 5.*

 cande-

candelabrum, & vascula; itemque congestam odoramentorum copiam, sacræque pecuniæ ad duo millia talentûm; nullâ istius vitis, sed neque arcæ (quæ, vt dixi, aberat) mentione. Qui rursum alibi, aduersus Appionis Grammatici perridiculum, de culto Iudæis aureo asini capite commentum, absolutè negat, à Pompeio, Crasso, Tito Cæsare, quicquam isti affine in templo, sed purissimam pietatem inuentam esse.

Lib. 2. contra Appion.

At scripsit Tacitus, vitem auream templo repertam.

Primùm: templo, scripsit, non ipsis adytis, siue arcanis; quæ idem ipse, Pompeio intrante, vacua inuenta atque inania, postea tradit.

Rursum, cùm istic (seu quo loco vitem auream repertam dicit) Pompeium Tacitus non nominet, potuit potiùs ad Titi Principis, cuius tunc scribebat historiam, in templum ingressum respexisse: quo tempore non in Sancto Sanctorum, sed ad ianuam templi principem, *sub columnarum capitibus* (vt testatur Iosephus, de templo ab Herode restituto, & exornato agens) *vitis expandebatur, botryones aureos habens pendentes*; *opus mirandum seu materiæ, seu artis pretio; tum etiam ipsâ magnitudine*: quippe cùm idem alibi tradat; eos racemos staturâ hominis fuisse.

L. 15. antiq. c. 14.

Lib. 6. de bello c. 6.

Etsi sint qui eos, de Iosephi mente, non auro solidiore, siue eius metalli veluti crustis ac laminis, sed filis duntaxat aureis, Phrygionis opere, constitisse existiment. Vide Villalpandum.

Neque verò plus est in Aristobuli aureâ vite præsidij. Quam vtique ab eo ad magnum Pompeium, etiamnum Damasci agentem submissam, priusquam is, rebellante Aristobulo, & Iudæis templo sese defendentibus, veniret Ierosolymam, templumque expugnaret, ex eodem Iosepho hæc ipsa narrante, manifestum est. Vt iam in templo reperiri non potuerit, Pompeio illud iure victoriæ ingresso. Veruntamen neque eam vnquam in templum illatam, sed potiùs ab eo Principe, in Alexandri regis, parentis sui, Pinacothecâ, aut Thesauris inuentam, atque ita Pompeio dono missam, verisimile est. Alioqui enim quomodo Aristobulus, penè adhuc priuatus, & de regno cum Hircano fratre natu majore, eodemque summo Sacerdote, decertans, ausus, aut etiam permissus esset, rem tanti pretij donarijs templi subtrahere, Duci Romano submittendam,

Lib. 14. antiq. c. 5. & c.

mittendam, & (vti non vana poterat esse suspicio) in templo Iouis Capitolini, aut siquo alio, profanè & impiè dedicandam? Verùm hæc hactenus.

CAPVT III.

Ex aliorum sententiâ, Cælum, Mundum, Elementa, siue horum Præsidem Genium, Deum Iudæorum fuisse.

AVgustinus libro aliquoties antè laudato, idem nobiscum argumentum tractans, & de Gentilium circa hæc sensu exactiùs inquirens, ita instat vigesimo nono capite. *Quid dicunt de Deo isto Sabaoth, quod interpretatur Deus virtutum, quia illi seruiunt virtutes Angelorum?* Tum ista ibidem subijcit: *Audiui quendam eorum dicere, se legisse apud nescio quem Philosophum, quòd ex ijs quæ Iudæi in suis Sacramentis agerent, intellexisset quem Deum colerent. Præpositum, inquit, istorum elementorum, quibus iste visibilis & corporeus mundus extructus est. Cùm in Scripturis Sanctis: Prophetarum eius* (vt subdit, commentum istud redarguens, Augustinus) *apertè ostendatur, illum Deum colendum præceptum esse populo Israël qui fecit cælum & terram, & à quo est omnis vera sapientia.*

Quibus autem Iudæorum Sacramentis Philosophus ille nescio quis, ad ita opinandum adductus sit; nec Augustinus prodit, nec ego satis conijcere possum. Nisi fortè ex ijs quæ de arca Dei, & veste summi Sacerdotis, mundum seu intelligibilem seu sensilem repræsentantibus, dicuntur, aliquid legens, nec satis intelligens, in eam opinationem deuenerit.

Dicente enim Scripturâ diuinâ: *In veste poderis quam habebat* (Aaron scilicet) *totus erat orbis terrarum*: vniuersum illum summi Sacerdotis ornatum, tum Doctores Hebræi, Philo atque Iosephus, tum è nostris, præsertim S. Hieronymus, ad Symbolicam huius Vniuersi omniumque eius partium significationem, variè adaptauêre. Duobus porrò arcæ Cherubinis quidam (Philone teste, in Vita Mosis) adumbrari dixere, *Duo cæli hemisphæria, inferius & superius, sibi inuicem aduersè opposita: omne enim cælum esse voluere.* Cui simile quiddam commentatus Clemens Alexandrinus, ait: binos illos Cherubim, arcæ impositos mundum intelligibilem repræsen- Sap. 8. v. 24. Epist. 128. tom. 3. Lib. 3.

 tanti,

L. 5. Strom. c. 5. tanti, duas vrſas, aut duo potiùs hemiſphæria ſignificare. *Sed habent (inquit) ambo duodecim alas, & per circulum Zodiacum, & tempus quod in ipſo fertur, ſignificant mundum ſenſibilem. De his, vt exiſtimo, dicit & tragœdia loquens naturaliter: Et indefeſſum tempus perenni fluento plenum circuit, ipſum ſeipſum pariens. Et geminæ vrſæ perniciter errantibus alarum motionibus Atlanticum ſeruant polum.* Ita ille.

Lib. de perfugiis. Denique quod Philo, alio quodam loco quem infrà referam, ex ſuâ iam ſententiâ loquens ſignificat, eoſdem Cherubinos eſſe virtutes diuinas, currûs totius vniuerſitatis motrices, quibus Verbum Dei, vniuerſi Rector pro Auriga ſit: Lib. de agricult. quod idem alibi etiam expreſſiùs tradit, dicens; *Deum Paſtorem ac regem vniuerſi, eidem vt magni regis ὕπαρχον* (ſeu quaſi Epist. 6. Proregem) *præfeciſſe Verbum, primogenitum filium ſuum*; imitatus, opinor, Platonem (qui Epiſtolâ quadam, Deum vniuerſi rectorem apertè diſtinguit ab eiuſdem rectoris Patre ac Domino) alioſque vetuſtiores Philoſophos, de quibus fusè Eugubinus libro 1. de perenni Philoſophia cap. 3. Id, inquam, facilè potuit à legentibus eam in partem accipi, quaſi Iudæi in arcæ typo, non ſupremum Deum colerent, ſed inferiorem quendam mundi rectorem ac præſidem, ſiue (vt ille inquiebat) iſtorum elementorum, aut partium quibus Vniuerſum hoc conſtituitur, Præpoſitum.

De præscrip. cap. 48. Quemadmodum etiam Cerinthus (Tertulliano teſte) alijque vetuſti hęretici, quibus vtique erant familiares ſacræ litteræ, attamen Deum Hebræorum non ipſum ſupremum mundi Dominum, ſed vnum eſſe ex Angelis, exiſtimauere.

L. 15. Geogr. Huc ſpectant & illa quæ Strabo ſcripſit, ita loquens de Moyſe: *Affirmabat enim Ægyptios non rectè ſentire, qui beſtiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; itemq́; Afros & Græcos, qui Dijs hominum figuram affingerent. Id verò ſolum Deum eſſe, quod nos & terram ac mare continet; quod cælum, & mundum, & rerum omnium naturam appellamus: cuius profectò imaginem, nullus ſanæ mentis, alicuius eorum quæ apud nos ſunt* Iuuen. sat. 14. *ſimilem, audeat effingere.*

Eodem & illa Poëtæ Satyrici:

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant.

Nam

Nam de nubibus quidem quod ait, non eò dixit, vt existimo, quòd Iudęos reipsa nubes colere crederet: sed vel, quòd Iudęi precantes, oculos in cælum intenderent, perinde atque si nubes ab ijs adorarentur; vel, vt quidam obseruant interpretes, fortassis allusit ad Aristophanis Comœdiam, *Nubes* inscriptam; in qua ille Socratem (qui scilicet veluti religionis patrię contemptor, in vulgus malè audijt, eoque ad extremum damnatus est) ridiculè inducit, Dijs cæteris neglectis, Nubes colentem, easque inuocantem, isto carmine:

O rex immense aër, qui terram pendentem vndique cingis! *Act. 1. scen. 3.*
O rutile æther, ô venerandæ Nubes, quæ fulmina vento mittitis!

Quod si pari loco Iudæos cum Socrate Satyricus habuit, id tantùm voluerit istis versibus, quod his verbis expressit Tacitus: *Iudæi mente solâ, vnumq; Numen intelligunt*: rectoque sensu eos dixerit, solum Cęli Numen adorare. Quando *Tob. 12. v. 6.*
& ipsi Iudęi (immò & Raphaël Angelus apud Tobiam) Deum suum, *Deum cæli* appellare solerent; pręsertim agentes cum alienigenis, vt in primi Esdrę cap. 5. v. 12. eoque nomine, tum ipsi, tum externi populi Hebręorum Deum, à Dijs Gentium distinguerent; vt apparet tum ex verbis Achior ad Holofernem, tum ex edictis Epistolisúe Regum Chaldæorum, *Iudit. 5. v. 9. 12. 19.*
Persarum, atque Medorum, apud Danielem & Esdram, Deum Hebræorum, *Deum cæli* constanter appellantium. Quo pacto pergemus apud Iuuenalem *Cæli Numen* legere, non autem *lumen*, vti legendum vir doctus est arbitratus.

Sin autem reipsa de cælis ipsis, cæliúe sideribus, à Iudæa gente adoratis, eum intelligemus; nihil ille repugnans aliorum, vt dixi, Scriptorum menti; neque alienum fortassis à Iudęorum quorundam moribus, quicquam scripserit. E diuinâ quippe Scripturâ manifestum est, eos antiquitus adorasse omnem militiam cæli, solem inquam, lunam, luciferum, & Zodiaci signa, astraque reliqua; aut inditas sanè ijs animas, Geniosúe horum præsides, diuinis honoribus affecisse.

At id fortè isti Scriptores ignorauerint. Veruntamen eius impietatis quandam speciem, fuisse in posteros, etiam ad Christiana tempora, propagatam, subindicat Titulus in Codice Iustinianæo *De Iudæis & Cælicolis*: nisi quod tunc quosdam extitisse sub eo Cælicolarum nomine, non tam Iudæos,

quàm hęreticos (quippe qui Christi baptismum admitterent) colligatur ex S. Augustino, epistolâ 163. extremâ.

Finiam, si dictis affine illud adiunxero, quod de veterum Sinarum religione, immo & eorum qui hodieque in ijs sapientes habentur, quique à simulacris abhorrent, tradit noster Nicolaus Trigautius: Sinas videlicet iam inde ab initio, supremum & vnum Numen adorasse, quod ipsi Cæli Regem appellabant; vel alio nomine, Cælum & Terram. *Ex quo apparet* (inquit) *veteres Sinas opinatos fortasse cælum & terram animata, eorumq; animam pro supremo Numine coluisse*; Vt ferè de Iudæis ex Strabone, alijsque dictum est.

Histor. Sin. l. 1. c. 10.

Sed hæc satis sint. Nam illa de sue, aut asini capite aureo, à Iudæis habito pro Numine, vt magis fabulosa & indigna relatu, libens omitto.

CAPVT IV.

Magnificum illud Ierosolymæ templum, vni soli summo ac vero Deo dedicatum fuisse: De eius proprio titulo quæsitum.

VErùm quidquid tandem, siue Ethnici homines, siue hæretici, circa Deum Iudęorum delirauerint: certum omnino & indubitatum est; eos Deum vnicum, supremum, æternum, infinitum, ineffabilem, omniscium, omnipotentem, primum atque vnicum rerum omnium principium, cæli ac terrę autorem, conseruatorem, gubernatorem ac Dominum (quem item & nos Christiani colimus) in templo suo coluisse sacrificijs, honorasse muneribus, precibus ac votis solicitasse. Quod cuiuis profectò certum exploratumque esse potuit, Iudæorum proprias litteras, diuinæ inquam scripturæ libros, non saltem operâ defunctoriâ, sed aliquo rei cognoscendæ, veritatisque studio legenti. Verùm his, vt dixi, exteræ gentes, vel caruere, vel vnde vnde orto contemptu, fastidioue, abstinuere.

Hoc verò posito, de quo nulla cum quoquam nobis iam superest controuersia: illud non sine causâ videbatur inquiri posse, quod non vni mihi dubitare succurrit; sed vti pòst vidi, & infrà dicam, etiam Ludouico nostro ab Alcasar incidit. Fueritne templum illud Salomonicum, magnificentię nomine

orbe

orbe toto adeò celebre, supremo Numini communi generalique ratione positum, an proprio aliquo specialiúe titulo, appellationeúe, ex ipsâ seu Dei primi autoris, siue Salomonis illud condentis, institutione dedicatum?

Quemadmodum enim prisco more Romano, alia ædes erat Iouis Feretrij, alia Statoris, alia Elicij cognomine: itemque alia Iunonis Reginæ, alia Matutæ, alia Monetæ, pro fine vario aut occasione dedicationis: aut velut nunc Româ Christianâ, alia ædes est S. Mariæ à Pace, à Gratijs, à Consolatione, à Miraculis, à Salute &c. ita succurrebat fieri potuisse, vt ædes illa Salomonica, speciali aliquâ nuncupatione, ac nominatim, & causâ exempli (quò mihi valde inclinat animus) æternæ supremi Numinis sapientiæ, consecraretur.

Atque hoc illud est, quod, vt singulariter in hac nobis dissertatione propositum, non vanis fortasse, nec contemnendis, coniecturis adstruere aggredimur: nimirum haud esse vero absimile, templum Salomonicum, ipsius instinctu diuinitatis, erectum fuisse consecratumque Diuinę Sapientiæ; siue, quod eôdem prorsus recidit, Deo Opt. Max. sub supremę Sapientiæ titulo atque nuncupatione: atque ad id etiam autorem operis Salomonem, in eo designando, moliendo, dedicando, non obscurum respectum habuisse.

Quod priusquam docere occipio, necesse est ipso principio admoneri Lectorem: cùm ex sensu vsuque Doctorum, sapientiæ nomen bifariam in diuinis vsurpari soleat: primùm prout vis est quædam diuinę mentis, cuncta intelligentis, comprehendentis, prouidentisque, inque eo sensu diuinis personis omnibus attributa perfectio: deinde notione minùs vulgari, sed tamen Scripturæ vsitatâ & Patribus, prout specialiter accommodatur Dei Filio, qui, Patrum nonnullis propria est diuinæ mentis soboles, & fœcundæ flos intelligentiæ; Augustino, *Sapientia genita*; Thaumaturgo Gregorio in Symbolo quod fertur accepisse diuinitus; *Verbum viuens, Sapientia subsistens, ac constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua atque effectrix*: ad rem quidem præsentem vix interesse, hoc an illo modo sumamus Dei sapientiam, dum ei propriè dicatum templum Salomonicum dicimus. Et nostrarum quidem rationum pleræque, de Dei accipiuntur Sapientiâ communiter & indiscretè sumptâ; nonnullæ autem, per se respiciunt Dei Filium: leui, vti dixi, quod rem ipsam attinet, discrimine.

Nam

Nam si Dei Filio, veluti genitæ atque expressæ Dei sapientię, sacrum illud fuisse dixerimus, in eo ipso necesse est respectum inuolui ad absolutam, siue (vti Scholæ loquuntur) essentialem Dei sapientiam, cuius is ipse Dei Filius perfectus character, & viua quædam est expressio. Sin autem indiscreto sermone, id attribuerimus æternæ Dei Sapientiæ; non absque respectu ad Verbum seu Filium, *cui prophetando venturo*, vt Sanctus loquitur Augustinus, *illius gentis & regnum & templum & sacerdotium & sacrificium, deputata sunt*, id factum esse intelligemus.

L. 1. de cons. Euang. c. 11. & 13.

CAPVT V.

Templum Salomonicum Dei Sapientiæ speciatim ac propriè consecratum videri. Prima eius rei coniectura, ex fabricæ fine, Arcæ inquam fœderis tutelâ & cultu, deducta.

AGe igitur nunc ad rem ipsam, atque à fine ducto principio, qui prima causa est, ratio, mensura vniuersorum, id quod proposuimus (quoad rei patitur obscuritas) verisimile facere, & ingenio contrariâ animi informatione non nimiùm occupato, vtcunque suadere, aggrediamur.

Vniuersa opera, quæ siue naturâ, siue arte perficiuntur, fines atque vsus habere proprios singula, atque ab his essentiam, rationemúe suam, ipsamque adeò appellationem sumere, tum Philosophi autoritate, tum ipsâ ratione, compertum est. Id quod præcipuè in artis operibus cerni licet. Nam si tectum aliquod verbi causâ, hominum vsibus quotidianis familiaribusque destinatum sit, domus erit ædesúe priuatæ; sin autem sacris atque diuinis, iam Templum, Sacellum, Ædesúe sacra nuncupabitur: & domus pars, si refectionis gratiâ, triclinium dicetur; cubiculum autem, si somno capiendo destinata sit: tametsi inter hęc nulla fortè sit (quæ tamen interesse solet) à materiâ aut formâ diuersitas.

2. Phys. c. 9.

Quanquam, quòd opus ipsum specialem sibi materiam formamúe propriam deposcat; huius quoque ratio ex ipso fine petenda est: quo modo ex Philosophi mente, serra non erit nisi ferrea, quòd aliter nequeat suo ipsius fine defungi, & nauis plumbea nauis non erit, nisi æquiuocè, quia sit ad nauigandum inepta.

Cap. cit. t. 88.

Iam cùm omne templum diuino cultui, ipsique Numini, sacris ac precibus propitiando, consecratum sit: quòd illud sit Iouis, istud Mineruæ, vt ad res Romanas rursus alludam; & hoc quidem Iouis Statoris, hoc Feretrij; aut sanè quòd ista sit Pacis ædes, Honoris, Virtutis, Concordiæ: ex fine proprio consecrationis spectandum est: qui vel ex ipsâ cuiusque ædis inscriptione, vel certę statuæ dedicatione atque impositione, satis intelligitur; vel, sicubi is erit obscurior, ex adiunctis erit insignibus, Symbolis, & tanquam propriis ipsius rei characteribus, demum ex ipso vsu, seu recepti cultus rituumúe ratione, deprehendendus.

Atque si Ædis Salomonicæ, quam vni vero ac summo Deo sacram fuisse iam constitit, fines, vsus, Religiones proprias, quibus specialiter dedicatum sit, quæ rimus: illud in primis deprehendemus, tum priscum illud Mosaicum tabernaculum, tum quod ei successit, templum Salomonicum, vnius Arcę fœderis gratiâ, eique asseruandę atque colendæ, seu potiùs (etsi in idem redit) ipsius veri supremique Numinis, prout per Arcam repræsentabatur, in eaque sedens super Cherubim sua responsa dabat & oracula, honori, gloriæ, venerationi, ipsiusmet Dei certo consilio, constructum, erectum, destinatumque fuisse. Id adeò, cùm ipsa Mosaicæ narrationis ratio, tum templi demonstrat Historia; & res ipsa per se quodammodo loquitur, si duntaxat oculis non incuriosis subijciatur.

Quippe cùm Exodi 25. capite, Deus Mosi de sanctuario sibi adornando præcepta daret, ratione cuius habitaturus esset in medio populi; quasi nollet obscurum esse, cuius gratiâ, tum ipsum tabernaculum, tum cætera quę ad id pertinerent, extruenda præciperentur, primo loco & ante omnia, Arcę descriptionem, eiusque construendæ mandatum exponit, dicens: *Sic facietis illud: Arcam de lignis Setim compingite*; & Vers. 10.
quæ sequuntur. Et omnibus completis, cùm iam erigendum esset sacrum tabernaculum, ei, simili modo præcipit Dominus, Exodi cap. 40. *Eriges tabernaculum testimonij & pones in* Vers. 3.
eo Arcam: nempe veluti rem; cuius proprie gratiâ, ipsum tabernaculum esset extructum. Quod etiam luculentiùs tertij Regum octauo capite, de ipso templo demonstratum est. Nam perfecto templo Salomonico, cùm ad eius solennem dedicationem vniuersus populus conuenisset, summâ celebritate inducta est Arca fœderis Domini, vt scriptura loquitur, *in lo-* 3. Reg. 8. v. 6.

C *cum*

cum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim. Quemadmodum scilicet domo perfectâ, in eam immigrare solet aut induci proprius habitator. Vnde etiam

Ibid. v. 21. Salomon in ipsa dedicatione ita loquitur: *Ædificaui domum nomini Domini Dei Israël. Et constitui ibi locum Arcæ, in quâ fœdus Domini est.* Apertè demonstrans, quanam ratione ipsi Deo Israël domus illa sacra atque dicata esset, in quantum nimirum in eâ colebatur Arca fœderis, cuius vnius gratiâ ipsum oraculum, seu Sanctum Sanctorum, extructum esset; sicut cæterę partes ac membra templi, gratiâ ipsius Sancti Sanctorum. Quod idem denique Salomonis parens, & templi ab eo con-

1. Paral. 28. v. 2. struendi designator, apertissimis verbis professus est: *Cogitaui,* inquiens, *vt ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis, & scabellum pedum Dei nostri.* Hunc igitur finem, tum Deus ac Moses in constructione tabernaculi, tum Reges Dauid ac Salomon in templo condendo, spectauere.

Porrò constituto, quod templum Salomonicum, Arcæ gratiâ, siue ad cultum Dei quatenus per Arcam repræsentabatur, extructum dicatumque fuerit; quid possit in rem nostram effici, ex modò dicendis, intelligetur.

CAPVT VI.

Arcam fœderis, Diuinæ Sapientiæ Symbolum proprium expressimumq́; fuisse. Eiusdem fines, vsusq́; peculiares, expensi.

QVò coniecturæ proponi cœptæ ratio ac vis appareat, inquirendum superest atque inuestigandum hoc capite, qua maximè ratione dicatur arca fuisse summę diuinitatis Symbolum, aut quodnam præsertim attributum Dei, vti loquimur, videatur in se repræsentasse.

Dicendum est autem, priscam illam arcam diuini fœderis, tum ipsâ sui conformatione, tum fine vsuque proprio, tum adiectis illi mysticis notis aut insignibus, tum ipso denique sapientum sensu, fuisse Symbolum & tanquam simulacrum æternæ summæque Dei Sapientiæ, in eâ manifestè relucentis, per eam responsa atque oracula fundentis. In quo ostendendo pedetentim nobis, & velut particulatim, procedendum est.

Doctissimus Clemens Alexandrinus, in libris Stromatum, arcæ

arcę fœderis significationem inquirens, & ad ipsam eius constructionem conformationemque respiciens: *Quæ de sanctâ arcâ narrantur*, (inquit) *significant mundum qui percipitur intelligentiâ, qui est vulgo occultus & occlusus*. Cui consentiens etiam B. Ambrosius, in libro de Noë & arca: *Deauratur* (ait) *foris & intus arca illa, quæ in Sanctis est mundi intelligibilis imitatrix imago*. Lib. 5. c. 3. Cap. 7.

Porrò mundum intelligibilem illum dicunt, quem opponunt sensili, id est huic corporeo & aspectabili: quem & ipsum Plato & Platonici, siue τὸν νοητὸν, id est intelligibilem, siue τὸν ἀρχέτυπον, velut exemplar mundi huius corporei, nominant. Neque est aliud, (vti apparet) nisi diuina mens, & rerum ideis fœcunda primi Artificis intelligentia. Vnde etiam Clemens in sequentibus satis innuit, ad rem ipsam nihil admodum referre, siue dicatur per arcam significari mundus intelligibilis; siue potiùs ipse Deus, (qui omnia comprehendit, estque figuræ expers & inaspectabilis) repræsentari.

Quod si, cum Philone Hebręo alijsque dixerimus, mundi intelligibilis nomine, ipsum designari Verbum diuinum, nihil à proposito nostro abhorrens, sed potiùs quidam, ei quod intendimus prorsus consentiens, affirmauerimus.

Philonis sanè libro de Mundi Opificio verba sunt ista: *Quod si cui libeat apertioribus vti vocabulis, nil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quàm Verbum Dei iam mundum condentis*. Et mox. *Liquet autem quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipsum sit archetypum illud exemplar, idea idearum, Verbum Dei*. Quod quidem esse etiam ex Platonis mente, quem Philo libens imitatur, non semel tradit Marsilius Ficinus, Platonis interpres, locis quę postea memorabimus.

Guilielmus item Parisiensis de hoc ipso agens, dicit: *Mundum archetypum, qui est ratio & exemplar Vniuersi, ex doctrinâ Christianorum, propriè esse Dei Filium, & Sapientiam à Deo æternaliter genitam*. 2. p. de Vniu. P. 1. c. 17. & 39.

Ex quo iam habemus, quando ex Clemente Alexandrino, S. Ambrosio & alijs, per sacram arcam significabatur mundus intelligibilis; per eam itidem, siue essentialem, siue personalem Dei Sapientiam, significatam esse.

Adiungamus & Doctorem Angelicum, qui 1. 2. earum rerum quæ tabernaculo continerentur, non figuralem, sed lir-

teralem (vt ipse loquitur) rationem exponens, tum illa paria Clementi tradit : per tabernaculum scilicet interius, quod dicebatur Sancta Sanctorum, significari sæculum altius, seu mundum spiritualem; per exterius, quod Sanctum dicebatur, præsens sæculum, seu mundum corporeum designari; tum illa addit huc spectantia : *Sunt etiam in illo intelligibili sæculo, rationes omnium eorum, quæ in hoc sæculo perficiuntur, quodammodo clausæ; sicut rationes effectuum clauduntur in suis causis, & rationes artificiatorum in artifice. Et hoc* (inquit) *significabatur per arcam.*

Q. 102. art. 4. ad 6.

Erat igitur arca fœderis manifestum Symbolum, & tanquam simulacrum, diuinæ Sapientiæ : quippe cùm ipsa diuina mens rationes rerum in se concludens, non veluti nudum principium notitiæ rerum, concipienda sit; sed vt exercita & actuosa ac semper vigens rerum omnium comprehensio : atque ipsæ rationes rerum, siue res ipsę vt in illâ mente artifice existentes, vita quædam sint, siue ars viuens, id est rerum effectrix Sapientia Dei.

Aug. tract. 1. in Ioan.

Quę eò præsertim per arcam nobis significatur, quòd (veluti ex Clemente & S. Thoma modò vidimus) supremæ illius Sapientiæ rationes, occultæ nobis & occlusæ sint: propter quod ampliùs significandum, abdebatur arca in penetrali, loco abdito & prorsus obscuro; quòd nimirum ipsa Dei Sapientia humanæ menti (quamdiu saltem tenetur hoc corpore) inaccessa sit & imperuia, nisi quantum ille Pater luminum, incerta & occulta Sapientię suæ, hominum generi aperire ac manifestare voluerit.

Atque hinc iam sese continuò aperit, atque elucet, primi huius argumenti ratio. Nam si arcam fœderis proprium fuisse diuinę Sapientiæ Symbolum, atque templum ipsum arcę tuendæ ac venerandæ vnicè extructum & destinatum, ostendimus : consequens sanè est, vt ædem illam Salomonicam, æternę Dei Sapientiæ, proprio nomine & peculiari titulo, constructam, dicatam, consecratam fuisse dicamus.

Porrò hęc veluti de ipsa arcæ substantia, aut natiuâ quasi conformatione, desumpta ratiocinatio, haud parum, opinor, confirmabitur; si ad eos fines aspexerimus, quotum illa gratiâ, destinato mentis diuinæ consilio, concepta, formata, & tanquam in lucem vsumque ipsum educta est : quos duos fuisse comperio.

Prior potissimusque is fuit; vt legis tabulis, Dei digito scriptis,

ſcriptis, aſſeruandis, eximio inquam pręceteris diuinæ Sapientię monumento continendo, ſeruiret: dicente Domino ad Moyſen Exodi 25. capite: *Poneſq́, in arca teſtificationem quam ego dabo tibi.* Et rurſum ibidem: *in qua pones teſtimonium quod ego dabo tibi.* Ex quo item apparet, cur arca fœderis, teſtimonij, teſtamenti, velut nomine proprio appellata ſit. Eodemque ſpectat, quod Philo Iudæus, eam, *ſacram legum conſeruatricem arcam*, ſiue, *vas legibus deſtinatum appellauerit.* *V. 16. & 21.* *Lib. 3. de Vit. Moſ.* *Lib. de nom. mutat.*

Cui etiam fini vnicè ſeruiſſe, ita vt alteri nulli rei deſtinata eſſet, apparet ex illis Scripturę verbis tertij Regum octauo capite: *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in eâ Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Iſraël.* Proindeque, quod ait Apoſtolus, in arca fuiſſe vrnam auream habentem manna, & virgam Aaron quę fronduerat, & tabulas teſtamenti; ſic accipiunt pleríque Interpretes, vt *in* præpoſitio, amplè ſumatur Hebræo more, complectaturque tam ea quæ propriè erant in arca, quàm quæ iuxta eam, vti erant vrna & virga: ſecundùm quod Exodi 16. v. 33. de manna præceptum fuerat: *Repone illud coram Domino*; hoc eſt, non intra arcam, ſed coram arca & propitiatorio, in quo cenſebatur Dominus reſidere. *Verſ. 9.* *Heb. 3. v. 4.*

Hinc autem iam poteſt non obſcura peti argumenti noſtri confirmatio. Nam ſi, quemadmodum obſeruat Doctor Angelicus, *per hæc tria*, quæ recenſet Apoſtolus, *ſignificabantur tria Dei attributa* primaria, & quæ ſpecialiter, deſignandis tribus diuinis perſonis accommodantur, *Sapientia in tabulis, Potentia in virga, Bonitas in manna*; atque arca ipſa, diuino conſilio inſtitutoque, legis tabulis tuendis propriè ac ſingulariter ſeruijt: quis vel hinc non videat, arcam quæ expreſſo diuinæ Sapientiæ Symbolo, ipſi inquam legi, dictatiſque diuinę mentis aſſeruandis, vnicè deputabatur, hoc etiam modo repræſentaſſe Dei Sapientiam; atque adeò templum, arcæ continendæ ex proprio fine inſtitutoque deſtinatum, peculiari modo ſubſeruiſſe Dei Sapientiæ, eiuſque honori ac cultui priuatim ac ſpeciatim conſecratùm, conſtitutum fuiſſe? *1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.*

Quò item facit & alter ille ac poſterior finis, aut vſus, eiuſdem arcæ: vt nimirum eſſet quaſi ſcabellum pedum Domini; qui imaginariâ quadam figuratione, cenſebatur ſedere ſuper alas Cherubim, & ipſi arcæ eiuſue operculo, quod dicebatur propitiatorium, inſiſtere; atque ex hoc tanquam diui-

no throno reſponſa præbere, dictare leges, iudicia exercere. Quippe cùm oracula certa fundere, & res ſiue futuras, ſiue alioqui prorſus occultas aperire, non ſit niſi ſupremæ atque diuinæ Sapientiæ; manifeſtè ſequitur, arcam cum impoſito propitiatorio, quod etiam in Scripturâ Oraculum dicitur, cumque Cherubinis illud deſuper obumbrantibus, ei muneri famulantem, fuiſſe quandam quaſi Sedem ſupremæ Sapientiæ, oracula ſua atque decreta inde fundentis. Vt propterea, (quod iam indicabamus) diceretur Deus ſedere ſuper Cherubim, quòd ipſorum alę antrorſum extentæ, & ad inuicem porrectæ; ipſo ſitu ſuo tanquam thronum Dei repræſentarent, arcâ ipſâ, ſeu eius operculo aut propitiatorio, eiuſdem throni ſcabellum referente: vnde etiam Pſalmo 98. vbi v. 1. dictus eſt Deus ſedere ſuper Cherubim, paulò pòſt v. 5. ſubditur: *adorate ſcabellum pedum eius; quoniam ſanctum eſt*: quod de arca fœderis, tum patres, tum Interpretes intelligunt.

Et hoc ipſum munus, vſumque arcę cum adiunctis ſuis, apertè expreſſit ipſe Deus Exodi 25. capite; vbi, cùm de arcæ, eiuſque propitiatorij, ac Cherubinorum obuerſis vultibus alas expandentium, oraculumque operientium, conſtructione præcepiſſet: *Inde* (ſubdit v. 22.) *præcipiam & loquar ad te ſuper propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Iſrael.* Et numerorum 7. v. vltimo: *audiebat* (Moſes) *vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.*

Fuit ergo arca, tum ipſa per ſeſe, tum gemino illo quod prædiximus ſibi proprio munere, expreſſum Symbolum ac ſimulacrum æternæ Dei Sapientiæ: ac proinde templum, quod arcæ tuendæ atque colendæ, certo conſilio conſtructum atque deſtinatum eſt, non abſurdè dicimus, videri; eidem ſupremæ Dei Sapientiæ peculiari nomine proprioque titulo erectum, conſecratumque fuiſſe.

Verùm quando obiter à nobis modò memoratæ Cherubinorum effigies, quas vel Dei iuſſu Moſes primùm adiunxit Oraculo, vel quibus Salomon, non ipſum modò Sanctuarium, ſed omne templum ac præcipua quæque ipſius vaſa inſtruxit atque exornauit, eiuſce rei nouum nec pœnitendum argumentum ſuppeditant, ea res nobis eſt paulò diligentiùs perſequenda, ac proinde proprio diuerſoque capite exequenda.

CAPVT

CAPVT VII.

De mystica Cherubinorum effigie, Arcæ fœderis & Templo Salomonico adjectâ. Cherub nomine, significari cognitionis plenitudinem. Noua exinde ac specialis in rem nostram conjectura.

CHerubinos duos aureos, qui obuersis vultibus se obtuentes, alarum antrorsum projectione oraculum ipsum protegerent, & (Apostoli phrasi) obumbrarent, diuino iussu ipsi arcæ adjectos, Scriptura commeminit: quo autem essent corporis habitu, seu qua reliquorum membrorum conformatione præditi, nusquam diserte expressit.

Iosephus Iudæus libro 3. antiquitatum cap. 6. illos adumbrans: *Cherubim* (inquit) *animalia sunt volucria, noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa; quæ Moses in Dei solio viderat figurata.* Fortassis innuens, Deum ipsum Mosi in monte Sina apparentem, eiusmodi solio sedere conspectum, quale repræsentabat arca cum Cherubinis impositis: itemque Cherubinos ipsos, non simplici fuisse alatorum iuuenum specie, sed assimiles ijs animalibus, quæ postea vidit Ezechiel, Cherubim itidem appellatis, quibus idem quadruplicem speciem, seu (vt ipse loquitur) faciem, attribuit, hominis scilicet, aquilæ, leonis, & vituli. Nam his similes fuisse, siue Mosaïcos, siue Salomonicos Cherubinos, videtur esse communior Doctorum opinatio. Siue ij reipsa quadriformi facie, seu vultu, præditi fuerint, ad eum saltem modum quo Cherubinos Ezechielis ingeniosè depingit Alcasar Notat. 12.
noster in caput quartum Apocalypsis; siue, vti Pradus & Vil- §. 4.
lalpandus, quadantenus tantùm & obscuriùs quatuor dictorum animantium formam prætulerint, hominem vultu, pennis aquilam, pede vitulum, leonem iubis pectoralibus, repræsentantes. In ijs sanè Cherubinis, quos in templi parietibus expressos vidit Ezechiel, faciem hominis & leonis agnoscit, tanquam (quod nonnulli obseruant Interpretes) duæ hæ dun- Cap. 41. v. 19.
taxat facies extarent, duabus alijs ipsa parietis superficie quasi interceptis, occultatisque, quòd videlicet eæ effigies non nisi dimidiato corpore, neque plenâ sculpturâ prominerent.

Neque

Neque tamen desunt, qui, ad Mosaicos Cherubinos quod attinet, eos humanâ formâ membris omnibus effingant, solis illos alis discriminantes.

De alarum numero, par obscuritas: non paucis Patribus, etiam Mosaicis Cherubinis alas senas tribuentibus: Interpretum autem nonnullis quaternas duntaxat, alijs non nisi binas eisdem alas affingentibus.

Illud hîc nobis ponendum est; Cherubinos illos, quamcunque formam habuerint, non obscura supremæ atque supercęlestis cognitionis Symbola, atque adeo quosdam quasi satellites stipatoresue, aut ministros, diuinę Sapientię fuisse. Quippe qui ex communi receptaque, tum Philonis Hebræi libro 3. de vita Mosis, tum Patrum etiam antiquissimorum interpretatione, plenitudinem seu multitudinem, perfectionemue cognitionis significent; vti videre est apud S. Dionysium de Cęlesti Hierarchia capite 7. Origenem homiliâ 1. in Numeros, Clementem Alexandrinum libro 5. Stromatum aliosque passim. Quorum vtique, ipsiusque præsertim Philonis Hebræi, autoritas, debet nobis hanc in rem sufficere, vt nomini *Cherub* ab ipsâ sui origine, eum credamus intellectum inesse: quantumuis hodie de vocis etymo non parua sit inter eruditos disceptatio.

Atque id proinde perspectum habens sapientissimus Salomon, cùm aliunde intelligeret, quod, vti dicemus, in suis expressit Prouerbijs, templum illud suâ extructum operâ, ipsam sibi Dei Sapientiam, in domum propriam ædificasse; non contentus ijs, quos diuino iussu formarat Moses, & arcæ imposuerat, Cherubinis; templum vniuersum & membra illius, instrumentaque sacrorum omnia, eâdem insigniuit effigie, & hanc tanquam Ædem supremæ Dei Sapientię, genuinis illis Sapientię Symbolis ac simulacris, summo studio atque opere, instruxit, distinxit, exornauit.

1. Paral. 28. v. 19. In primis siquidem diuini secutus consilij rationem, cuius erat conscius atque interpres ad primorum exemplum Cherubinorum, quos arcæ impositos memorauimus, duos alios fabricauit ingentes, de lignis oliuarum, auro inrectos, decem
3. Reg. 6. v. 23. cubitorum altitudinis, qui in ipso adyto consistentes, expansis alis atque projectis, ipsum Oraculum seu Sanctum Sanctorum comprehenderent, & ipsi arcæ tanquam velum vmbramûe quandam plenam majestatis obtenderent. Ad hæc, omnes circùm

circùm ſanctuarij parietes eâdem inſigniuit imagine, neque adyta modò iſtis Symbolis, ſed ipſius templi partes cæteras, tabulata, poſtes, vela, ianuas, columnarum ornamenta, verbo templum omne, reſperſit atque illuminauit. Tandem, nequid eo in genere ad ſimilitudinem vniuaremúe operis deſideraret, idem ſeruatum in omni inſtrumento templi, altari duplici, holocauſtorum & thymiamatis, mari æneo, luterum & candelabri baſibus: his enim omnibus, ſiue Scripturę teſtimonio, ſiue eruditorum traditione, Cherubinorum vultus, ornamenti & Symboli gratiâ, conſtat à Salomone inſculptos adiectoſque fuiſſe. Vt quamuis in partem te conuerteres, nihil niſi aſpiceres diuinæ Sapientiæ inſignia, illîc Cherubinos toto corpore proſtantes, iſtîc dimidiatos, aut ſolo etiam extantes vultu, illinc auro, ære rigentes, hinc phrygio opere, auro ſericoûe molliùs elaboratos. *3. Reg. c. 6. & 7. Vide Villalp.*

Quid ſi inſuper adiunxerimus, velut admodum veriſimile, & cum Scripturæ non modò verbis, ſed etiam mente conſentiens: non illos duntaxat Salomonici templi parietes Cherubinorum prætuliſſe figuras, anaglyptico opere ex ipſis extantes ac prominentes; verùm ipſas quoque Moſaici tabernaculi cortinas, quæ eidem erant veluti pro parietibus, ſimili fuiſſe Cherubinorum effigie, opere plumario ſiue phrygio, Deo ita iubente, intertextas? Sic enim Exodi 26. capite, v. 1. vbi nos legimus: *Tabernaculum verò ita facies. Decem cortinas de byſſo retortâ, & hyacintho, ac purpurâ, coccoq́, bis tincto, opere plumario facies*: pro hiſce poſtremis, Hebræi & Septuaginta præferunt: *Cherubim opere facies eas.* Quod tametſi S. Hieronymus cum Ioſepho ſic acceperit, vt opus Cherubim aliud non ſignificet, quàm picturam quandam vermiculatam, etſi non Angelorum v. g. aut ſacrorum animalium ſed arborum florumúe figuram duntaxat exprimat: attamen nihil eſſe videtur, cur ipſa verborum proprietas deſerenda ſit; cùm fieri potuerit, vt opus eſſet plumarium aut polymitum, ſiue multiplici ac verſicolore filo contextum, & tamen picturâ referret Cherubinorum effigiem, quales auro effictos Deus propitiatorio præcepiſſet adiungi. Quemadmodum factum eſſe apparet in velo quod Salomon templo appendit, diſertè dicente Scripturâ de Salomone: *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpurâ, cocco & byſſo, & intexuit ei Cherubim.* *Ep. ad Marcell. l. 3. Antiq. c. 7.* *2. Parat. 3. v. 14.*

Conferatur ſanè locus hic cum illo Exodi, quem ſuprà protulimus:

tulimus: vtrobique eadem materia, byssus, coccus, purpura, hyacinthus; eadem forma, opus Cherubicum: verùm dum hîc Salomon velo suo figuras Cherubim intexuisse dicitur, clariùs expressum est, quod istic ambiguum fuerat. Vt prorsus credendum sit regem Salomonem, velum illud suum ad eam formam, qua ipsas cortinas, itemque vela tabernaculi, contexta conspiceret, effingere voluisse, ac proinde in illis figuras Cherubim, quales ipse expressit, inuenisse. Adde ita bellè inter se quadrare omnia, & parietes templi cortinis tabernaculi, velum velis, & vtraque arcæ, certâ & eleganti proportione respondisse. Quare ita sentit, tum Prado in Ezechielem, tum Alcasar in Apocalypsin scribens, alijque viri docti.

Ex his porrò, quæ siue de arca, siue de Cherubinis, veluti proprijs diuinæ Sapientiæ Symbolis paulò pluribus disseruimus; suspicionem nostram de templo Salomonico supremæ Dei Sapientiæ peculiari nomine dedicato, non vsquequaque à vero abhorrere, æquus Lector facilè iudicabit. Si præsertim insuper attenderit, etiam ex S. Thomæ mente, per sacerdotes ingredientes tabernaculum, homines sapientes significatos:
1.2. q. 102. itemque quod, vt idem ait, in Candelabro designabatur, si-
a. 4. ad 6. cut in signo sensibili, sapientia, quæ intelligibilibus verbis exprimebatur in tabulis.

Veruntamen priusquam ratiocinationem hanc concludam; libet in propinquo, nec inamœno fortè diuerticulo, vt nihil aliud, at modicum saltem interspirare.

CAPVT VIII.

Sphingum Ægyptiarum, & Cherubinorum templi, analogia. Etiam Sphingas, notas ac Symbolum Sapientiæ fuisse.

SPhingas effinxit antiquitas, virginis vultu, cætera leonis corpore, alis duntaxat tergo adiectis. Has in fabulis Græci, Ægyptii inter sacras notas atque arcanas habuere. Neque obscura est horum mysticorum animalium, & sacrorum templi Cherubinorum analogia.

Primùm enim, vt Cherubinos illos ex plurium sensu quadriformes fuisse diximus, & hominis, leonis, aquilæ, vitulique

facie (quidquid hoc nomine significetur) constitisse: ita Sphingas dicere possumus, vti hominem vultu, leonem corpore, ita alis aquilam retulisse, solo deficiente vituli habitu; non adeò magno discrimine, si verum est, quod tradunt nonnulli, in Cherubinis sanctuarij, vti aquilæ in solis alis, ita vituli faciem, in solis pedibus vngulaue bifidâ, apparuisse. Vt non immeritò Villalpandus & alij dixerint: Sphingas Ægyptiorum, simias fuisse Cherubinorum. *Tom. 2. l. 4. c. 36.*

Accedit deinde & arcanæ ac sacræ, in vtrisque significationis affinitas. Nam quamuis physicâ quadam ratione, & ad siderum coniunctiones aut conspirationes accommodatâ, eò videatur Sphinx Ægyptia vno Virginem corpore Leonemque complexa, quò indicaretur, Nili incrementum atque exundationem (cui etiam fluuio Sphinx sacra fuisse traditur) potissimùm existere, sole Leonem ac Virginem, affinia sibi atque coniuncta signa, obtinente de quo Kirkerus noster in Oedipo: *T. 3. Synt. 15.* attamen Theologicâ ratione, seu spectato eius hieroglyphici in sacris vsu; vti Cherubini, ita & Sphinges, arcanarum rerum ac sublimium cognitionem repræsentabant. Id ita in primis attestante Plutarcho, libro de Iside & Osiride cap. 3. vbi cùm docuisset, Ægyptiorum sapientum Philosophiam occultatam fuisse fabulis, & obscuris sermonibus inuolutam: *Quod sanè ipsi declarant* (subdit) *ante templa Sphinges plerumque collocantes, quo innuunt, suam sacrarum rerum doctrinam conflare perplexâ, & sub inuolucris latente sapientiâ. Quod Saï est Mineruæ simulacrum, quam eandem cum Iside arbitrantur, hanc habebat inscriptionem: Ego sum omne, quod extitit, est, & erit, & meum peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Ista Plutarchus. *L. 5. Strom.* Cui consonans Clemens Alexandrinus: *Et ideo Ægyptij quoque* *T. 3 Synesius orat. de regno.* (inquit) *ante templa ponunt Sphingas, quia omnis de Deo oratio, ænigmatica est & obscura.* Eademque fortè ex causâ factum, vt in Mineruæ simulacro, quod Athenis in arce celeberrimum *Pausan. Atticis.* Phidias posuit, ad galeæ conum Sphinx esset apposita, gryphibus insuper ipsam galeam vtrimque sustinentibus; quòd ea scilicet animalia, arcanæ & occultæ Sapientiæ, Symbola haberentur.

Itaque existimarunt viri docti (& in his noster Cornelius) *In 25. Exod. v. 18.* vti Cherubinos, ita & Sphingas, Symbolum fuisse arcanæ ac diuinæ Sapientiæ: atque eapropter Ægyptios delubris suis Sphingum imagines proposuisse, quò videlicet significarent,

ſacras in ijs ac Symbolicas diſciplinas tradi ſolitas; quarum vtique cognitio penes ſolos ſacerdotes reſideret: quippe qui (vt ſcribit Ioſephus libro 2 contra Appionem) *hæc duo dicunt ſibimet ab initio eſſe præcepta, vt & Deos colant, & Sapientiam diligant.* Et Clemens Alexandrinus eo loco quem ſuprà notauimus: *Ægyptij* (inquit) *non quibuſlibet ea, quæ erant apud ipſos, committebant myſteria, neque rerum diuinarum cognitionem deferebant ad profanos; ſed ad eos ſolos qui erant ad regnum peruenturi, & ex ſacerdotibus, ijs qui iudicati fuerant probatiſſimi, & educatione, & doctrinâ, & genere.* Porrò myſticas illas litteras, duntaxat in fanorum adytis, à ſacerdotibus tradi conſuetas, ex eodem Clemente conſtat, dum eiuſdem operis libro 1. docet, Pythagoram in Ægyptum venientem circumciſum fuiſſe, *vt in adyta ingrediens, Ægyptiorum myſticam diſceret Philoſophiam.* Cap. 6.

Quamobrem etiam inter Symbola, de quibus agimus, id videbatur intereſſe: quod Sphinges quidem Symbolum eſſent, non colendæ, ſed tradendæ diuinæ Sapientiæ; propter quod etiam, velut ex Plutarcho & Clemente colligimus, conſuêrant profanorum foribus, aut pro adytis ſanè, indifferenter collocari, ſiue in his Iſis coleretur, ſiue Oſiris, ſiue aliud quodpiam Ægyptiacorum monſtrorum potiùs quàm numinum: at verò ſacrorum Cherubinorum effigies etiam intra adyta receptę eſſent; velut qui Symbola eſſent, immò ſtipatores atque aſſeclę, diuinæ Sapientię, cui eo in templo, præcipuo ſtudio, ac peculiari nomine, cultus adhiberetur.

Cæterùm in his quæ hîc tradimus, nemo ſic, opinor, allucinabitur; vt cùm S. Stephanum in Actis Apoſtolorum dicentem legerit: *eruditum fuiſſe Moſem in omni Sapientiâ Ægyptiorum*, atque adeò & myſticâ illâ, ſiue Hieroglyphicâ, quod disertè tradit Philo Hebræus, & poſt eum Clemens Alexandrinus; incautiùs fortaſſis exiſtimet, Cherubinos ſacri tabernaculi, ad Ægyptiarum illarum Sphingum imitationem, effictos fabrefactosque fuiſſe. C.7. v.22. L. 1. Vit. Moſ. L.1. Strom. c. 13.

Vt enim non dicam, quàm id parum eſſet cum diuini cultus ſanctitate, dignitateue conſentiens; ſatis conſtat è diuinis litteris, vniuerſa quæ Moſes in Dei tabernaculo perfecerit, feciſſe ſecundùm exemplar, quod ei in monte Sina monſtratum eſt. Eſtque omnino veriſimile, Hebræorum ſacra, fuiſſe pleriſque Græcorum Fabulis, Ægyptiorumue Symbolis,

vetuſtiora: ſecundùm quod Euſebius in Chronico, ea nominatim quæ de Sphinge & Oedipode narrantur, refert ad Gedeonis tempora, annis poſt Moſen ampliùs ducentis.

Poriùs igitur Sphingas ſuas Ægyptii de Hebræorum Cherubinis mutuati fuerint: quod equidem tradunt plures Interpretes, allegato in eam ſententiam ſæpe laudato Clemente Alexandrino. Verùm in Clemente, vbi allegatur, ſolùm inuenio: *Græcos ſeu Philoſophos ſeu Poëtas à Prophetis præcipua dogmata ſuffuratos*; &, *quod attinet ad occultationem, eſſe Hebraicis ſimilia Ægyptiorum ænigmata.* Neque (meâ quidem ſententiâ) quod ad Sphinges ſpectat, opus illis fuit ſimilis aliqua imitatio. Quemadmodum enim, velut in Obeliſcis cernere eſt, ex pleriſque animalibus ſibi notis ſua Hieroglyphica formauere: ita; cùm, vt conſtat ex Diodoro ac Plinio, in propinquâ Æthiopiâ Sphinges extarent, animal è ſimiarum genere, formâ, ei quâ depingi ſolet, haud multum abſimili; quod item animal lamiarum nomine fortè intelligitur apud Ieremiam in Threnis, ex quadam ibidem Cornelii noſtri huc applicatâ obſeruatione: facile illis fuit feram eiuſmodi ad ſua ſacra transferre, membris nonnihil ad Symbolicam ſignificationem accommodatis, atque aliis denique adjectis.

Diod. l. 4. Plin. l. 8. c. 21. Niceph. Call. l. 9. c. 19.

C. 4. v. 3.

Quod enim aliqui etiam Victoriæ ſignum, aliaſue eiuſmodi alatas effigies, quas Romani Græciue adhiberent, ex Cherubinorum affini figurâ deſumptas ſignificant: non magis mihi fit veriſimile. Cùm procliue admodum fuerit ingenioſis hominibus, Poëticâ quadam ratione, velut in ſermone ac ſcriptione, ita in picturâ atque ſculpturâ, Victoriæ, Famę, Cupidini, Genijſque alas affingere, ad eorum ſeu celeritatem, ſeu ſubtilitatem ſeu alias quaſdam affectiones, ſubindicandas. Quo in genere quiddam ſubijcio, non admodum fortaſſis à propoſito argumento abhorrens.

Etenim iſtorum ſacrorum noſtrorum animalium, nonnullum inſuper veſtigium, ſeu rudem quaſi adumbrationem, inuenio in exoticâ Phœnicum Theologia. Siquidem, vt ex eo fundem antiquiſſimo hiſtorico Sanchoniatone refert Philo Biblius apud Euſebium, inter cætera fabulabantur: Aſtarten Deam, Cæli filiam, Saturno fratri eidemque coniugi, primùm quidem quatuor attribuiſſe oculos, eorumque binos in corporis partibus anterioribus, binos in poſterioribus collocaſſe: alas deinde quatuor eidem fixiſſe in humeris, duas pro-

L. 1. præp. euang. c. 7.

tenſas,

tensas, quasi volaret; duas remissas, quasi quiesceret: postremò & duas alias ei ad caput alas statuisse, alteram ob principatum mentis, alteram ob sensus perspicaciam.

In quibus iam sublucere videtur nonnulla cum sacris animalibus nostris conuenientia: siue cum illis Ezechielis Cherubinis, qui & ipsi quatuor pennis instructi erant, binis extensis, & binis remissis quibus corpora sua obtegerent, facie insuper aquilæ ipsorum capiti supereminente: siue cum Apocalypticis animalibus, quorum vnumquodque habebat alas senas, & in circuitu & intus plenum erat oculis.

Ezech. 1. v. 11.

Apoc. 4. v. 8.

Istud eò fortassis comminiscente fabulosâ antiquitate, quò per alarum quatuor, partim extensarum & partim remissarum, mysterium significaretur; Tempus (quod Saturno repræsentari compertum est) ita perpetuo atque irrequieto cursu transuolare, attamen ex sese noua semper momenta, horas, dies, annos progignens, idem semper perstet atque perrennet quodammodo: capitis autem, seu alis, seu oculis, eius indicaretur Sapientia. Quippe cùm veritas meritò dicatur Temporis filia, & tempore magistro artes ac scientiæ inuentæ sint, & ipso tempore, multa quæ latent aperiantur: die videlicet (quod ait diuina Scriptura) diei verbum eructante, & nocte nocti scientiam indicante. Quod phrasi aliâ, sed sensu eodem, expressit Publius Syrus, cùm dixit: *Diem posteriorem prioris discipulum esse.*

Gasp. Sanct. in Ezech.

Addere placet, quod quidam obseruant sacrarum litterarum Interpretes, quam in Cherubicis animalibus, ad gloriosam sacramque significationem inditam vidimus quadriformem speciem; eandem in rege Babylonis Nabuchodonosore, iam ejecto ab hominibus, ad ignominiosam monstrosamque fœditatem, sed obscuriori ignobiliorique ratione, apparuisse: immò si S. Iustinum audimus, eorundem sacrorum animalium visionem ac speciem, Ezechieli Prophetæ oblatam, nonnullum, ad imminens infelici Principi supplicium, respectum habuisse.

Cui commentationi occasionem præbuit; quòd vbi apud Danielem in vulgatâ nostrâ legimus: *donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*; apud Septuaginta legatur: *donec capilli eius quasi leonum creuerunt, & vngues eius quasi auium.* Sic enim, cùm hominis speciem ipsâ naturæ conditione retineret, bouem autem totius

C. 4. v. 30.

corporis ad herbarum pastum projectione, incessu item, ac forte mugitu, imitaretur; iam aquilæ quoque ac leonis quiddam habuerit, *vnguium aquilinum in morem* (vt Tertullianus ait) *efferatione, & capilli incuriâ horrorem leoninum præferente.* De pœnit. c. 12.

Veruntamen ipsa S. Iustini Martyris verba ponamus. *Per visionem autem Ezechielis, indicata ea sunt quæ regi Babylonis Nabuchodonosori fuerant euentura, ad Israëlitarum qui Babylone captiui erant, animorum consolationem. Vidit enim sacer vates quadriformia animantia, similitudinem obtinentia hominis & leonis, vituli & aquilæ. Memorat autem de Nabuchodonosor, creuisse vngues eius, sicut vngues aquilæ, & capillos eius, vt iubas leonis, eumq́; ad instar vituli herbam esse depastum, & cor hominis datum esse ei.* Quæ postrema, etsi verborum ratione, cum Daniele eius regis statum infelicem describente, minùs consentiant, attamen sensum verum habent; nempe eum Principem, humanâ naturâ ac substantiâ, etiam in illa infelice suâ metamorphosi, constitisse. Quæst. 44. ad Orthod.

CAPVT IX.

Aurei vituli, quos Ieroboam fecit rex Israël, num affine quicquam cum templi Cherubinis habuerint?

ANimum quandoque pulsauit ista dubitatio, neque adeò fortè, quàm primâ fronte videatur, absurda, neque ad rem nostram nihil faciens: Fuerintne simulacra illa, quę initio regni sui, populo Ierosolymis auertendo, conflari iussit Ieroboam, quæque sacer textus passim vitulos, siue (vt ferè Septuaginta) vitulas, aut etiam vaccas appellat, reipsa vitulinâ effigie, an potiùs Templi Cherubinis affinia, siue ad eorum similitudinem atque imitationem efficta?

Principio enim, rem per se spectando, videbatur creditu difficile: Principem, cætera haud incallidum, nec rei politicæ inscientem, in pręcipui momenti capite, eâ inconsiderantiâ vsum esse: vt, cùm viros pios ac legis diuinę retinentes, obtentu aliquo detinere vellet, ne fortè diuini cultus studio ascendentes Ierosolymam, pristinos itidem aduersus Dauidis domum sensus resumerent, & ad Dominum suum Roboamum

mum regem reuerterentur; continuò illos ac manifestè ad cultum idolorum vocaret, aureisque vitulis propositis, antiquatâ illâ & in suis olim maioribus intantum damnatâ idololatriâ, implicari posse crederet. Porrò, ad id velle, etiam reluctantes compellere; aliud non esset, nisi factionibus parum opportunis ad id temporis, ansam præbere; atque adeò, non regnum affirmare, quod ille vnicè intenderet; sed imbecillum atque nutantem (vt in illis quidem principijs) rerum suarum statum, in casum ac ruinam impellere.

Ergo id potiùs videri poterat callidè nec insipienter excogitasse; vt specie antiquæ pietatis retinendę, templa duo intra regni fines ad Ierosolymitani similitudinem extrueret, in ijsque (cùm arcę imitamentum, à Deo infessæ, totque prodigiorum patratricis, nullo hactenus exemplo, aut probabili ratione, auderet effingere) saltem Cherubinos, Salomonis exemplo, duos faceret, qui arcam ipsam, cuius administri & velut custodes ac stipatores haberentur, repræsentarent: perinde atque si eo pacto significare vellet, etiam in regno Israëlis coli veri Dei Sapientiam, cuius ipsi Cherubim, non minùs quàm arca fœderis, diuino instituto Symbolum essent.

Hoc enim, tametsi in reipsa esset à vero Dei legitimoque cultu defectio; vt qui non nisi in templo vnico, certisque adeò ritibus, qui magnâ ex parte à Ieroboamo peruerterentur, coli se præceperat; sensimque cultorum animos ad ea simulacra pro Dijs habenda disponeret, idque non nesciret, ac fortè non nollet Ieroboam; quippe qui religionis dissidio, gentis vtriusque abalienandos animos, suumque regnum eo stabiliendum intelligeret: non tamen adeò manifesta res erat per sese, quin posset in fraudem induci populus simplicior, omni iam ad verum Dei templum accessu prohibitus: cùm & alioqui rex Ieroboam solennitatem tabernaculorum, in similitudinem solennitatis quæ in Iuda celebrabatur, indixisset, & forsitan in quibusdam alijs, legitimorum templi rituum vmbram aliquam tueretur.

Cui conjecturæ accedebat & illa, ex ipso sacro textu, non leuis in speciem, suspicio. Manifestè enim Scriptura diuina, Ieroboami peccatum, qui proposito vitulorum cultu peccare fecit Israël, & peccatum Achabi, qui seruiuit Baali, eiusque cultum introduxit, grandi quodam discrimine separat: atque hoc præ illo, velut grauius odiosiusque, nimio plus abomina-

tur.

tur. Sic etenim de Achabo rege loquitur scriptura, 3. *Regum cap. 16. v.30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. Nec sufficit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat: insuper duxit vxorem Iezabel Filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abijt & seruiuit Baal, & adorauit eum. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificarat in Samaria, & plantauit lucum* &c. De Iehu autem Filiorum Achab interfectore, libro 4. cap. 10. v. 28. *Deleuit itaque Iehu Baal de Israël. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel & in Dan.* Ideoque subiungitur, non custodisse *vt ambularet in lege Domini in toto corde suo*: quòd videlicet, sublato illo grauiore ac detestabiliore Baalis cultu (propter quod à Deo laudatus est) in illa magis tolerabili vitulorum idololatriâ permanserit. Quæ tam exaggerata atque inculcata, inter cultum Baal & vitulorum aureorum, discriminis ratio, minùs sanè apparet, si & hi non sacris templi Cherubinis assimiles, sed veri & meri erant vituli, ad similitudinem eius quem Aaron olim adorandum proposuerat, fabricati. Quid enim adeò interesse poterat, Baalne siue Iouem coleres, an Apim seu vitulum Ægyptium? quando in vtroque par esset, aut æquè manifesta, idololatriæ ratio.

Neque his denique satis obstabat illa in aduersum oppositio. Quòd videlicet non appareat, quamobrem illę, si non vitulorum, sed Cherubinorum erant effigies, vbique à Scriptura, vituli aut vitulæ, seu etiam vaccæ Bethauen, appellentur.

Primùm enim id fieri potuit ignominiæ gratiâ. Nam cùm eæ Cherubicæ effigies, non iam ad vsus suos legitimos adhiberentur, neque enim ampliùs ad arcæ aut templi ornamentum, siue in signum cuiusdam ministerij (quo duntaxat modo permissas fuisse Iudæis eiusmodi imagines, contendit Vasques 3. p. d. 104. c. 6.
& alij; quam etiam ob causam expressè docet Tertullianus, Cherubinos templi longè diuersas habuisse causas ab idololatriæ conditione) sed vt per se stantes proponebantur, & modo adorationi accommodato; vnde etiam mox in vera idola degenerarunt: hac inquam ex causâ meritò cœperunt abominationi esse Dei cultoribus; & contemptûs gratiâ, ab eo quod in illis vilissimum esset, appellari. Lib. 2. adu. Marc. c. 22.

Quemadmodum & serpens æneus, quem Deus salutis ac mysterij causâ in deserto à Mose erigi iusserat, postquam ei thus adoleri cœpit à populo, præbuitque occasionem idolola-

 triæ,

trix, in odium venit, & à rege Ezechia confractus est; vt dicitur 4. Regum 18. capite v. 4.

Deinde quia in reipsa videri poterant Cherubini (vti quidem ab Ezechiele describuntur) magis ad figuram vituli seu bouis accedere: cùm, præter vitulinam faciem, quæ ex ipso textu videtur fuisse quidpiam à pedum plantâ distinctum, etiam vituli pedes haberent. Quapropter & Vgo Cardinalis, Ezechielis capite 10. dicit, quod licet in illis facies hominis esset principalior secundùm dignitatem, facies tamen vituli erat principalior secundùm proprietatem. *Et ideo si rectè perpendimus* (inquit) *vituli facies corpori magis congruebat, in tantum vt quodam proprietatis iure, hæc facies descripti animalis, specialiter vituli dici debeat.* Et infrà: *Quid itaque est, quod animal, quod quatuor facies habuit, vitulinos pedes accepit: nisi quòd vitulina proprietas præ cæteris ampliùs aliquid sui iuris in eius corpore vendicauit?* Sic Vgo.

Postremò: quoniam (quod quidem obseruatu dignum est) etiam ipsi sacri Cherubim, vituli nomine videntur à Scripturâ significari: dicente Ezechiele capite 10. v. 14 de suis mysticis animalibus: *Quatuor autem facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub, & facies secunda, facies hominis; & in tertio, facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* Vbi manifestum est; faciem Cherub pro facie vituli (prout annotauit S. Hieronymus; & in sua versione expressit Arabicus Antiochenus) & consequenter Cherub pro vitulo seu boue, vsurpari. Siue id ita factum dicamus, eâ causâ quam modò cum Vgone Cardinale protulimus: siue quòd, vt mauult Ludouicus ab Alcasar, citato S. Hieronymo, Cherubini templi vnicâ facie, eaque vitulinâ prædiri fuerint. Tametsi, vt idem autor obseruat, dupliciter id possit intelligi; primò de facie prorsus vitulinâ; secundò de facie quidem humanâ, sed quæ vitulinam referat ipsâ sui conformatione.

In Apoc. c. 4. v. 7. notat. 8. Quo posito, *verisimile statim fit* (subdit in rem præsentem idem Alcasar) *vitulos aureos Ieroboami fuisse eisdem Cherubinis nonnihil similes, vt ad eorum cultum faciliùs Israëliticus populus pelliceretur.* Qui deinde subiungit, eos nihilominus per irrisionem atque contemptum appellatos in sacrâ Scripturâ vitulos; ne Cherubinorum appellatio tribueretur ijs, per quos populus à veri Dei cultu auocaretur. Hæc ille; satis significans, non abhorrere se ab eâ quam præ-

ſenti capite de Ierobeami vitulis propoſuimus, cogitatione.

A quâ item non multùm alienus videtur doctiſſimus Genebrardus in ſuâ Chronologiâ; dum Ieroboamum ait, *magis hæreticum & ſchiſmaticum, quàm apoſtatam vel idololatram fuiſſe*; inquantum ſcilicet, vti mox ſubdit, *noluit ſacrificare Ieroſolymis, & cum eis communicare, qui in Moſis & Prophetarum cathedra ſedebant; ſed in Dan & Bethel, vbi templa noua conſtruxit, & loco Cherubim, vitulos dedicauit. Alioqui circunciſionem, ritus ſacrificiorum, cæremonias legis, adeoq́; totam legem Moſaicam retinuit, vti & conſecuti Reges, vſque ad Achab, qui ad iſtam hæreſim adiecit cultum Baalim, ſiue Belorum.* Hæc Genebrardus.

Veruntamen hæc ipſa cogitatio, etſi ex allatis coniecturis, videatur nonnullum colorem, ſeu veriùs vmbram, alicuius probabilitatis accipere; vereor tamen vt ſolida ſit, & cum ſacræ Scripturæ, non verborum duntaxat proprietate, ſed aperto ſenſu ac veritate conſiſtere poſſit. Cùm tamen nobis ſit ſtudioſè cauendum in ſimilibus, ne dum nimiùm indulgemus ingenio, & quaſi plus æquo ſubtiles videri volumus, genuinum interim Scripturæ ſenſum, & veritatem ipſam amittamus.

Illa ipſa ſanè Ieroboami, vitulos à ſe conflatos populo proponentis, atque ad eorum cultum adhortantis, oratio: *Ecce Dij tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti*; quâ & olim 3. Reg. 12. v. 28.
vſus fuerat populus, cùm ad Aaronici vituli cultum ſeſe prouocaret in deſerto; nimiùm apertè ſignificat, contendiſſe ac Exod. 32. v. 4.
perfeciſſe Ieroboam, vt populum Iſraël, à veri Dei cultu ac religione auerſum, ad antiquam illam maiorum ſuorum idololatriam reuocaret; atque adeò ex eorum imitatione, *ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, veri inquam vituli, puta Apis Pſal. 105. v. 20.
aut Mneuis Ægyptij, illi propoſuiſſe adorandam & pro Deo habendam. Hoc enim ſine dubio exigunt illa verba: *Ecce Dij tui* &c. Niſi fortè quiſpiam, ipſum quoque Aaronem contendat, non veri vituli, ſed Cherubini ſimulacrum conflaſſe, ac filijs Iſraël colendum propoſuiſſe; cùm nondum illis, aut viſa eſſet aut audita (ſaltem vulgò) Cherubini figura.

Rectè igitur S. Hieronymus, ad illa verba Oſeę capite 8. v. 6. *Quia ex Iſraël & ipſe eſt: Exponit* (inquit) *quis ſit iſte vitulus; quia ex Iſraël & ipſe eſt: Non ab alijs*, ait, *vitulum gentibus accepiſtis; vt Baal & Aſtaroth à Sidonijs, vt Chamos à Moabitis,*

vt Moloch ab Ammonitis: sed vos ipsi, & rex vester Ieroboam, quod in Ægypto didiceratis, fecistis in Israël. Et sanè prorsus est verisimile, quod ibidem tangit, & Oseæ 4. capite magis exprimit, Hieronymus: Ietoboamum, qui Salomonis metu non paruo tempore commoratus esset in Ægypto, eorum imbutum superstitione: atque eò fortassis, quòd duos istic boues coli animaduerterat, alterum Memphi, Apim dictum, eumque Isidi seu Lunæ sacrum; alterum Heliopoli, qui Mneuis diceretur, atque Osiridi siue Soli sacer esset; id quoque imitandi studio, duos & ipsum vitulos fabricasse, & alterum in Bethel, alterum in Dan constituisse.

Denique, vt Patres reliquos, & consensum Interpretum omittam: profanas atque sacrilegas idolorum gentium figuras à Ieroboamo inductas, & pro Dijs propositas, manifestè conuincit; tum illa Ahię Prophetæ Dei nomine eidem facta op-
3. Reg. 14. v. 9. probratio: *Operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares*; tum quod de eodem dicitur 2. Paralip. capite 11. v 15. *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorumq; quos fecerat.* Quæ nimis fortia sunt, quàm vt vllis in contrarium coniecturis locus esse possit.

Atque post hęc scripta vidi Robertum Visorium Theologum Sorbonicum, etiam pluribus eadem tradentem atque firmantem, aduersus Franscisci Moncæi ingeniosos, sed iusto licentiores, conatus, qui libro edito, hoc titulo [*Aaron purgatus, siue, de vitulo aureo non vitulo*] tum vitulos aureos Ieroboami, tum antiquum illum Aaronicum, operosè defendit, fuisse ad Cherubinorum similitudinem expressos; eâ etiam gratiâ, illud commentus, Cherubinos quidem Salomonicos humanâ figurâ constitisse, Mosaicos autem, vitulinâ penitus, alis exceptis: conatus insuper, nimis manifestè repugnante Scripturâ, non modò Aaronem, sed ipsum etiam Ieroboamum, eo in facto ab impietatis & idololatrię culpâ purgare; propter quod meritò librum suum vidit Romæ proscriptum.

Porrò ad primam suspicionem initio capitis propositam, facilè dicetur; id ausum fuisse Ieroboamum, fretum, partim populi ad Idola colenda procliuitate, accedente præsertim nupero Salomonis exemplo; partim eiusdem à Dauidis familiâ, ingenti, & quę rebellionis periculum facilè amoliretur, abalienatione.

Ad

Ad alteram: Achabi peccatum, præ quàm Ieroboami, fuisse detestabile; tum quòd is alia super alia idola, maiori populi scandalo, superinduceret; tum quòd cultus Baal præ cultu vitulorum, multis in rebus fœdior & absurdior esset, multoque longiùs à casto & puro Deum colendi ritu recederet.

Postremò, vt verum sit; speciali aliquâ ratione, sacris illis animalibus vituli appellationem tribui posse: at certè aliud velle Scripturam, dum de vitulis Ieroboami loquitur. Præsertim autem, si verum sit, quod tradunt Patres communiter, apud Sanctium & alios, simulacra illa Ieroboami (vti & vitulum Aaronicum) non fuisse nisi caput bubulum, nullo adiecto corpore: eo enim pacto minùs apparet, eas effigies, Templi Cherubinis affines, aut assimiles fuisse. G. Sanct. Osea 10. n. 23.

Nunc ergo omissis hisce quasi diuerticulis, in viam denique, & tanquam orbitam, regrediamur.

CAPVT X.

Concluditur demum antea à nobis proponi cœpta, atque ab arca fœderis & Cherubinis templi desumpta, ratiocinatio.

VT igitur primum hoc argumentorum nostrorum caput, ipsâ rei totius velut sub oculos subiectione, concludam: hactenus à nobis partim ex arcâ & legis tabulis, partim ex Cherubinis, siue ipsi arcæ, siue reliquo templo additis, alijsque rebus eiusmodi petitas non paucas coniecturas, quasi tandem rei indagandæ notas ac vestigia, aliquantum valere censebam, ad eam in qua modò versamur, de Salomonico templo diuinæ Sapientiæ speciatim dicato, commentationem.

Nam si quisquam certè gente Chaldæus, aut è vicinâ Ægypto sapiens, quem tandem Deum Iudæi colerent, cognoscendi cupiditate teneretur, & intrò in ipsa admissus adyta, nullum quidem istic eorum, qui ab alijs gentibus Deorum loco haberentur, simulacrum inspiceret, sed arcam duntaxat illam admirabilem, subter alas Cherubim, in ipso arcano constitutam contemplaretur; is equidem primùm pro more istorum temporum, vel hunc esse Hebræorum Deum (velut censuisse dictitasseque Palæstinos suprà vidimus) vel,

 vt

vt supra vulgus sapiens, in hac certè arcâ vim quandam inesse superiorem atque diuinam atque adeò illud ipsum Numen quod arca referret exhiberetque, in eâ tot illis sacrificijs, tamque magnifico cæremoniarum apparatu, adorari scilicet existimaret. Quod si ille porrò, vel quadam mentis solertiâ, vel ita tradente ac demonstrante Mystagogo, intelligeret denique, hoc quidquid est operis admirabilis, non vtique Numen vllum esse, sed Dei supremi ac præpotentis sedem quandam ac solium, in arcâ illâ, siue ex illâ, Hebrææ genti leges dictantis, iura tradentis, de rebus futuris abditisque oracula fundentis, & ad omnem virtutem ac sapientiam populum suum erudientis; eamque proinde mysticam arcam, ratione quadam propriâ, sempiternę Numinis Sapientię, quę gentis magistra, dux, præses esset, effigiem ac simulacrum esse: iam nulla profectò ei relinqueretur dubitatio, à gente Hebræa Deum vtique verum, seu cœli terræque vnicum conditorem ac Dominum eo in templo adorari, verùm sub figura ac typo supremæ Sapientiæ; tum adeò Ædem illam augustam & orbe toto celeberrimam, esse diuinę Sapientiæ propriam, eoque nomine censendam atque appellandam. Eandemque mentem iniici oportere existimabam, cuicunque ea quę diximus, & ipsum præsertim templi ornatum apparatumque, haud indiligenter consideranti.

Etenim, vt rei paulò ampliùs exaggerendę ad prisci æui gentium mores sermonem accommodem: si tibi fanum aliquod ingresso, primùm occurrat incurratue in oculos, Iouis simulacrum ex auro solidum, vel pretioso ex ebore, idque vel solum, vel loco principe, ac præcipuo ad venerationem; tum verò vndique per ædis latera, perque omne rectum aut laquear, afficta cernas aut appicta Dei insignia, fulmen trisulcum ac flammans, dubitare non possis, cui tandem Deorum hoc quidquid est templi consecratum sit: cur id, quod iam tuę contemplationi subijcimus, Salomonicum templum, diuinæ dubites assignare Sapientię, cuius æde totâ, impressa signa atque Symbola, immò tanquam expressa simulacra, possis agnoscere?

In Critia. Ingens quoddam fanum olim perhibet aut fabulatur Plato fuisse in Atlanticâ Insulâ, auro, argento, orichalco, ebore; aureisque statuis mirificè exornatum, & huic, quo de agimus, Salomonico assimile: ad quod etiam fortè cùm ista scriberet,

Plato

Plato respexerit: quippe quem credibile videatur, sacras litteras nonnihil gustasse, & Iudaicos ritus & instituta aliquousque introspexisse.

Ergo fanum istud Atlanticum (delectat etenim hoc quoque adferre paradigma, velut rei nostræ haud vsque adeò absimile) fanum istud, inquam, siquis hospes introgrediatur, ibique aureum Neptuni simulacrum aspiciat, sæuo de more tridente instructum; & Deum quidem (ex ipsa Platonis descriptione) curru insistentem, equorumque alatorum habenas, tenentem, vel, si ita malumus, hippocampis inuectum, aut ceto immani aliiúe belluę marinæ insidentem; circum autem delphinis insidentes Nereides centum, quot (vt idem ait) esse existimabantur: is sanè ex eo quod aspexerit, confestim agnoscat, istac in æde coli Neptunum; tametsi nulla id inscriptio doceat, nullus, aut mystes, aut mystagogus profiteatur.

Non absimiliter videbatur, nobis philosophandum in proposito: vt si animo saltem subeuntes ædem Salomonicam, in ipso intimo penetrali, in Sancto Sanctorum, hoc est parte templi sanctissimâ ac diuinissimâ, mysticam illam arcam depositam intueamur, quam intelligamus figuram præferre diuinæ Sapientię; tum verò alatas Cherubinorum effigies, non modò, minori modulo arcæ insistentes assistentesúe, aut etiam duorum colossorum specie, Oraculum omne alarum suarum protensione protegentes, verùm etiam passim toto templo sparsas atque insertas; simulque animaduertamus, Cherubinos ipsos, à scientiæ multitudine, sic appellatos, eiusdem diuinæ Sapientiæ Symbola, indices, administros esse, eiusque Reginę (vt ita dicam) veluti custodes corporis, & tanquam milites prętorianos: non videatur fieri posse, quin ipso aspectu atque contemplatione, ea menti incidat, sanè probabilis, neque à rebus ipsis abhorrens cogitatio; istam videri domum ædemque supremæ Dei Sapientiæ, hanc tot illis symbolis signari, honorari victimis, demumque (quod istis coniecturis efficere nitimur) Templum istud, diuino consilio, ac Salomonis ipsius destinatione, eidem diuinæ Sapientię priuatim erectum, ac nominatim dedicatum, consecratumque fuisse.

CAPVT

CAPVT. XI.

Affirmatur eadem cogitatio ipsius Salomonis autoritate.

HActenus coniecturis egimus, ex ipsius templi instructione apparatuque desumptis. Sed nihil opus est ijs nos insistere operosiùs; quando ei rei certius stabiliendæ & affirmandæ, diuinas litteras proferre licet, quibus, nec vno loco, id quod contendimus, luculenter expressum videri potest; si modò quis ad ea animum docilem, neque contrarijs præiudicijs auersum, attulerit. Locum vnum proferam hoc capite, alterum referam capite sequenti.

Ep. 22. c. 5. Primùm igitur Salomonem ipsum, *per quem* (vt ait S. Hieronymus) *se cecinit ipsa sapientia*, licet in suo facto testem excitare ac producere; quem quidem in suis Prouerbijs ad hunc modum audimus in rem propositam loquentem:

Prou. 9. v. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum*; vel, vt effert Chaldæus, *domum suam; excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis: Siquis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum* &c. Quem equidem locum dico ad litteram congruenter accipi de ipso Templo Salomonico, & ministerijs in eo exhiberi consuetis.

Nam tametsi in eo textu, & ipse allegoriam agnoscam, inquantum scilicet istic inducitur Sapientia, Reginæ instar aut præpotentis Matrisfamilias, conuiuium solenne ac magnificum adornantis, atque vniuersos promiscuè & communiter, summâ ad illud benignitate ac liberalitate inuitantis: domum tamen ipsam, ei conuiuio à Matrefamilias destinatam, in sensu vero ac proprio aio esse templum Salomonicum; quæ nimirum ab ipso Salomone domus appelletur Sapientię, quòd eam ipsa sibi construxerit adornaritque, & tanquam propriam ac familiarem, sibi inquam sacram atque addictam inhabitauerit: neque in hoc quidquam incongruens, aut ab vsu Scripturę alienum, à me produci.

C. 2. v. 20. & c. 3. v. 6. Nam, exempli causâ, in illis Ieremię verbis: *In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix;*

retrix; allegoria eſt, quatenus idolorum cultus innuitur eſſe fornicatio. Nec tamen idcirco, collis ſublimis & lignum frondoſum, etiam allegoricè accipienda ſunt; cùm, ſecundùm litteram verum ſit, in locis excelſis luciſque frondoſis, exerceri ſolitam idololatriam, quæ erat receſſus à vero Deo, & ſpiritale quoddam adulterium; idque iſtîc, à Propheta reprehendi. Simillimè igitur, quòd verbis laudatis Salomon, conuiuium deſcribat à Sapientia propoſitum, allegoria eſt: domum autem ipſam, ſeu locum myſtici conuiuij, cenſeo propriè de templo accipi: vti, & per reliqua ad conuiuij apparatum, inſtructionemque pertinentia, ſacra eiuſdem templi miniſteria, & varias Sapientiæ functiones, quę iſtîc ad Dei cultum, populique informationem exercerentur, adumbratas.

Et quanquam eò per ſe ducebat, ipſa (vt videbimus) verborum ac rerum conuenientia; eratque ſanè procliue creditu, iſtuc, dum hæc ſcriberet, obliquè reſpexiſſe autorem templi; quò vel operis ſui dignitatem hac ſaltem ratione modeſtè commendaret; vel indicium poſteritati relinqueret: teſtantur inſuper Patres noſtri Salazar & Cornelius, Hebræos per domum, templum Salomonicum accipere; eiuſdemque ſententiæ ſunt è recentioribus Hieronymus Prado & Ioannes Baptiſta Villalpandus, viri in templi rebus perquam ſtudioſè atque accuratè verſati. *In Ezech. c. 5. v. 7. Tom. 2. l. 3. c. 29.*

Expendamus igitur, quàm ſibi cuncta conſentiant, prolatâ breuiter totius loci commodiſſimâ expoſitione.

Sapientia (inquit ſapiens Salomon) *ædificauit ſibi domum*: hoc eſt (inquam) templum; quod equidem ipſa ſibi Sapientia erexerit, vtique vt domum ſibi propriam, ſibique titulo peculiari conſecratam.

Excidit columnas ſeptem. Quod referendum ad templi porticus & atria innumeris columnis è pario marmore exædificata. *Septem* autem dicit: quod eſt, vel *plures*, definito numero pro indefinito, Hebræorum phraſi; vel etiam *ſeptem*, quòd ſeptenis columnis ſinguli conſtarent earum ordines, ex Villalpandi deſcriptione. Adde Clementem Alexandrinum ſeptem ambitus in eo templo cum Hebræis agnoſcere. *L. 5. Strom. c. 3.*

Immolauit victimas ſuas: Quod dictum propter templi ſacrificia. *Miſcuit vinum*: propter libamina. *Propoſuit menſam*: quo alludi potuit ad menſam panum propoſitionis.

Quæ ſequuntur ad Sacerdotes pertinent; quorum, vt mi-

niſtrorum Sapientiæ, illud erat munus inter cætera, neomenias & dies feſtos indicere, & ſiue ſolenni tubarum ſono, ſeu quâ aliâ ratione, fidelem populum ad ſtata ſacrificia, Deiq́ue cultum prouocare.

Miſit, inquam, Sapientia *ancillas ſuas*; id eſt templi miniſtros & ſacerdotes. Nam & apud Septuaginta Interpretes hoc loco legimus *ſeruos ſuos*; quam lectionem ſequuntur Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij. Sed maluit Scriptor ancillarum nomine abuti, vt in cœptâ perſtaret allegoriâ. Is ſiquidem quaſi femineus comitatus decere videbatur principem feminam, quo ſchemate inducebat Sapientiam conuiuium ſuum adornantem.

Ad arcem verò; ſi quidem verborum magis obuiam conſtructionem ſequimur; id eſt ad templum, quod ad inſtar arcis extructum erat in monte Moria, loco excelſo atque munito: quò apprimè faciunt (quod ſaltem ad æuum poſterius attinet) illa Taciti libro 5. hiſtoriarum, de Ieroſolymæ templo ita ſcribentis: *Templum in modum arcis, proprijq́, muri, labore & opere ante alios: ipſæ porticus, quîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum.* Quod rurſum templum, videatur textus noſter appellare ciuitatem, ſiue ob templi vniuerſi incredibilem prorſus amplitudinem, ſiue ob atriorum, porticuum, exedrarum, quaſi in fora, vias, domos, aptam concinnamq́ue diſtributionem.

Quanquam ea profectò de arce ac ciuitate interpretatio, nihil admodum nobis eſt neceſſaria. Nam ſi textus reliquos, remq́ue ipſam propiùs inſpiciamus, deprehendemus, non dici miſſos à Sapientiâ, qui vocarent ad arcem, ſed miſſos ad arcem, qui vocarent conuiuas Sapientiæ: ſecundum quod etiam tradir Ioſephus libro 5. de bello cap. 9. feſta Iudaica per ſacerdotes de excelsâ turri populo indicta fuiſſe. Quo modo nihil eſt difficultatis in ſententiâ, ſed quadrant omnia perbellè, in eam qua de agimus Ædem diuinæ Sapientiæ; hoc eſt, vti probare intendimus, in templum ipſum Salomonis.

Fauet igitur intentioni noſtrę ipſa contextus ratio, & rerum inter ſe reſponſus & conuenientia; quæ eſt ipſa per ſe argumentum non vanum, ſeu indicium probabile, veritatis. Vt iam opus non ſit rei confirmandæ alias coniecturas adducere; aut etiam diuerſas à noſtrâ, iſtius loci interpretationes opere magno refellere.

Ariſt. l. 1. Prior. c. 32.

Quod

Quod enim vel Hebræorum quidam hic, domus nomine, aut mundum ipsum, aut encyclopædiam siue complexum scientiarum intelligunt; vel Patrum nonnulli istæ; aut de Christi humanitate; aut de Ecclesia interpretantur: videntur hæc aliquanto longiùs abire à litterâ, & ad sensus mysticos ac symbolicos magis pertinere.

Propiùs nobis accedunt, qui cum Ioanne Pineda, per domum Sapientiæ, Academiam intelligunt; siue (vt is autor) in arce Sionis, & iuxta Regiam; siue, vt alij, in Ierusalem iuxta templum, immò in templi atrijs aut porticibus, constitutam: in quibus est sanè credibile, plures extitisse tanquam exedras, tradendis omnium artium disciplinis, accommodatas. In quarum aliquâ dicere possumus cum Francisco Carthagena & alijs, constitisse puerum IESVM, cùm (vt ait Lucas) *inuenerunt illum* (parentes eius) *in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem.* *De reb. Salom. l. 3. c. 28.* *L. 10. hom. 10.* *Luc. 2. v. 46.*

Talem igitur aliquam Academiam intelligi credunt à Salomone, nomine domus Sapientiæ: quemadmodum scilicet publicum Vrbis Romæ gymnasium, in quo facultates ac disciplinæ traduntur omnes, videmus Sapientiam appellatum.

Additque ingeniosè Pineda: per columnas septem, quas excidisse dicitur Sapientia, non accipiendas esse columnas, quibus innituntur porticus ædis, sed septem artium liberalium suggesta, aut excelsas cathedras è marmore excisas atque elaboratas: Fauente nonnihil Optato Mileuitano, in quantum tradit: *In vertice Sionis septem fuisse Synagogas, vbi Iudæorum populus conueniens, legem per Moysen datam discere potuisset:* quibus tamen postremis, eas legi diuinæ condiscendæ significat, non liberalibus artibus tradendis, destinatas. *Lib. 3. adu. Parmen.*

Tandem in arce Sion extitisse quandam Academiam, seu gymnasium sapientiæ, ex eo videbitur firmari posse; quòd, pro eo quod nos Canticorum 4. v. 4 legimus de turre Dauid (quam fuisse constat in ipsa arce) *quæ ædificata est cum propugnaculis:* Doctores Hebræi apud Genebrardum legunt; *constructa ad disciplinas*, siue *ad doctrinam & monumenta*: quod continuò pronum est ita accipi, quasi ea turris, non tantùm esset armamentarium, sed etiam Bibliotheca regia, simulque arcanæ ac sacræ disciplinæ schola. Verùm alia mens est eorum Doctorum: quippe qui tantùm velint, eam turrim dici constructam ad doctrinam, seu disciplinam, quòd esset adeò eximiâ pulchritudine,

tudine, vt proposita videretur velut exemplar præstantissimum, ex quo discere posset quiuis artifex, qua ratione turris insignis ædificari posset: vel certè, quòd instar excelsę Phari viam doceret seu ostenderet. Adde, alios apud Gasparem Sanctium velle, constructam esse ad monumenta; *quia in ea collocabantur illorum monumenta, qui aliquid egissent præclarè*: vti esse possent arma quædam virorum fortium, manubię hostium, & (si ita placet) commentarij quoque, res à magnis viris præclarè gestas, continentes. Nisi magis velimus (in quod, eâ recentâ lectione, satis inclino) eo nomine venire documenta aut instrumenta, vt vocant, ad iura Principum, fines Prouinciarum, acta Iudicum, & alia huiusmodi, pertinentia; qualia vtique solent locis munitis ac bene occlusis conseruari: ita vt ea turris simul esset arcanum archiuum, seu tabularium aut chartophylacium regium.

Sed vtcunque ista se habeant: vti ire non possum inficias, fuisse illo æuo Ierosolymis Academiam eiusmodi, seu sacræ, seu profanæ Sapientiæ: cùm etiam S. Ioannes Chrysostomus scribens in Psalmum 47. dicat; eo tempore Ierosolyma fuisse διδασκαλεῖον τῆς γῆς, siue *publicum gymnasium, ludumue litterarium, communem orbis terrarum, & qui volebant* (inquit) *cultum & ornamentum capere hinc ea quæ bona & honesta essent, discebant*: ita proniùs existimem, prædictum locum Salomonicum, ad templum potiùs, seu Ædem ipsam vt diuino cultui ac sacrificijs deputatam, quàm ad disciplinarum Academiam vllam, Ædi sacræ adiunctam, abiunctamúe, pertinere.

Etenim, præterquam, quòd reliqua omnia quæ in eo textu adduntur, ipsi Ædi sacræ magis ex vero conueniant: Sapientia illa, quæ in sacris Scripturis commendatur, non in Academicis disciplinis aut theoreticis scientijs consistit, sed in Dei timore,

Iob 28. v. 28. cultu, reuerentiâ, dilectione: sicut scriptum est: *Ecce timor Domini* (Græcè θεοσέβεια, hoc est, pietas) *ipsa est Sapientia*;

Eccli. 1. v. 14. *& recedere à malo, intelligentia*. Et alibi: *Dilectio Dei, honorabilis Sapientia*.

In quem etiam sensum sæpe dicitur, timor Domini, esse initium, seu principium aut principatus, hoc est summus apex ac perfectio sapientię. Quæ videlicet practica atque ad salutem conducens sapientia, non in artium scholis discitur, sed in sanctuario, vsu ipso exercitationeq́ue comparatur. Neque enim, opinor, ad Academiam, sed ad templum inuitat illa oratio:

Venite,

Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: Isa. 2. v. 3.
quibus significatur ipsum Dei templum, schola quædam fuisse cælestis ac veræ, siue ad salutem conducibilis, Sapientiæ. Vnde etiam illud est; quod vbi in vulgatâ legimus Psalmo 42. v. 3. *Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem Sanctum tuum, & in tabernacula tua;* in Chaldæo sic legitur: *Ipsæ deducent me, & introducent me in montem domus sanctuarij tui, & in Scholas domus maiestatis tuæ.* Vbi manifestum est, si præsertim ea versio cum textu nostro conferatur, sanctuarium ipsum, scholas domus diuinæ majestatis appellari; quòd in sanctuario, sacroúe Dei tabernaculo, disceretur quanta sit summi Dei majestas, & quo ille cultu, religione, reuerentiâ obseruandus esset atque colendus.

Denique in Dei tabernaculo, cui templum successit, nulla erat eiusmodi Academia, vti clarum est: & tamen ipsum etiam tabernaculum, vt propriam suam habitationem, sibi vendicat Sapientia: quod est nunc specialiùs demonstrandum.

CAPVT XII.

Ad idem, ex IESV Filij Sirach Sapientiâ, non inefficax argumenti ratio.

EXplicato loco de Prouerbijs Salomonis, alterum adiungimus ex Siracidæ Sapientiâ siue Ecclesiastico: quos locos Villalpandus obseruat, *sibi mutuò mirabili quadam analogiâ respondere*; proindeque (quod videtur consequens) etiam lucem ac firmitatem sibi mutuò dare & accipere.

Apud Siraciden, Sapientiæ de se loquentis, dotesque suas commendantis, verba sunt ista: *In his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo; & dixit mihi: in Iacob inhabita;* & quæ sequuntur. Sunt enim hęc modò pensiculatiùs expendenda. Eccli. 24. v. 11. & c.

Diuina igitur Sapientia, quę tametsi res eadem cum Deo, seu reipsa Deus sit, attamen per quandam prosopopœiam hîc inducitur, velut princeps diuinitatis, in rebus condendis, Vniuerso gubernando; ipsisque regnis ac populis sub ditione suâ

continendis, administra; ait se denique post obitos cælos, circumcursata maria, & terram omnem perambularam, in his omnibus sedem quietis oblectationisque quæsisse; neque verò inuenisse adeò, donec ei Creator omnium, Israëlis gentem, velut dilectum atque electum, peculiaremque sibi populum, in quo moraretur, attribuit, & in quo deinceps sedem stabilem, perpetuumque tabernaculum seu domicilium figere posset. Nam, vti ex Græcis, & ipsâ contextûs ratione communiter obseruant Interpretes; quod in nostrâ vulgatâ legimus, *Requieuit in tabernaculo meo*, hunc sensum habet: *Requieuit*, hoc est, *requiescere fecit, tabernaculum meum*; seu (quod idem valet) *me in tabernaculo meo.* Ita vt hoc loco *requiescendi* verbum actiuè sumatur, acceptione non ignotâ Latinis autoribus; cùm non modò Plautus, verùm etiam Virgilius sic illud vsurpet, eo in versu: *Et mutata suos requierunt flumina cursus.*

Pharmaceut.

Ex hoc enim, vt indicant sequentia, Sapientia in populo Israël, velut in propriâ hęreditate ac possessione inhabitauit & radicata est; nimirum ratione templi, aut sacri tabernaculi; in quo pręsidens ipsa Sapientia, populum sibi commissum, fidem sinceram ac Dei legem edoceret, & in Numinis cultu legitimo, ac verâ castaque religione exerceret.

Quapropter subditur: *Et in habitatione sanctâ coram ipso ministraui*: siue, vt Græca habent expressiùs, ἐν σκηνῇ ἁγίᾳ, hoc est, *in tabernaculo sancto*, ἐλειτούργησα, hoc est, *solenne & sacrum ministerium obiui*; subaudi, *per ministros meos*: cùm omne quod istîc peragerentur sacrorum munerum, ad Sapientiam velut loci præsidem, cæremoniarumque antistitem, refertur.

Quasi dicat, interprete nostro Cornelio, eaque in parte nobiscum faciente: *In tabernaculo & templo Iudaico; in quo habitaui, sacra ministeria, per meos ministros, Leuitas & Sacerdotes, obiui, Deoq; sacrificia obtuli.*

Ex quibus equidem sat iam elucescit, quod intendimus: Templum videlicet, aut sacrum Dei tabernaculum, velut ædem propriam ac peculiarem, Dei Sapientiæ attributam atque dicatam; quam illa vt suam perpetuò inhabitaret, in qua præsideret diuinis religionibus, cuius illa denique *Dominædia* esset. Istac enim voce, à sese (opinor) confictâ, sed ipsi rei explicandę peridoneâ, non semel vtitur S. Paulinus; dum S. Felicem, eius Basilicæ in qua corpore requiescit, & ad quam Paulinus

linus habitabat, præsidem, *Dominadium* suum, hoc est, ædis Dominum, appellat. *Ep. 9. & 12. ad Sent. &c.*

Sed istud quod agimus, etiam, ni fallor, manifestius euadit ex sequentibus. Subdit enim: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificatâ similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.* Quasi dicat, ex sensu communi Interpretum: Ego Sapientia principio quidem in populo Dei habitaui per meum tabernaculum, in quo adhuc mobili & vago per annos multos peregrinata sum, atque varias Iudææ vrbes deinde peruagata; ac tandem simul cum arcâ Dei, Dauidis operâ, in Sion primùm firmata sum; tum verò in ciuitate sancta, hoc est in Ierusalem, in templo mihi à Salomone extructo, requieui, & sedem fixam atque mansuram accepi, ibique meam vim ac potestatem exercui.

Ex quibus profectò perspiciet, qui profundiùs paulò rem attenderit; non quomodocunque in Dei populo gubernando (quam Dei partem seu hæreditatem, ac sanctorum plenitudinem deinceps appellat) detentam esse, aut inhabitasse diuinam Sapientiam, sed potissimùm ratione templi, quod ipsi denique velut fixa sedes Ierosolymis extructum est: & consequenter hoc idem templum (quemadmodum antea sacrum tabernaculum) peculiari nomine Ædem fuisse diuinæ Sapientiæ. Quod quid aliud est, quàm quod suadere contendimus: ipsum nimirum templum Salomonicum supremæ Dei Sapientiæ priuatim ac propriè sacrum dicatumque fuisse?

Atque in hunc modum veteris instrumenti paginam, cogitationi nostræ propensè fauentem, neque vno loco nobis astipulantem, habemus.

CAPVT XIII.

Ex eo quòd, ex mente Patrum, is qui Moysi apparebat in deserto, fuerit Dei filius, nonnulla thesis nostræ confirmatio.

CÆterùm priusquam à testamento veteri ad nouum transeo; libet antedictis confirmandis coniecturam addere, ex Scripturâ quidem diuinâ petitam, sed adiunctâ Patrum autoritate roborandam.

Incredibili quippe consensu Patres, præsertim vetustissimi quique,

quique, cum tradunt qui in lege veteri, tum Patriarchis atque Prophetis, tum Mosi nominatim apparuit, fuisse Dei Verbum & Filium (seu Angelum, Filium Dei repræsentantem) qui sumptâ illâ corporeâ specie, & formâ hominis aspectabili, suo quodammodo in carnem aduentui proluderet, & tot figurarum & ænigmatum inuolucris adumbrata promeret mysteria, quæ deinde inter nos conuersans in apertum proderet, atque in semetipso completa, omnium oculis exhiberet. Fuisse igitur Dei Filium, Verbum inquam Patris & Sapientiam primogenitam, qui in rubo Mosi apparuerit, qui populum Israël in columnâ nubis ignisque; per deserta deduxerit, qui legem scripserit, qui sibi tabernaculum erigi, vngi sacerdotes, victimas immolari præceperit. Quò mirum iam videri non debeat, nec abhorrens à vero, sed potiùs Patribus diuinæque Scripturæ consentaneum: tabernaculum ipsum, ac deinde templum, supremæ Dei Sapientiæ proprio nomine ac titulo fuisse consecratum.

Proferamus loca Patrum nonnulla, eorum maximè, qui magis ad rem nostram faciunt; alijs prætermissis, qui magno numero possent adferri.

S. Hilarius libro 12. de Trinitate, disertè asserit; *Christum, seu Dei Sapientiam, adfuisse Iacobo vsque ad lucta complexum in habitu humano; Mosi in igne ostensum esse; & Prophetis demum reliquis sese in habitu variæ creationis ingessisse.* Quod ille adeò pro certo & constanti habuit; vt, cùm hos referret exponeretque, ab Semiarianis confectos Sirmiensis Synodi canones: *Si quis Filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem vel patrem eius, anathema fit. Si quis cum Iacob non Filium quasi hominem colluctatum* &c. nihil in his ipse reprehendendum putauerit. *De Synod. adu. Arianos.*

S. Ambrosius libro 1. de fide capite 5. extremo; de filij diuinitate aduersus Arianos disputans: *Hic est*, inquit, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui apparuit in rubo Moysi, de quo Moyses ait: Qui est, misit me: Non Pater in rubo, non Pater in eremo, sed filius Moysi locutus est.* Quibus confirmandis adducit in
C. 8. v. 56. sequentibus, tum illa Ioannis: *Abraham diem meum vidit, & gauisus est*; tum verba Baruch, quæ nos pòst paulò citabimus. Possentque proferri alia quædam; vt, quod Iudas ait in Epi-
Vers. 5. stolâ, *Iesum populum de terrâ Ægypti saluasse*; quod Ioannes,
C. 12. v. 41. *Isaiam vidisse gloriam eius*; & similia.

Porrò

Porrò Aurelius Prudentius in Apotheosi, cùm illud vniuersè dixisset:

Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Gnatum. Nam filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species quas posset homo comprendere visu.
Nam mera maiestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo nisi se moderamine firmet.

Tum id speciatim de Mose asserit, ita canens.

Inde figura hominis, nondum sub carne, Moysi
Obiecta effigiem nostri signauerat oris:
Quòd quandoque Deus Verbi virtute coactum
Sumpturus corpus, faciem referebat eandem.

At ante hos omnes, & disertissimè Tertullianus, tum alijs locis pluſculis, tum aduersus Praxean capite 16. vbi de Filio, seu Sermone & Verbo Dei disserens: *Ipse enim* (inquit) *& ad humana semper colloquia descendit ab Adam vsque ad Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper. Quæ persecuturus infinita, semper ediscebat; & Deus in terris cum hominibus conuersari alius non potuit, quàm Sermo, qui caro erat.* Et aduersus Iudęos capite 9. *Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit vnquam & vixit.* Ista Tertullianus.

Qui quidem in primis, quod Dei Filium in illis visis atque ænigmatis se exhibendo, ait edidicisse, quæ postea in carne erat persecuturus; quod rursùm his verbis alibi exprimit: *ediscens iam inde à primordio, iam inde hominem, quod erat futurus in fine:* anthropoparhūs (quod aiunt) loqui censendus est; & inuidia verbi sic mollienda, vt solùm velit: Quod cùm (vt ait Apostolus) omnia Hebræorum populo in figurâ contingerent; aut, vt idem alibi loquitur, priscæ legis status, non nisi vmbra futurorum, siue per Christum exhibendorum, esset: omnia quæ Christus, Prophetis apparens aut Patriarchis in lege veteri de semetipso proposuit, quædam veluti prolusiones, & tanquam meditamenta, seu rudimenta, rerum in lege noua exhibendarum fuerint; ac proinde quòd, quemadmodum homines, cùm ad opus aliquod magnum ac

Lib. 2. adu. Marcio. c. 27.

1. Cor. 10. v. 11.

Colos. 2. v. 17.

Hebr. 10. v. 1.

diffi-

difficile ſeſe comparant, ediſcunt priùs quod facturi ſunt, & ludicro quaſi experimento ſeſe exercent ad ſeria, ac meditatione multiplici operi futuro proludunt: ita Dei Filius ante ſuum in carnem aduentum, multis ac varijs meditationibus, figuris, vmbris, operi ſuo proluſerit: non quaſi ſeipſum illis exercens, aut erudiens (qui eſt ipſa Patris ars ac Sapientia) ſed tum vt operis quod meditabatur magnitudinem oſtenderet; tum vt viam ad illud, per ea quaſi rudimenta præſtrueret, atque ita demum nos ad ea quæ facturus eſſet capienda, non ſe ad illa nobis exhibenda, congruenter aptaret.

Et ſimili quadam loquendi figurâ vſus eſt Plinius libro 21. capite 5. vbi herbæ conuoluoli florem, per fruteta naſcentem, & lilij candorem formamque nonnihil referentem, ait eſſe veluti *rudimentum naturæ, lilia facere condiſcentis*: nimirum quaſi ipſa natura, ab opere rudi ad perfectum progrediens, primo illo conatu ad maioris operis perfectionem ſe exerceret, artemque ſuam, ſenſim ipſo vſu & quadam inductâ facilitate, erudiret. Quemadmodum rurſus is ipſe Afer, primum virtu-
De baptiſmo c. 9. tis Christi, in aquæ in vinum conuerſione, miraculum, prima rudimenta poteſtatis eius appellauit.

Quod omne proinde rectè expreſſit antea à nobis laudatus Chriſtianus Poëta, his verſibus; iſtam ſcilicet eiuſce rei rationem reddens:

Vt ſocianda caro, Dominoque implenda perenni,
Degenerem vitam, quam tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret Heri; ſimileſque per artus
Cernere conſortem terreni aſſueſceret oris,
Participemque ſuum, viſu velut obſide noſſe,
Et conſanguineo paulatim accedere Chriſto.

Cui affine quiddam infrà indicabimus ex Saluiano.

Maior fortaſſis eſt difficultas, in ratione quam tum Tertullianus tum alij adferunt; dicentes, Filium, & non Patrem, videri potuiſſe, quòd Pater non ſit aſpectabilis, dicente Scripturâ; Deum eſſe inuiſibilem &c. Quam difficultatem etiam attigit S. Auguſtinus libro 2. de Trinitate capite 17.

Quippe ſi de claro diuinitatis intuitu ſermo ſit; tam Filius quàm Pater ſecundùm eam eſt inaſpectabilis, tamque fieri non poteſt, vt ſeu ille, ſeu hic, ab homine mortali videatur.

Si

Si autem agatur de visu aliquo ænigmatico, puta in assumpto idolo aliquo corporeo, verbi causâ, figurâ humani corporis, in qua videtur Dei filius Mosi alijsque Prophetis communiter apparuisse: sic non minùs Pater quàm filius apparere poterat. Neque enim quisquam eò, opinor, absurditatis deueniet, vt dicat, quod significat Tertullianus, atque inter eius paradoxa *Parad. 19.* refertur à Pamelio: Dei filium Moysi v. g. non sub carnis dun- *Lib. 3. adu. Marcio. c. 9.* taxat imagine, sed in eâ ipsâ carne visum esse, quam postea tracturus erat è Virgine, nunc autem nescio vnde formatâ atque assumptâ.

Quod si hic vnius Tertulliani causa vertitur; dicere possis *Theol. tom. 2. l. 1. c. 5.* cum Petauio, istam ei mentem ex eo iniectam, quòd minùs rectè de Verbi substantiâ, eiusue cum Patre æqualitate senserit. Verùm quid facias alijs Patribus, penes quos nulla est fuliginis Arianæ suspicio?

Ergo vt istius difficultatis explicatione viam ad hoc ipsum quod efficere cupio, præstruam: dicendum in primis censeo; Patres illos, dum dicunt: Patrem videri non potuisse, sed solum Filium, non de absolutâ (vt loquimur) impossibilitate intelligendos, sed de eo tantùm quod rebus ipsis consentaneè fieret: quemadmodum etiam explicari solent, qui dicunt; Filium v. g. & non Patrem, pro salute nostrâ carnem sumere oportuisse.

Eius autem maioris congruentiæ, vt appareret ipse Filius, duplicem ab ijs insinuari rationem. Et priorem quidem ex eo petitam: quòd, cùm exhibitiones eiusmodi, in assumptâ carnis atque naturæ humanæ specie, communiter exercerentur, magis videbatur è rerum esse conuenientiâ, vt de tribus SSS. Triados personis, sese eâ formâ spectandum præberet is, qui aliquando formam serui accepturus, & habitu esset inueniendus vt homo: quò nimirum etiam hac ratione, humanis se sensim familiarem redderet obtutibus, neque vt peregrinus, ac videri insuetus, in gentem humanam, & vsus se nostros atque congressus inferret.

Vnde etiam illa sunt S. Hippolyti Martyris: *Hic dedit legem & Prophetas. In his igitur Verbum versabatur, loquens de seipso. Iam enim ipse suus præco erat, ostendebatque futurum esse, vt Verbum in hominibus appareret.* *De Deo vno &c.*

Atque illud decebat etiam; vt is legem scriberet, ferretque, qui olim eius instaurandæ & adimplendæ gratiâ, Doctor Vni-

C. 3. v. 36. uersi submittendus erat in terras. Quod Baruch Propheta etiam insinuare visus est; cùm de legis autore & fonte primæuo omnis Sapientiæ loquens: *Hic est* (inquit) *Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quasi idem Dei vnigenitus, qui homo factus postea in terris visus est, idem per seipsum Israëlis genti legem tulerit, atque omnem viam disciplinæ tradiderit.

Posterior à Patribus assignata congruentiæ ratio, ad Filium Dei pertinet, etiam vt Deus est, siue consideratum secundùm propriam suæ hypostaseos rationem. Cùm enim Filius ex notionis suæ proprietate, sit Verbum Patris, ratio, manifestatio, L. 1. Pedag. c. 7. L. 5. Strom. c. 3. Serm. 17. in Ps. 118. imago Patris, immò & facies, vt est apud Clementem Alexandrinum, Ambrosium &c. quî poterat Pater aut mortalibus loqui, nisi per Verbum suum, aut apparere, nisi per faciem suam, aut manifestare se, nisi per figuram substantiæ suæ, seu imaginem sui homousiam & consubstantialem?

Quomodo etiam S. Irenęus, hanc rationem adfert incarnati L. 5. c. 1. Filij: *Neque enim alius* (inquit) *enarrare potuit, quæ sunt Patris, nisi ipsius Verbum.* Quanquam hæc, vt dixi, congruentiæ tantùm rationem aliquam continent, non absolutę necessitatis.

Sed quæcunque Patres ratio mouerit; præsenti instituto satis est, ex eorum mente, Angelum Moysi se exhibentem, personam Filij speciali respectu repræsentasse. Nam si is qui Moysi in rubo ardenti, aut in Sinæ vertice apparuit, figurâ erat ac repræsentatione Dei Filius: ergo filius fuit, qui dixit, ipsa inquam primogenita Dei Sapientia: *Facientq; mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Filius, qui dixit: *Inde* Exod. 25. v. 8. & 22. *præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij.* Vt vel hinc quoque procliuior fiat nostra suspicio: Dei sanctuarium, non sine proprio quodam respectu ad ipsam, siue personalem, siue essentialem (vti loquuntur) Dei Sapientiam, erectum atque constitutum, eiusque cultui peculiari nomine sacratum, fuisse.

Videri possunt huc facere, quæ tradit Philo libro de Perfugis, his verbis: *Verbum diuinum istis omnibus superius* (nimitum arcâ, propitiatorio, Cherubim) *non cadit sub aspectum; vt quod*

nulli

nulli rei sensibili est simile; sed ipsum existens imago Dei, antiquissimum omnium intelligibilium, & summo proximum; quandoquidem nihil medium est, inter ipsum & Ens illud verissimum. Scriptum est enim: Loquar ad te supra propitiatorium de medio, duorum Cherubim, vt verbum virtutibus (puta Cherubinis) *pro auriga sit; is verò qui loquitur pro vectore, ad cuius celeusma, vniuersum hoc auriga regit & temperat.* Hæc Philo. De mundi opif.

Quæ forsan liceret in sensum Catholicum de verbo Patri homousio interpretari; nisi alibi nimis Platonissans, tum illud manifestè faceret mediæ cuiusdam inter Deum & res cæteras substantiæ (quod item hoc loco non prorsus obscurè insinuat) tum non nisi à Patre productum, cùm mundum hunc visibilem conderet, præformato tunc verbo archetypo, vt rerum faciendarum intelligibili, exemplari. In quo etiam, Platonem, an Philonem? nimiùm secutus est Tertullianus, & postea Ariani, de quibus proinde S. Ambrosius: *Nónne ex Philosophia omnem impietatis suæ traxerunt colorem?* Atque de Platone aliâ in causâ ipse Tertullianus: *Doleo bonâ fide*, inquit, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* L. 1. de fide c. 5. De anim. c. 23.

CAPVT XIV.

Idem confirmatur, ex eo quòd templum Salomonicum fuerit figura corporis Christi.

AGe videamus modò, si lubet, num fortè eâdem in causâ, præsidij quicquam accersere ex nouo instrumento valeamus.

In quo illud præsertim occurrit, quod significatur Ioannis 2. capite; templum Ierosolymitanum, quod primùm extructum à Salomone, deinde iisdem vestigijs à Zorobabele & socijs restitutum, ac denique ab Herode Ascalonita amplificatum atque exornatum est, figuram fuisse templi corporis Christi, siue sacræ eius humanitatis, quę modo proprio ac speciali sanctuarium erat Sapientiæ Dei, in ea corporaliter ac Col. 2. v. 9. personaliter inhabitantis. Vt propterea plerique Patrum, verba illa Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*; allegoricè de Christo (seu Verbo, quod est Sapientia Dei) intelligant, sibi carnem suam, in qua velut in templo habitaturus esset, ædificante;

ficantę: de quo nos pluribus Parte postrema huius Dissertationis.

Videri potest interim Rupertus Abbas libro 6. de Trinitate capite 10. vbi hunc locum Prouerbiorum, cum ijs quæ Ioannis 1. de Verbo incarnato dicuntur, aptè conferens, ita ait inter cætera: *Hic taliter dictum est, Sapientia ædificauit sibi domum; illic dictum est, Verbum caro factum est; & ipsam carnem Verbum incarnatum, suum nominat templum.*

Verùm ad alterum illum Ioannis locum quod attinet: Iudęis à Christo, nundinatores è templo eijciente, eius potestatis quam vsurparet, signum aliquod quærentibus, ipse Christus

Ioa.2.v.19. edixit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud;* quod illi de templo manufacto & inanimi vocis homonymiâ delusi,

In Matth. 26. accepere: cùm (vt obseruat S. Hieronymus) de templo animali & spirante loqueretur. *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Lusit autem Christus idcirco vocis ambiguo, quod tum illa ædes manufacta, tum corpus eius, vnum idemque templum esset quodammodo, illud figurâ, hoc veritate. Vnde illa

Contr. Collat.c.25. sunt S. Prosperi: *Cum videret templum à Salomone constructum, dicebat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui. Vt ergo hoc templum præfiguraretur* &c.

Cumque ex Scripturâ diuinâ Sanctisque Patribus compertum sit; quæcunque circa Dei populum in lege veteri, velut per vmbram atque figuram, fuere disposita, ea ad legem nouam, eiusque autorem atque latorem Christum, tanquam ad scopum ac finem pertinuisse; tum nominatim templum ipsum Salomonicum, Christo prænuntiando ac figurando deputatum fuisse, suprà est à nobis cum S. Augustino obseruatum.

Cuius itidem templi cum templo Dominici corporis, eò exptessiorem analogiam & conuenientiam licebit agnoscere, si cum Villalpando, Aria Montano, alijsque pluribus obseruemus: templum Salomonis ad exactam humani corporis proportionem, extructum fuisse: quod qua ratione intelligendum sit, videri potest apud Villalpandum tomo 2. Templi.

Igitur mutuo quasi respectu, & templum Salomonis propria fuit figura corporis Christi; & corpus suum Dei Sapientia, non sine aliquâ ad idem templum, tum sibi præsens, *templum hoc* visa est appellare. Atque adeò ad eum responsum

exactè

exactè ac plenè constituendum, congruenter apteque dicemus: quemadmodum ipsum corpus Christi, seu sanctissima eius humanitas, propriâ ratione templum fuit Sapientiæ Dei, illud corporaliter (vt Paulus loquitur) & in veritate inhabitantis: ita Salomonicum templum, ædem fuisse propriam eiusdem Sapientiæ, illam in figura inhabitantis, ratione arcæ, inibique per oracula, aliaque diuina prodigia, præsentiam suam prodentis ac manifestantis.

Accedit, quod templum Salomonicum, ex Scripturæ sensu, non modò corporis Christi figura fuerit, sed etiam cæli, seu regni cælestis. Sic enim Apostolus ad Hebræos 9. v. 24. Sancta Sanctorum manufacta, appellat *exemplaria*, seu antitypa, *verorum*, id est, cælestium, siue ipsius templi cælestis, vt patet ex verbis sequentibus. Quò illa spectant S. Hieronymi, Ezechielis 42. capite. *Vnde & Moses (* inquit *) in tabernaculo, & Salomon in templo, non veritatem tentorij & templi, sed similitudinem figuramq́ fecerunt; vt per hæc quæ minora sunt & terrena, ea quæ in cælestibus, & in spirituali ædificio sunt, intelligere possimus.* Atqui regnum templumúe cæleste, esse propriè regionem ac templum sapientię, inferiùs demonstrabitur. Vti & hunc quoque mundum corporeum & aspectabilem; cuius etiam figuram fuisse, templum aut sacrum tabernaculum, plures obseruant, cum Philone & Iosepho Hebræis. Quò item trahunt aliqui, quod à Salomone dictum legimus, Sapientiæ 9. v. 8. *Dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio: & tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua; quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres.* Qua de re, si cui libuerit, videri potest Francisci Veneti Harmonia mundi, Cantico 1. Tono 4. cap. 32.

Ita, quocunque te vertas, apprime conspirant omnia, & ædem illam Salomonicam, multiplici titulo, Sapientiæ diuinæ veluti propriam addicunt.

Verùm ad extremum delectat adiungere: ipsum Christi corpus, sedem vtique propriam primogenitæ Dei Sapientiæ, non templo duntaxat à S. Ioanne, sed etiam tabernaculo comparari.

Quippe vbi legimus apud Ioannem: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, Græca pro *habitauit in nobis*, habent ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν; quod rectè verteris, *tabernaculum fixit in nobis.*

In ps. 90. *nobis.* Vnde Auguſtinus: *Tabernaculum Dei caro eſt. In carne inhabitauit Verbum, & caro factum eſt tabernaculum Deo.*

Siue eâ loquendi formâ innuerit ſacer Euangeliſta; Chriſtum inter nos conuerſantem, vſum eſſe carne mortali, tanquam temporali & tranſitorio tabernaculo; ſecundùm illud

c. 14. v. 8. Ieremiæ: *Expectatio Iſraël, Saluator eius in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* Siue potius eò reſpexerit, quod humanitas Chriſti fuerit tabernaculum quoddam Moſaico ſimile, ab ipsâ Dei ſapientiâ inhabitante conſecratum. Qua ratione S. Cyrillus Alexandrinus in eum locum dicit: *Verbum habitaſſe in carne, vt proprio vtentem corpore, templo illo nimirum, quod eſt ex ſanctâ Virgine. In ipſo enim inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt Paulus ait.* Et S. Baſilius illa

Verſ. 5. verba Pſal. 45 *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus*; intelligit de Verbo diuino carnem ſuam ſanctificante, ſeu conſecrante.

CAPVT XV.

Breuis antedictorum, & ſcopo noſtro non inopportuna, collectio.

HIc verò iam nobis otioſiùs liceat, nec ſine dulci animi ſenſu, demirari vtriuſque diuini teſtamenti conſonantiam; & figuram rei, vmbram corpori, ænigma veritati belliſſimè reſpondere.

Atque hic, ſi vſquam, locum habere egregiam quandam

Pſ. 15. v. 4. S. Paulini ſententiam; illa Pſalmiſtæ verba: *Nec memor ero*

Ep. 23. ad Aleth. *nominum eorum per labia mea*; ſic explicantis: *Per labia mea. Id eſt, per immortalium duo teſtamenta verborum: quæ oris diuini labia bene dicuntur, quia & cohærent ſibi, & vno Dei verbo aperiuntur, & per ipſa nos Deus oſculatur.* Aut, vt Auguſtinus ſcribens in Pſalmum 49. *Concinunt noua veteribus, vetera nouis. Dicunt ad inuicem Seraphim duo: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hæc conſonant duo teſtamenta, & vnam vocem habent duo teſtamenta.* Sic Auguſtinus.

Atque hic locus eſt ſuauis omnino ac floridus, & vbi, niſi me ipſe cohibeam, æquo liberior excurrat atque exultet oratio.

Quæ-

Quærebat nimirum iam olim requiem amatrix hominum Sapientia; & post multiplices atque varios, in orbe condendo, constituendo, administrando, quasi labores dicam, an lusus? post cælestis gyri velut operosos circuitus, post obita maria, calcatos fluctus, penetratas abyssos, lustratas terras, explorata populorum ingenia, rebelles domitos, submissos in deditionem acceptos; respectabat denique siquà sibi liceret delicatiùs acquiescere, & cum peculiari sibi populo blandiùs familiariusque conuersari. Sed nusquam inueniebatur locus eius.

Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman; Chaldæi, Phœnices, Ægyptij, & tot alij fabulatores, & nomine tenus exquisitores prudentiæ & intelligentiæ, viam sapientiæ nescierunt, neque cognouerunt semitas eius. In omnibus requiem quæsiuit, sed in hæreditate Domini morata est. *Baruch.3.v.22.*

Educitur ex Ægypto Deo chara gens, segregatur à profanis gentibus, fit populus proprius ac peculiaris. Hinc iam manifestiùs apparere cœpit Sapientia, familiariùs cum hominibus agere, & cum filijs hominum quodammodo deliciari. Datur in Sina lex de cælo, conscripta digito Sapientiæ; construitur arca, erigitur sacrum tabernaculum, in quo arca & lex requiesceret, & ipsa per sese Sapientia, super expansas stipatorum suorum, hoc est Cherubinorum, alas insidens, oracula funderet, populoque suo erudiendo ad iustitiam, arcana sua atque occulta manifestaret.

Attamen post deserti moras, & longæ peregrinationis tædia, sedesque Arabum in morem identidem commutatas, receptum aliquem habuit arca in Silunte; ibique morata, non item firmata est Sapientia. *Repulit enim tabernaculum Silo; elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit:* Extructum proinde in ciuitate sancta templum illud augustum ac celebre, in sedem (vti apparebat) perpetuam atque immobilem, vbi consecuturis deinceps ætatibus, Deo sedenti super Cherubim, ipsi inquam æternæ Sapientiæ, innumeris victimis ab omni Israële litaretur. *Ps. 77. v. 60. & 68.*

Verùm, quando (Apostolo teste) *nihil ad perfectum adduxit lex;* pertæsa est & horum Sapientia; & post crebras diuini Sanctuarij ruinas atque instaurationes, post subductam occultatamque arcam Dei, ædemque nudatam suâ gloriâ, reprobatum est denique cum gente suâ templum, reiecta sacrificia, *Heb.7. v. 19.*

Gal. 4. v. 9. abdicatæ legis cæremoniæ, *infirma*, inquam, atque *egena elementa.*

Tabernaculum aliud non manufactum, non Oliabi opus aut Beseleelis, sed quod ipse sibi pararet Deus, artifice Spiritu; corpus inquam Sapientię aptatum est; vt in istis naturæ nostræ membris, haberet instar tabernaculi, aut templi potiùs, proprij, stabilis, æternumque mansuri. Etsi enim Verbi nobiscum conuersantis humanitas aliquando dissoluta fuerit, & (vt de vita sua rex Ezechias) *conuoluta quasi tabernaculum Pastorum*: attamen neque tunc aut anima aut corpus vnquam fuit dimissum à Verbo; & eadem ipsa, postquàm diuinâ vi rursum inuicem fuere copulata, exinde templum extitere diuinæ Sapientiæ, fixum, perenne, gloriosum, immortale.

Isa. 38. v. 12.

Quam animi mei reflexionem meditationemûe, futuram (vti opinabar) ipso sensu suo, Christianæ menti non insuauem, iuuerit obiter atque perpaucis proposuisse.

CAPVT XVI.

Quædam de mente Patrum, rei ampliùs illustrandæ, prolata.

TAmetsi in scriptis Sanctorum Patrum, nihil admodum fortasse reperire sit, quo cogitationem in quâ versamur astruere, aut firmè constabilire liceat; alioqui enim, non eam duntaxat vt suspicionem, coniecturamúe haud vsquequaque improbabilem, sed vt opinionem sententiamque nostram proponeremus: tamen ex varijs eorum dictis possumus nonnulla deducere, quæ coniecturam à nobis factam nonnihil adiunare, aut illustrare videantur: quorum hîc aliqua indicabimus.

Primùm, suspicioni nostræ non parum fauent Patres illi, & numero plurimi, & vetustate venerabiles, & autoritate præcipui, qui (vti iam superiùs vidimus) vno velut ore pronuntiant, in testamento veteri, Filium Dei, seu Verbum diuinum, ipsamque adeò primogenitam Dei Sapientiam tum Prophetis alijs, tum ipsi Moysi in rubo, in Sina, in tabernaculo, in oraculo apparuisse, eundemque de arca extruenda, adornando tabernaculo, apparatu sacrorum, cultuque omni sibi adhibendo, præcepisse. Atque illi præsertim, qui non quomodocunque visum esse censent Dei Filium; verùm vt Doctorem gentis

tis Hebrææ, atque adeò, vt sibi propriò Sapientiæ munere fungentem, sese ei populo exhibuisse. Quam in rem iuuabit hîc apponere præclara quædam Saluiani verba, & vel elegantiæ suę gratiâ, referri atque audiri digna.

Sic autem loquitur libro 1. de Prouidentiâ *Adde huic erudiendæ gentis officio descendentem ad terras Deum, accommodantem se terrenis visibus* (vel, vt quidam legunt, *vsibus*) *Dei Filium, innumeræ multitudinis plebem in consortium diuinæ familiaritatis admissam, sacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum cælestium sonos, trementem vndique totius aeris fragorem, polos sacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cum Mose Dominum, legem diuino ore resonantem, incisas Dei digito litteras, rupices paginas, saxeum volumen, discentem populum & docentem Deum, ac mixtis pæne hominibus atque Angelis, vnam cæli terræq́ scholam.* Hæc Saluianus: qui, quæ reliquâ oratione videtur Deo indiscretè aut indistinctè assignare, manifestè tamen attribuit Filio; humanis visibus (vt principio dixit) se accommodanti, & amicâ quadam familiaritate, cum peculiari sibi populo, Doctoris partes, & Sapientiæ munus exercenti.

Quod verò scriptor eruditus, tabulas legis lapideas, non modò *saxeum volumen*, sed etiam *rupices paginas* appellat, videlicet tanquam è rupe saxoúe excisas: nequem fortè moretur insolentia vocabuli, aut eius asperitatem delicato fastidio respuat; obiter hîc obseruare licet, vocem eandem, similem in sensum, à probis vsurpatam autoribus; vt ab Agellio in Noctibus Atticis ita scribente. *Sed enim maiores nostri non vsquè eò rupices agrestesq́ fuerunt.* Quem itidem imitatus videtur Tertullianus; tum in Apologetico capite 20. dum *rupices* dixit, *& adhuc feros homines*; tum libro de Pallio capite 4. dum Chironem designans, Larissæi herois educatorem, hunc (Achillem scilicet) dixit *apud rupicem & siluicolam & monstrorum eruditorem, scrupeâ scholâ eruditum*; & alias non semel. Hæc de Saluiano. L. 13. c. 9. Adu. gent.

Fauet deinde nobis (vt mihi videtur) Prudentius, in Psychomachiâ suâ extremâ, his versibus:

Sanguine nam terso, templum fundatur & ara,
Ponitur auratis Christi domus ardua tectis.

Tunc & Ierusalem templo illustrata, quietum
Suscepit tum diua Deum, circumuaga postquam
Sedit marmoreis fundata altaribus arca.

Agit enim Prudentius de templo constructo à Salomone, rege pacifico, & belli ac sanguinis experte: quod ipse Christi domum appellet, quasi Christo specialiter sacram; & in quo iam Christus, seu populi ductrix Dei Sapientia, tanquam in sede stabili, vnà cum arca requiesceret; cùm priùs assiduè pe-
2. Reg. 7. v. 6. regrinaretur, & loca mutaret, ambulans (vt ipse Deus ad Dauidem loquitur) in tabernaculo, seu tentorio mobili: quod
Lib. 3. antiq. c. 5. propterea Philo Iudæus, libro 3. de Vita Mosis, itemque Iosephus, *templum portatile*, seu, *ambulatorium* appellauere.

Porrò illa Poëtæ eiusdem de Ierosolymâ: *quietum suscepit tum Diua Deum*; manifestè conueniunt cum eo, quod de se ipsa profitetur Sapientia, dum ait apud Ecclesiasticum, se in ciuitate sanctificatâ denique requieuisse, quæ hoc ipso sancta, aut diua (vt ait Prudentius) effecta sit, quòd diuino consilio electa esset in sedem arcæ & Sapientię Dei perennem.

Addere his libet recentioris autoris, Antonij Milliæi nostri, hoc in argumento consonantem Prudentio Poësim; cuius me delectat Mosis Viatoris præsertim liber vndecimus, *Beseleel, seu Sapientia opifex tabernaculi*, inscriptus: in quo ingeniosè, satagentem inducit Sapientiam, vt tum opera reliqua tabernaculi, tum arca potissimum, fabrè sciteque elaboretur, vt quæ Dei sedes sit, & æterni Verbi (hoc est ipsius Sapientiæ) arcanum repositorium, cui vni ornando tuendoque cætera fingantur. Quamobrem sic canit inter alia:

——— *Quanquam ipse recenset*
Omnia Beseleel; fabricandâ totus in arcâ est,
Totius quæ summa domus, augustaq; sedes
Numinis, Æterniq; intus theca aurea Verbi.

Et mox ad ipsam conuersus arcam:

Quo te sancta canam, quo pandam carmine thensa?
Augustale Dei immensum, textuq;, typoq;,
Materiaq;, & Cherubicis super aurea pennis
Oracla, allapsum cælo gestantia Numen!

Et infrà: *Extruitur tibi tota domus, tibi lampades ardent,*
Mensa calet libis, & bina altaria fumant;

Teq; tegunt triplicis circum, tentoria septi.
Et templum tu sola facis.
Denique Beseleel summam in te collocat artis,
Thesaurosq; omnes in te Sapientia confert.
Aeterni salue o simulacrum in corpore Verbi,
Patre Deo genitae, & natae de Virgine prolis.

Et quae sequuntur.

Veruntamen nobis etiam apertiùs caeteris fauentem habemus Philonem Iudaeum, dum quodam loco Sacrarium Dei à Mose extructum, appellauit *Locum Sapientiae*: quorsum autem istud, nisi velut locum, Sapientiae sacrum atque dicatum?

Ponderentur haec ipsius verba in libro de Somnijs; vbi cùm de Beseleele, sacri tabernaculi opifice praemisisset: *qui interpretatur* (inquit) *in vmbra Dei*; tum de eo pergit ita dicere: *Hic enim rerum simulacra fabricat, exemplaria verò Architectus, Moses nomine. Ideo ille tanquam vmbras delineat: hic verò non vmbras facit, sed naturas archetypas, speciesq;, & picturis ornat sacraria. Ille autem doctus ornator, pictorq; loci Sapientiae, monumentis sacrarum litterarum inseritur.* Quibus quidem euidens videtur, quod posttemis verbis *Locum Sapientiae* dixit, ad id referri quod proximè praecessit, Dei sacrarium: cùm aliud non sit quò referatur, atque vtrobique, de vnius eiusdemque loci ornatu ac cultu, sermo sit manifestè.

Ad extremum fauere videntur è Scriptoribus posterioribus, in primis Cardinalis Cusanus, dum quodam sermone ita loquitur: *Templum à Salomone aedificatum, non fuit aliud, quàm locus pro visione occultorum mysteriorum Dei, vbi Deus Deorum loquebatur, quem Princeps Sacerdotum consuluit* &c. *Excit. l. 9. serm. Obtulerant munera.*

Quid enim est, templum non fuisse aliud, nisi locum pro visione occultorum mysteriorum Dei, nisi fuisse locum diuinę Sapientiae dedicatum?

Deinde accuratus ille Salomonici templi interpres, Ioannes Baptista Villalpandus; qui non modò illa quae suprà è Prouerbijs Salomonis ad duximus: *Sapientia aedificauit sibi domum*; nobiscum accipit de ipso templo Salomonico: sed insuper ad illa Ecclesiastici: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; *Tom. 2. l. 3. c. 29.* ita scribit in rem nostram. *Respexit vtique Sapiens hic ad tabernaculum Moysis; in quo diuinam Sapientiam, populi illius du-*

cem ac moderatricem, habitasse certum est. Quod quid est aliud, nisi tabernaculum Mosaicum, ac proinde templum Salomonis, Ædem fuisse Dei Sapientiæ propriam; hancque istic, vt Dominædiam, totiusque gentis patronam, custodem, propugnatricem, præsedisse?

Cæterùm his plura expressioraque forsan occurrent, Patres legenti, animumque ad ea quæ hoc tractatu disquirimus reflectenti. Quippe facile est (quod aiunt) inuentis addere; & per densa quoque & perplexa siluarum, siquis antegressus, obstantes ramos vel manu duntaxat semoueat, quasi aditu iam facto atque aperto, subingredi.

Veruntamen placet interea hic admoneri lectorem meum; nequis in Clementis Alexandrini locum in sexto Stromatum incidens, vbi ita legimus ex vulgatâ Herueti atque Heinsij interpretatione: *Præterea autem non legerunt, quod dictum est à Salomone. Nam cùm tractaret de templi constructione, apertè dicit: Artifex autem construxit Sapientia: tua autem, Pater, prouidentia gubernat:* minùs attentè putet, eum vllo modo spectare ad rem præsentem.

Quippe cùm verba illa ex libro Sapientiæ, cap. 14. v. 2. desumpta sint, vbi non de templi, sed de nauis constructione agitur; atque (vti obseruant linguæ periti) vox Græca, *ναὸς*, quâ Clemens vtitur, tum templum, tum nauim significet; satis apparet verba Clementis, non de templi, sed nauis constructione, accipienda interpretandaque fuisse. Eò vel maximè, quòd apud Clementem, subiecta de arte nauis effectrice assumptio, minùs sit cohærens, nisi eius artis mentio aliqua antecessèrit.

CAPVT XVII.

Templi S. Sophiæ, quod Iustinianus Imperator Christo posuit, ad priscum illud Salomonicum, responsus & analogia.

Mirum equidem videri potest, atque in rem præsentem nonnihil facere; quòd tum Constantinus Imperator, cùm Byzantij augustissimum templum conderet; tum Iustinianus, cùm illud incendio consumptum ad Salomonici (vt varij tradunt) æmulationem magnificentiùs instauraret, illud S. Sophiæ,

Sophiæ, siue ipsi Christo sub Sapientiæ nomine, dedicauerint: Nam aliam hîc S. Sophiam à Dei Filio seu Verbo diuino cogitare, nimia historiæ ignoratio est: cùm istud quod dixi, tum Scriptorum omnium vnanimi consensu certum sit; tum ex ipsâ constet aræ principis infrà subijcienda inscriptione; tum ex eo carmine, quod à se compositum, instaurato templo canendum, Iustinianum tradidisse ait Cedrenus, hoc principio: *Vnigenitus Filius & Verbum Dei* &c. *Anno Iust. 32.*

Idemque similiter dicendum videtur de duabus alijs sacris ædibus, quarum alteram S. Irenæ, hoc est S. Paci, Ædi S. Sophiæ contiguam; alteram S. Virtuti, idem Constantinus extruxit. Nam tria hæc templa ipsi Seruatori (qui, Apostolo teste, Pax nostra est, & Dei Virtus, ac Sapientia) non verò Cælitum alteri cuipiam, dedicata fuisse; significare videtur Nicephorus Callistus, ita scribens: *Tria quoque Constantinopoli* (Constantinus videlicet) *maxima templa, Seruatori Christo constructa, dedicauit; S. Sophiæ, S. Pacis, & S. Virtutis*; Græcè τῆς ἁγίας δυνάμεως. Atque Ecclesiæ, quę Irene, seu Pax, diceretur, ab eodem Principe Constantinopoli erectæ, meminit etiam Socrates in Historia. Quam & alio nomine Sapientiam, nominatam reperiri, testatur Cardinalis Baronius: eâ causâ fortassis; quòd (vti diximus) ista S. Irenes ædes, ædi S. Sophiæ esset contigua, atque adeò teste Nicephoro, vna eademque quodammodo censeretur. Quanquam aliam quoque eâdem in vrbe eodem nomine extitisse Ecclesiam, Sanctæ scilicet Irenæ Martyri à Iustiniano Imperatore dedicatam, ex Procopio habetur. *Eph. 2. v. 14. 1. Cor. 1. v. 24. L. 7. c. 49. L. 1. c. 12. L. 9. c. 9. L. 1. de ædif. Iustin.*

Porrò inter hanc, quam dicebamus, S. Sophię ædem, & priscum templum Salomonicum, non vna videtur conuenientia intercessisse.

In primis enim, quod ad artem attinet, magnificentiam, maiestatem operis: Iustinianæum hoc Salomonico fuisse suppar; suadet tum illius descriptio apud Procopium & alios; tum (si vera sunt) immensa eiusdem ei comia, præsertim apud Nicephorum; qui, tum libro 17. historiæ, appellat *illam ingentem & incomparabilem, neque vnquam antea visam, Basilicam, augustum Sapientiæ Dei templum maximum*; tum in ipsa suę historiæ Dedicatione: *Hoc* (inquit) *cogitationem mentis excellens, & immensum opus; hanc incredibilem formam, sempiternæ aulæ imaginem, commune hominum, dicam etiam Angelorum delectamentum* *Ibidem.*

tum & spectaculum; hoc diuinum diuini Verbi, Sapientiæ inquam, palatium. Exaggeratissimè autem, quanquam vno verbo, Codinus Curopalates: *Optimus*, inquiens, *& humanissimus Deus, Imperatori Iustiniano mentem dedit, vt templum quale ab Adamo non fuit, neque fiet, ædificaret.*

De Orig. Constant.

Neque prætermittenda illa Nicetæ Choniatę, sub suum ex vrbe Constantinopoli à Latinis captâ discessum, ad ipsum S. Sophię templum conuersi, plena questus, luctus ac desiderij oratio: *Nunquid templum amplissimum & diuinissimum vnquam post hac te videbo? cælum terrenum, solium gloriæ Dei, Cherubice currus, firmamentum alterum fabricam manuum Dei annuntians, spectaculum & opus singulare, vniuersæ terræ decus?* In quibus etiam illa obseruari possunt, *solium gloriæ Dei, Cherubice currus* &c. non sine aliquo ad Salomonicam ædem respectu (quantum apparet) prolata.

In Annalibus.

Deinde, vt nihil de Sacerdotum dicam Sacrario, quod Sancti Sanctorum æmulum, auro argentoque (quod ait Agathias) constabat; & in mysteria duntaxat sepositum, pretiosissimis rebus, & mirâ varietate ornatum erat: de ipsa sacrâ mensâ (quo modo tunc altare appellabant) ita legimus apud Cedrenum: *Sacram quoque mensam tum fecit, opus imitatione nullâ æquandum. Constabat auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas terra fert, mare, & totus mundus. Ex omni materiâ pretiosiora plura, viliora pauciora collegerat, liquatisque ijs quæ fluunt, ficca illis immiserat, atque ita formam mensæ absoluerat. Itaque varium illud opus contuentibus stuporem inijciebat. In orbem* (pergit Cedrenus) *hanc habuit inscriptionem:*

L. 5. hist.

Anno Iust. 32.

Tua de tuis tibi offerimus serui tui, Christe, Iustinianus & Theodora. Ea tu propitius accipe, Fili Dei, Verbum, qui, nostrâ causâ carnem assumpsisti, & cruci affixus fuisti: & quæ sequuntur. Vt hanc proinde mensam (ἓν καὶ πάντα, *vnum & omnia*, appellatam) in Vrbis Constantinopolis per Latinos factâ expugnatione, direptam fuisse, atque à militibus in frusta discerptam, meritò deploret Nicetas Choniates.

In eo autem quod ait Cedrenus; mensam, ex rebus omnibus quas totus mundus fert, compositam; suspicabitur fortè quispiam, Iustinianum, ad id quod de veste summi Sacerdotis scriptum est: *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*; aut ad ea etiam quę de sanctâ arcâ, mundum

Sap. 8. v. 24.

dum seu sensibilem seu intelligibilem repræsentante, dicerentur; imitatione quadam allusisse. Nisi eum malimus attendisse, atque ad vsus meliores ac sacratiores transferre voluisse, quod de Alexandrino Serapidis simulacro, apud Clementem Alexandrinum, aut alium fortè de nostris, externisúe scriptoribus legerat, quodque hisce verbis tradit Ruffinus in historia: *In hac (æde), Serapidis simulacrum ita erat vastum, vt dextrâ vnum parietem, alterum læuâ perstringeret: quod monstrum, omnibus generibus metallorum lignorumq́, compositum ferebatur.* Tritis scilicet, atque commistis; vt pluribus describit citatus Clemens Alexandrinus. *Ad Gentes.* *L. 11. c. 23.*

Postremò, si verum illud est, quod ait suprà laudatus Procopius: Byzantinos hoc templum, *Sophiam* seu *Sapientiam*, appellasse, cognomen hoc Deum præcipuè decere existimantes; eò credibilius videbitur, eodem cognomine, simili ex causâ affectum fuisse templum Salomonicum; quod & primum omnium summo & vero Deo extrueretur; & quod vtique constet, figuram fuisse corporis Christi, qui etiam seipsum Sapientiæ nomine indigitarit. Quod enim simpliciter sibi tribuit Matthęi 23. v. 34. dicens: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes* &c. id Lucę 11. v. 49. attribuit Dei Sapientiæ: *Propterea & Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos* &c. haud obscurè significans, se, ipsam esse Dei Sapientiam; vt Ambrosius ibidem, alijque etiam obseruauere.

Alluserit autem fortè Saluator, ad id quod Prouerbiorum 9. dicitur Sapientia misisse *ancillas suas*, seu, iuxta Septuaginta, *seruos suos*; velut etiam Rupertus subindicat. Quanquam contrà facit, quòd eo Prouerbiorum loco nihil indicetur, de cæde seruorum Sapientię: nisi fortassis eò trahamus, quod (vti apparet) pro illis verbis: *immolauit*, seu, *mactauit*, *victimas suas*, ibidem legit Tertullianus: *Sophia iugulauit filios suos*; quod ipse de cęde Sanctorum Martyrum intelligit; fauente etiam S. Augustino, qui *Victimas suas*, SS. Martyres interpretatur. *L. 7. de glor. Trin. c. 20.* *Citra Gnost. c. 7.* *Lib. 17. de Ciu. c. 20.*

Atque hęc dicta sint, de Æde illâ S. Sophię, quam, propter nonnullam cum rebus nostris affinitatem, non censui omnino tacitam prętermittendam.

Addo, mantissę loco; etiam Nicomedię ingens S. Sopł fuisse templum, vt tradit Doutremannus noster in sua ſtantinopoli Belgica. Et templi cuiusdam propè Romam

Sophiæ ſacri, meminit Cotouicus in ſua peregrinatione Ieroſolymitana: vti & alterius eâdem nuncupatione, Nicoſiæ in Cypro poſiti, Franciſcus Sacchinus in hiſtoria noſtrę Societatis. Demum Cardinalis Baronius in Annalibus, alterum eo nomine refert in Ruſſia à Ioradixlao Duce ſumptuosè ædificatum. Quæ tamen, vtrùm Dei Filio, velut de nonnullis eſt procliue creditu, an alicui Diuæ eo nomine, ſacra fuerint, minimè prodiderunt.

P. 2. l. 6. n. 153.

Anno Dom. 1034.

Cæterùm (vt hoc extremum per occaſionem adijciam) hæc me commentantem non ſemel admirari ſubijt: cùm priſci Romani, præ ſuperſtitionis abundantiâ, etiam vitioſis noxijſque animi ſiue corporis affectibus, Pauori, Pallori, Febri, alijſque huiuſmodi olim templa poſuerint; apud eos nullam (quod appareat) ædem extitiſſe Sapientiæ. Quod iam animaduerto certiùs obſeruaſſe Plutarchum, eo libro quem de Fortuna Romanorum inſcripſit; vbi cùm admoneat, multa apud eos fortunæ delubra, eaque antiquiſſima fuiſſe; *Sapientiæ* (inquit) *in hunc vſque diem templum non habent.*

Lactant. l. 1. de falſa Relig. c. 20. Aug. l. 4. de Ciu. c. 15. & 23.

Niſi quis fortaſſe huc referat, complura ab ijs Mineruæ templa poſita (*hanc enim pagani*, vt eſt apud Feſtum Pompeium, *pro Sapientia ponebant*) aut etiam ædem illam, quam refert Liuius, fuiſſe Menti in Capitolio, ex Atilij Prætoris voto, dedicatam.

Dec. 3. l. 2. & 3.

Ad Mineruam ſanè quod attinet; Athenas olim exiſtimarunt, *arcem fuiſſe*, aut (vt Plato loquitur) *Prytanæum Sapientiæ*, atque, quod ait Iſidorus, *litteras & artes diuerſorum ſtudiorum, & ipſam Philoſophiam, veluti templum Athenas habuiſſe*; quòd ea vrbs Mineruę ſacra & peculiariter addicta eſſet, eidemque originem ſuam, aut appellationem certè deberet.

In Protag.

L. 15. Orig. c. 1.

Cæteroqui neque vſquam legimus, vllum etiam apud Græcos, Sophiæ templum extitiſſe, ſub eo nomine: neque mirum accidit Plutarcho, æde eiuſmodi caruiſſe Romanos. Sed cùm eo tractatu illud ingenioſè diſquireret: amplitudo illa Romani Imperij, eſſetne virtuti, an fortunę potiùs tribuenda; iſtud argumentum aſſumpſit in fortunæ gratiam; quòd ipſi Romani viderentur agnoſcere, ſeſe plus fortunæ, quàm virtuti ſuæ debuiſſe. Quippe cùm apud illos, Virtuti templum non niſi ſerò poſitum fuerit; Sapientiæ verò, aut Temperantiæ, aut Tolerantiæ, aut Magnanimitatis, aut Continentiæ nullam ædem, [illegible] aram habuerint: atque eoſdem è contrà conſtet, Fortunę [illegible]a, & multa, & ſplendida, & tantùm non cum primis fundamentis, poſuiſſe. Sic ferè Plutarchus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De opinione Ludouici ab Alcasar; Templum Salomonis Deo Victori propriè fuisse ædificatum, existimantis.

LVdouicus ab Alcasar noster, in Ioannis Apocalypsim scribens, in illis verbis capitis 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*; cum Beda aliijsque censet, allusum ad duas illas columnas æreas, Iachin & Boos, quæ erant pro foribus templi, 3. Regum capite 7. v. 15. & quas putat hic autor, fuisse instar trophæorum, erectorum ad Dei Victoris gloriam; idque etiam fortasse fuisse ipsismet columnis inscriptum. Notat. 1.

Quippe cùm existimet (quod ibidem pluribus prosequitur) Salomonis templum propriè fuisse ædificatum *Deo Victori*, propter victorias eximias, quas illius ope atque virtute reportauerat Dauid Salomonis pater. Eo scilicet modo, quo testatur Plinius v. g., celeberrimum templum, Pantheon dictum (post Actiacam Augusti victoriam) *Ioui Vltori* ab Agrippa factum. L. 36. c. 15.

Id enim constare ex multis sacræ Scripturæ locis; vt 1. Paral. 26. v. 27. vbi legimus, Dauidem & duces exercitus, pretiosa quæque, *de bellis & manubijs præliorum*, consecrasse *ad instaurationem* (seu erectionem) *& supellectilem templi Domini.* Et 1. Paral. c. 29. v. 11. similiter legimus, principes familiarum, & tribunos atque centuriones, in Dei templum ædificandum obtulisse plurima auri & argenti talenta; atque idcirco Dauidem benedixisse Domino, dicentem: *Tua est, Domine, magnificentia & potentia & gloria atque victoria, & tibi laus.* Sic ibi. *Ergo manifestum est* (inquit Alcasar) *illud templum propriè fuisse ædificatum, propter victorias Dauidi concessas.*

Subdit; inde factum, vt eius templi parietes & valuæ, omni ex parte Cherubinis & palmis ornata fuerint atque distincta. Cherubini enim (hoc est, iuuenes alati) Victoriæ imagines sunt: constatque Ethnicos eiusmodi simulacra ad imitationem Salomonici templi effinxisse; vt sumitur ex 1. Machab. cap. 4. vers. 48.

Eodemque pertinere, quòd Cherubini ipsi, siue Victoriæ,

inter palmas (quæ & ipſæ, victoriæ ſignum ſunt) in parietibus & portis templi cernebantur. Quòd enim à Romanis, exempli causâ, ſimulacrum Victoriæ effingeretur, manu alterâ palmæ, alterâ oleæ ramum præferens; id etiam videri ex eodem templo deriuatum, in quo frequens eſſet palmarum & oleæ frondium imitatio. Hæc ferè Alcaſar; atque (vti ſolet) ingeniosè.

Veruntamen, vt de propoſitâ ſententiâ, pro argumenti noſtri ratione, aliquid dicam, primùm ex erudito autore in cauſam noſtram id aſſumimus: vt, ſi ei licuit ob coniecturas non pœnitendas opinari, templum Salomonicum Deo quatenus Victori ædificatum fuiſſe; non magis nobis vitio vertendum, ſi illud Deo quatenus Sapienti, ſiue ipſi Dei Sapientiæ, conſecratum dicamus, rationibus inducti (vt ego quidem exiſtimo) haud paulò magis veriſimilibus.

Etenim quod ait, aſſertum ſuum ex eo manifeſtum eſſe, quòd ex Scripturâ conſtet, Dauidem, ac duces exercitus, manubias & res bello partas ad templi ſtructuram atque ornatum contuliſſe: vereor vt ſatis efficax ſit. Manifeſtum quippe eſt, ex cuiuſuis gentis hiſtoriâ; ſolitos duces res eiuſmodi, ſiue in iam extructa, ſiue in extruenda fana conferre, quiſquis is Deus eſſet, aut quocunque nomine delubrum illud cenſeretur.

Niſi fortè quis velit, Veſpaſianum Imperatorem, templum illud ſuum auguſtiſſimum, non *Paci Æternæ*, prout habuit inſcriptio, & numiſmata antiqua hodieque declarant, ſed *Ioui Victori* v. g. dedicauiſſe; propterea quòd illud, partâ de Iudæis victoriâ conſtruxerit, atque eiuſce gentis ſpolia in illud intulerit, menſam auream, candelabrum &c. excepto, quòd legem & penetralium vela purpurea, in Palatio condita ſeruari præcepit; vt ait Ioſephus libro 7. de Bello cap. 24.

Baron. an. Dom. 77.

Difficile rurſum eſt, quod contendit is auctor, in Cherubinis templi, Victoriæ ſimulacrum aut ſimilitudinem agnoſcere. Neque enim illi palmarum frondes (multò autem minùs Oliuarum, quarum, neſcio quo fundamento dicat, frequentem fuiſſe in eo templo imitationem) manu geſtabant; ſed tantùm inter aureas palmarum arbores, quæ columnarum inſtar parietibus prominerent, eorumque interualla diſtinguerent (vt in templi ſui deſcriptione exhibet Villalpandus & hoc ipſo loco veriſimile cenſet Alcaſar, in Notationis initio) hinc atque inde conſiſtebant. Vt nihil iam dicam, de multiformi

Ezech. 41. v. 19. &c.

corporis

corporis habitu, quem ijs tribuir communis Interpretum ſententia (fauente Scriptura, Ezech. 41 v. 19.). aur ſaltem ex Alcaſaris ſenſu, de facie vitulinâ, à puellari Victoriæ ſimulacro longè abhorrente. Er quidquid ſit de illis lateralibus Cherubinis, inter palmas, vt dixi, conſiſtentibus; non dicet, opinor, Alcaſar; Cherubinos minores à Moſe arcæ impoſitos, aut maiores illos à Salomone, velut obumbrandi gratiâ adiectos, è quibus præcipuè petenda foret ſymbolica Cherubinorum ſignificatio, Victoriæ imaginem, prout ab Ethnicis figurabatur, præſetuliſſe.

Eranr potrò ex vſu gentium, palmarum rami ſymbolum Victoriæ; ipſa tamen arbor, (vt in antiquis nummis videre eſt) Iudæam potiùs, ſiue Phœnicen, repræſentabat: credique poteſt Salomon, eiuſmodi arborem, vt genti propriam ac vernaculam, vti alia plura, certis interuallis ornatûs gratiâ, non autem illius ſignificationis quam inrendit Alcaſar, templi parietibus adieciſſe.

Cæterùm, cùm malim virum doctiſſimum fauentem nobis, quàm aduerſanrem habere; demus illi ſanè fieri porui ſſe vt Salomon in remplo condendo aut adornando, reſpectum aliquem ad paternas victorias, diuinâ ope ac beneficio obtentas habuerit, atque ex animi quidem ſui ſententiâ, hoc veluti gratę memoriſque mentis aduerſus Deum Sabaoth, victoriarum autorem, voluerit monumentum extare. Id enim adeò nobis non oberit, fauebit potiùs; dum viciſſim nobis concedatur, diuinæ mentis, Moſiſque ipſius, iſtud fuiſſe in rabernaculo conſtituendo conſilium, à quo neque Salomon in templo conſtruendo receſſerit; vt nempe in ijs, principe titulo, coleretur gentis Iſraëliticę pręſes atque Dux, Dei Sapientia; proindeque idem ſeu remplum ſeu tabernaculum, non vtcunque *Deo Victori*, ſed *Sapientiæ Victrici* fuiſſe dedicatum.

Nam mihi equidem omnino ſit veriſimile; in ſacro iſto tabernaculo primùm conſtituendo, rationem aliquam ſiue reſpectum habitum eſſe, ad recenter partam, diuinę Sapientię beneficio (id enim ei attribuit Scriptura diuina, libri Sapientiæ cap. 10. v. 18. & 19.) ptodigioſam illam de Pharaone Ægyptijſque victoriam. Quam in rem adducete poſſumus, quod ibidem v. 20. ſubditur: *Et decantauerunt, Domine, nomen Sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.* Cùm enim, vt dixi, Scriptura proximè præmiſerit; Filios Iſraël ab

ipſa Dei Sapientiâ ex Ægypto eductos, & inter ſtupentes Rubri maris fluctus, innoxiè tranſuectos, eodem mari demerſis hoſtibus, eorumque ſpolijs in iuſtorum poteſtatem traductis: ſatis congruenter dicemus, victricem illam, totque patratricem prodigiorum Dei manum, quâ tam glorioſè liberati ſunt, non aliam eſſe, quàm ipſam Dei Sapientiam; cui tanquam autori ea prodigia ibidem aſſignantur. Hinc ipſos proinde poſt victoriam, communi conſenſu ac voce vnanimi (quod in verbis relatis ſignificat vox, *pariter*) Epinicium cecinisse: eidem victrici Sapientiæ aram poſtea atque tabernaculum, ac denique templum, poſuiſſe: eidem, aſſiduo cultu, & ſtatis illis ſacrificijs, gratos ſeſe atque obnoxios, in perpetuum profeſſos eſſe.

Cui ſenſui meo non parum fauet, quod Patres nonnulli ſignificant: Sapientiam eſſe Dei manum, quâ cuncta condiderit. Quod quidem de Dei Filio diſertè tradit S. Gregorius, ad illa Iobi 27. capite v. 11. *Docebo vos per manum Dei* &c. *Manus quippe Dei*, inquiens, *vocatur Filius: omnia quippe per ipſum facta ſunt*. Et ante eum S. Cyrillus Alexandrinus, verba illa de Cantico Moſis; *Leuabo ad cælum manum meam*; in hunc modum exponens: *Manum hic Filium eſſe ait, per quem omnia, & in quo omnia*. Et magis ad propoſitum S. Paulinus in carmine quodam de S. Felice; vbi idem Dei Filius dicitur *Manus & Sapientia Patris*: quaſi eò manus, quò Sapientia. Rurſumque S. Auguſtinus: *Sed quia idem Verbum, & Sapientia; & virtus eius eſt, dicitur & manus eius*.

L. 18. Mor. c. 6.

Deut. 32. v. 40.

Nat. 7.

L. 6. de Gen. ad litt. c. 12.

Iſa. 53. v. 1. Iſa. 48. v. 13. Denique in illo Iſaiæ: *Manus mea fundauit terram*; ait Nyſſenus, per manum Dei, Vnigeniti virtutem obſcuriùs ſignificatam.

In 25. Exod. v. 18. Addere his licet (partim fauente noſtro Cornelio) ipſam quoque arcam diuini teſtimonij ſpectari poſſe velut currum, ſiue bellatricis, ſiue triumphatricis Sapientiæ. Vt propterea Moyſes, cùm in motu caſtrorum eleuaretur arca, meritò diceret: *Surge, Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tuâ*: quòd nempe tunc Deum, ſiue Sapientiam conſideraret, quaſi belligero curru ſuo conſcenſo, Cherubinorum alis inuehi, & iam minacem ac terribilem imminere ſuis hoſtibus, ſiquis contrà ſtare, aut obuius incurrere, auderet.

Num. 10. v. 35.

Quò itidem ſpectat Pſalmi ſexageſimi-ſeptimi argumentum; qui

qui ab eodem scilicet exorsus epiceleusmate: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius* &c. Dei victorias, triumphos, ingressus commemorat, meminitque in primis gloriosi currus, quo siue in Sina, siue in deserto inuectus sit, circumfusâ militiæ cælestis innumerâ multitudine, lætantium atque plaudentium, Deoque victori atque triumphatori, solenni cantu gratulantium.

Eum porrò currum, siue solium diuinæ gloriæ à Mose & senioribus in monte Sina conspectum, repræsentasse arcæ similitudinem, tradit expressè Hieronymus Pradus: fauetque tum illud, quod Mosi dicitur Exodi 25. v. 40. *Inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est*; tum quod, aliàs à nobis memoratus, Iosephus ait, de Cherubinis agens; *ea esse animantia volucria, quæ Moyses in Dei solio vidisse se memorat figurata.* *Exod. 24. v. 10.* *In 1. Ezech. p. 1. sect. 1.* *L. 3. antiq. c. 6.*

Atque ista quoque pro Alcasaris opinione faciunt, quam video probari etiam P. Cornelio; nosque, vti dixi, eatenus libenter consentiemus, dummodo nobis permiserit: veluti quondam apud Romanos delubrum quoddam *Veneri victrici*; (in Pompeij theatro videlicet) ita apud Hebræos, diuinum seu templum, seu tabernaculum, *Victrici Dei Sapientiæ* constructum dicatumque fuisse. *In Ezech. 41. v. 18.* *Lilius Girald. Synt. 3.*

Sed priusquam rem omnem concludo; per hanc memorati diuini currûs occasionem, placet hîc ad extremum obseruare: non sine causâ Deum Israël, apud Ezechielem, cùm templum suum visitaturus, eiusque violatores punitutus, procederet; inscendisse currum bellatricis Sapientiæ, stipatum nimirum Cherubinis aurigantibus, rotisque instructum multioculis, diuinę seu intelligentiæ, seu prouidentiæ, indicibus; & (quæ rursum virorum doctorum, Pradi ac Villalpandi suspicio est) solio insistentem in arcæ templi similitudinem conformato. *Ezech. 1. & 8.* *Prad. c. 1. p. 1. sect. 4.* *Villalp. l. 4. c. 42.*

Quem enim alioqui decebat, de domus suæ statu, iniurijsqui ei irrogatis cognoscere, nisi ipsam templi Præsidem ac Dominædiam Sapientiam? Vt vel ab hoc quoque rerum responsu, nonnullum firmamentum accipiat, tot iam coniecturis à nobis excitata suspicio.

CAPVT

CAPVT XIX.

Occurritur cuidam difficultati; & susceptæ disquisitioni finis imponitur.

AT enim aduersus ea, quæ hactenus à nobis in præsenti tractatu disputata sunt, sic occurrat quispiam: Si templum istud Salomonicum, vti contenditur, diuinæ Sapientiæ nominatim extructum ac dedicatum fuerit: cur nusquam legimus appellatum, templum Sapientiæ, sed semper, *Templum Domini, Templum Domini*; alto vbique silentio istius alterius propriȩ, ac specialis nuncupationis?

Sed eiusce rei rationes plures adferri possunt.

Primùm enim expediebat, Ædem illam absolutè dici templum Domini, seu Dei Israël; quo apertè daretur intelligi; illam vero Deo, summoque Vniuersi Domino, conditori, rectori esse dicatam, qui omnino vnus, & solus absolutè, & extra quem non est alius; vti loquitur Scriptura.

Neque aberat fortasse periculum; ne si vulgò templum Sapientiæ appellaretur; existimaret rudis populus, & exteræ præsertim nationes, aliorum ritus suis moribus æstimantes, istic coli Pallada, siue Mineruam, quȩ educta è Iouis capite, habebatur Sapientiæ præses; aut eo nomine, aliam quampiam denotari specialem diuinitatem. Vt sic putarentur Hebræi Sapientiam colere, quemadmodum erant apud Romanos Virtuti, Libertati, Concordiæ propria delubra dedicata.

Deinde; cùm id vnum extaret veri Dei templum, neque plura per legem possent existere; opus non habuit appellari
Deut. 14. v. 24. speciali nomine, id ab alijs veri Dei templis discriminante. Vt enim cum Minutio Felice Cyprianus libro de Idolorum vanitate: *Illic vocabulis opus est, vbi proprijs appellationum insignibus multitudo dirimenda est.* Aut velut, etiam Trismegisto lau-
L. 1. c. 6. dato, Lactantius: *non opus est proprio vocabulo, nisi vbi discrimen exigit multitudo.* Quemadmodum etiam, eam v. g. S. Mariæ ædem, quæ nunc expressioris discriminis gratiâ à cæteris eiusdem Ecclesijs, S. Mariæ Maioris Ecclesia dicitur; apparet initio, Ecclesiȩ S. Mariȩ nomine absolutè intellectam: idque ad tempora S. Gregorij Magni perdurasse, colligi potest ex eo sermone,

sermone, quo (sæuiente pestilentiâ) totius populi septiformem, ad eam Ecclesiam, supplicationem indixit; Romanos simpliciter hortatus, *vt ad S. Genitricis Domini Ecclesiam conuenientes* &c. *Lib. 1. Vit. c. 41.*

Neque obstare videbitur, quod (teste Iosepho) à Sanaballar Samariæ Præfecto, in gratiam Manassæ generi sui, qui frater erat Iaddi Pontificis, templum aliud, instar Ierosolymitani, ipsi Deo Israël extructum fuerit, in monte Garizim, Alexandri Magni temporibus: ad quod respiciebat mulier illa Samaritana, cùm diceret: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Et aliud deinde in Ægypto apud Heliopolim, ab Onia Simonis filio, vno de Pontificibus, Ierosolymis exulare iusso. *L. 11. antiq. c. 8.* *Ioa. 4. v. 20.* *Lib. 7. de Bello c. 30.*

Quippe hæc templa qualiacunque, cùm eorum antiquissimum (vt de Mosis tabernaculo nihil dicam) annis septingentis fuerit Salomonico posterius; non potuerunt, iam inueteratam tot sæculis, genuinam illam Templi Domini appellationem subuertere: quando neque ipsa apud prudentes digna censebantur eo nomine; vtpote extra locum Deo placitum, profanâ temeritate, & ausu impio, excitata.

Postremò, vti apud Ægyptios, Græcos, Romanos, ita, & maximè, apud Hebræos, nonnulla fuere arcana, nec vulgò nota, religionis mysteria: quale erat apud hos, Sanctissimæ Triados arcanum, pronuntiatio & virtus nominis ineffabilis; itemque Messiæ venturi, quoad varias conditiones, fides explicita, & alia huiusmodi. Etenim, vt rectè obseruat Nicolaus Serarius, de Hebræorum Cabalâ disserens: *præter ea quæ in Pentateucho scripta sunt, & cum ijs alia plurima diuinitus Moysen cognouisse, dubitari non potest. Neque enim quæ à Deo cognouit, tam paucis chartis explicare, distinctéq; satis explanare potuit; & in ijs quæ scripsit, multa recondi mysteria sciuit, eademq; perspexit, quæ non nisi alio docente, comprehendi potuerunt.* Ex qua obseruatione, omnino fit verisimile, quod apud eundem consensu tradunt Hebræi Doctores: Mosen videlicet præter legem scriptam, aliam à Deo accepisse ore traditam, arcana plurima ac recondita mysteria continentem: & hanc Mosen Iosuæ, hunc senioribus, seniores Prophetis, hos viris Synagogæ magnæ &c. perpetuâ quadam traditione, atque acceptione (quod vox *Cabala* sonat) communicasse. Quò itidem facit, quod in 4. Esdræ (etsi is habetur apocryphus) capite 14. scriptum est; Domino de Moyse ita ad Esdram loquente: *Et adduxi eum super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis. Et enarraui ei mirabilia,* *In c. 16. Iosue, q. 2.* *v. 4. & seqq.*

& ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verbo, & hæc abscondes. Quod postremum videtur intelligendum, secundùm quod ipsi Esdræ similiter ibidem præcipit Dominus; vt quędam eorum, quę Deo reuelante acceperit, palam manifestet, quædam solis sapientibus absconditè tradenda conseruet.

Vers. 26. & 46.

In horum igitur arcanorum numero esse potuit istud, quo de agimus, tabernaculi, ac templi Salomonici, Dei Sapientiæ, seu Verbo olim in carne venturo, specialiter dedicati: quod velut occultâ inter sapientes traditione receptum, ita obscurè tantùm à Salomone, & Iesu Siracide, proditum sit. Qui duo itidem (quod in re pręsenti obseruatu dignum est) expressam fecere prę cæteris, si saltem Dauidem excipias, Filij Dei mentionem. Dicente nimirum Salomone Prou. 30. v. 4. *Quod nomen est eius?* (Dei videlicet) *& quod nomen Filij eius, si nosti?* quibus manifestè denotat, Deum, aliquem habere Filium, eumque vnicum, & qui Filij Dei nomine simpliciter posito possit intelligi. Et Iesu Siracide, capite 51 v. 14. *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei.* Vbi Dominum (seu Deum Patrem) alterius personæ patrem facit, quam item appellet Dominum, seu Deum, suum.

His accedat illustre Annæi Senecæ, de Iudæorum ritibus ac Sacramentis agentis, ex libro quem scripsit contra superstitiones (qui pridem intercidit) à S. Augustino relatum, atque laudatum testimonium. *Illi tamen* (inquit Seneca) *causas ritus sui nouerunt: & maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat.* Quibus apertè tradit, quod dicebamus: Causas & rationes rituum suorum Iudæos equidem non latuisse: sed fuisse tamen arcana quædam solis comperta sapientibus, ipso vulgo passim, quid ea sibi vellent, ignorante.

L. 6. de Ciu. c. 11.

CAPVT XX.

Ex his, quæ historicè dicta sunt de templo Sapientiæ, via pòst dicendis præstruitur, atque munitur.

HIs porrò, quæ modò de templo Sapientiæ, velut historicâ ratione disquisiuimus, haud improbabili coniectatione præstitutis, opportunè licebit, ad reliqua quæ huius instituti sunt, gradum facere.

Ab

Ab hoc quippe tanquam principio, vlteriùs nobis contendendum est; & , quod initio promittebamus, non templi duntaxat, gentisúe Israëliticæ, dux atque præses ostendenda est Sapientia, sed totius cursus sæculorum antistes; & quasi currûs vniuersitatis aurigatrix; neque istud tantùm, sed eius etiam æuiterni status, quo ad extremum terminabuntur consummabunturque ipsa sæcula, præses, gubernatrix, atque regina demonstranda: vt quæ assestrix sit sedium Dei, consiliorum administra, modulatrix operum, suaui quadam efficacitate, à fine vsque ad finem pertendens, & iure quodam sibi proprio, vniuersa disponens.

Etenim cùm Deus ad imaginem ac similitudinem suam effingeret, suique insuper æternùm fruendi capacem conderet hominem, beatum vtique æternâ cum Deo consuetudine, ipsiusque Dei Sapientiæ intimâ quadam participatione futurum; constituit itidem, vt suâ veluti manuducente Sapientiâ, ad beatam illam atque supremam eiusdem suæ Sapientiæ communionem, adduceretur.

Primo igitur loco, quemadmodum Vniuersum istud architectâ & machinatrice Sapientiâ sua molitus est; ita eius in ipso Vniuerso insignes notas extare voluit, & sparsa vbique vestigia, quibus erudita & excitata humana mens autorem suum, si vellet, agnoscere, eumque colendo, venerando, amando, ad vltimum beatumque finem suæ conditionis aspirare ac peruenire posset.

Quæ tamen diuini consilij ratio, humano animo præ vecordiâ aliorsum prorsus spectante, & ipsis diuinę Sapientiæ operibus ad fines sanè quàm alienos abutente, cùm minùs succedere videretur: aliò iam conuersa Prouidentia, gentem ex omnibus vnam elegit, sibi peculiarem ac propriam, cui speciali iam ratione ducem ac præsidem Sapientiam assignaret; quæ ei populo propior, & sub diuersarum figurarum habitu, quasi aspectabilis effecta, per legem in Sina, per columnam in Solitudine, per responsa in Templo, per Sacramenta multifaria, per Prophetarum voces, variaque signa ac prodigia, ipsum erudiret ad iustitiam, eumque supernis promissionibus, bonisque futuris aptaret.

Ad extremum, quando neque sufficiebant hæc omnia; quippe infirma solùm atque egena elementa, & cælestium, non veritas, sed vmbræ: mirabili denique, eoque extremo, sed efficaci diuinæ artis experimento, ipsa de sinu Patris Sapientia

terris submissa est, & naturæ nostræ concorporata: quò iam ipsa per sese in nobis habitans, ac nobiscum conuersans, cælesti vitâ atque doctrinâ, mortalium animos ad se conuerteret: inflammaretque, ac diuinis tractos illecebris, sempiternâ demum sui possessione ac consortione, bearet.

Quem ordinem rerum, consiliumque diuinæ mentis, ita paucis nunc, in antecessum, propositum, deinceps exequemur paulò pluribus: ita tamen vt, ne longiùs abeamus ab instituto, quidquid antedictis superaddere fert animus, id omne ad Sapientiæ templum, prout inscriptio titulusue postulat operis, quacunque randem vocis acceptione, referamus.

Nam, quando ex mente Doctorum, Scripturæ diuinæ distingui solet sensus quadruplex: *Litteralis* vnus, in quo hac Parte prima contemplati sumus templum supremæ Sapientiæ; & tres spirituales siue mystici: *Allegoricus*, quo figuratè quiddam significetur ad præsentis Ecclesiæ statum pertinens: *Anagogicus*, quo, ad statum cælestis: & *Tropologicus*, quo mysticâ quadam ratione docemur, quid nobis faciendum sit: placet exinde in Parte alterâ huius Operis, in horum primo atque altero sensu, & Parte postremâ in postremo, Sapientiæ templum considerare. Allegoricâ tamen ratione, non tam præsentis Ecclesiæ statum, quàm ipsum Vniuersum accipientes: & Tropologicâ, nostrûm cuiusque animam; quæ tametsi acceptio strictè loquendo videatur esse Allegorica, attamen scopi nostri respectu, eam cum varijs appellabimus Tropologicam; quòd ea in nobis spiritualis templi ratio, sanctitate mentis, virtutumque gratiâ constet, atque adeò innocentiâ vitæ, sanctorumque morum eleganriâ, proximè paretur & adornetur.

Neque tamen rursum, rei, quam dixi, deducendæ, adeò anxiè ac religiosè insistemus, quin vbi opportunum videbitur, permissam nobis esse velimus, vtilem subinde excursionem, ad argumento nostro subnexa præcepta cælestis Sapienriæ: cùm harum duarum extremarum Partium institutum, non tam sit de argumento proposito rheoreticè disserere; quàm occasione siue oblatâ, siue quæsitâ, mores nostros ad veram Sapientiam, magnamque virtutem, informare.

TEMPLI SAPIENTIÆ

PARS II.

In qua de diuinæ Sapientiæ Templo, partim allegoricâ ratione, partim anagogicâ contemplatione, differitur.

CAPVT I.

Vniuersum hoc, ex sapientum sensu, magnum ac magnificum in primis, summæ Diuinitatis Templum esse.

VT deinceps à nobis exponendam templi Sapientiæ allegoricam rationem, ab eo quod magis generale est, exordiar: Vniuersum hoc aspectabile, quod vt Græci κόσμον nomine ornamenti appellauerunt, ita nos (inquit Plinius) à perfecta absolutaque elegantia, Mundum dicimus; ædem quandam ac templum esse summę diuinitatis; in quo nos proinde perpetuò castè pureque degere, & sanctè ac religiosè conuersari oporteat; non nostrorum tantùm litteris proditum, sed externorum quoque sapientum consensu, celebratum est. *Lib. 2. c. 4.*

Atque hominem in eius medio constitutum, quidam statuam ac simulacrum diuinitatis dixere, seu viuam quandam ipsius Opificis imaginem; quò & assuesceremus mutuò in nobis Deum agnoscere, vereri, venerari; tum vitam omnem ad mores actusque diuinitate dignos componere, ita vt ectypon formæ suę archetypæ, & imago suo exemplari, similitudine responderet. Alij vt mystam sacerdoremque magni huius templi contemplari sunt hominem: quò videlicet intelligeret, sese ad hoc natum, eoque consilio in mundum, seu rerum vniuersitatem, inductum, vt vniuersæ naturæ nomine, omnium

autori atque procreatori Deo laudem, cultum, honorem, obsequium absque intermissione deferret, & sic se haberet in omni vitâ, quasi assiduè staret ad aram, & in perpetuo atque solenni supremi numinis sacrificio versaretur.

Quamobrem ea cogitatio, quâ hoc vniuersum vt Dei templum aspicimus, non paruam vim habet ad vsum vitæ, exactamque morum sanctimoniam; eoque digna est quæ à nobis hoc loco paulò exponatur accuratiùs.

Primùm igitur, vt à Græcis auspicer, mentem hanc Platoni tribuit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum cap. 5. Neque de istius Philosophi dubitabit sententiâ, qui eum docentem attenderit in Epinomide: non tantùm mundum hunc esse Deo plenum, sed solem & lunam statuas, ab ipsis Dijs prudentibus dignissimisque artificibus fabricatas, multoque magis quàm alia quælibet simulacra venerandas. Hęc enim omnia mundum significant esse templum augustissimum, quod ipsa per sese inhabitet (magno vtique corpori immista, & veluti per artus vniuersos intimè infusa, atque diffusa) diuinitas; in quo item prostent viuæ illæ atque præclaræ, vt ipse loquitur, Deorum imagines, eæque loco excellentissimo, illustrissimoque propositę, ad communem totius generis humani venerationem. Quibus paria tradit Plutarchus libro de Iside & Osiride.

Atque in libro de animi tranquillitate, expressè docens: *Mundum hunc esse templum, sacratissimum quidem ac religiosissimum, in quod per ortum inducimur, spectatores, non signorum surdorum & manufactorum, sed solis, lunæ, siderum.* Additque; *hæc veluti initia ac mysteria quædam, tranquillo ac læto nobis animo spectanda atque peragenda.*

Porrò ex Hebræis, disertissimus Philo, & ipse Platonis studiosus imitator, etiam magis disertè pronuntiat, libro 2. de Monarchia: *Dei templum summum verumq; existimandum esse mundum hunc vniuersum: cuius sacrarium sit cælum, in tota rerum natura præstantissimum; donaria verò sidera* (nimirum vt pretiosa quædam anathemata, lampadesue aureæ, de cælesti illo tholo suspensæ) *sacerdotes demum atque ministri, potestates angelicæ, animæ corpore carentes* &c. Quanquam alibi in libro de Somnijs; mundani templi sacerdotium esse dixerit penes Dei Verbum primogenitum; hominem autem, alterius templi, animæ scilicet rationalis, esse sacerdotem: de quo nos postea.

Tandem

Tandem è Latinis expreßè Seneca: *totum mundum esse Deorum immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentiâ dignum.* Additque alibi; *Sapientiæ beneficio, ingens omnium Deorum templum, mundum istum reserari; cuius vera simulacra, veraq́; facies cernendas protulit.* L. 7. de benef. c. 7. Ep. 90.

Cui consonans Christianus Rhetor Lactantius: *Sicut mundum,* inquit, *propter hominem machinatus est* (Deus) *ita hominem propter se, tanquam diuini templi antistitem, spectatorem operum rerumq́; cælestium.* Quibus manifestè designat, mundum esse templum diuinum, cuius antistes & sacerdos, homo sit; vti antea diximus. Quod egregiè item confirmat Macrobius exponens somnium Scipionis: *Quidquid humano aspectui subijcitur, templum eius vocauit qui solâ mente concipitur: vt qui hæc veneratur vt templa, cultum tamen maximum debeat conditori; sciatq́; quisquis in vsum templi huius inducitur, ritu sibi viuendum sacerdotis.* Hęc ille: quorum equidem extremâ clausulâ, nescio an quicquam à Christiano sapiente eandem in rem proferri posit accommodatius.

Quò iam minùs opus sit, SS. Patrum testimonia, eidem rei confirmandæ conquiri atque coaceruari: quod etiam partim facturi sumus in sequentibus. Illud potiùs admonendum video, priusquam vltrà progredior; ex cogitatione propositâ, triplex cuiusque nostrûm tanquam munus deduci posse.

Primùm enim, quando ex sapientum sententiâ, Vniuersum hoc, Dei illud intimè inhabitantis quoddam templum est, magno nobis prouidendum est opere, vt, quod postulat diuini domicilij sanctitas, & numinis præsentis reuerentia, quicunque nos locus habuerit, in eo semper quasi in templo, immo in adytis, ipsisque domus Dei penetralibus, purè casteque conuersemur. Neque enim iam adeò referre, in æde sacra, an in priuatis ædibus, in foro an in conclaui agamus; quando omnis locus diuini numinis intimâ præsentiâ consecratus est, & instans vbique ille peruigil, nec operum nostrorum duntaxat, sed cogitationum quoque & intentionum cordis, discretor ac iudex oculus, mentis nostræ momenta omnia, ipsaque adeò (vt est apud Iob) pedum vestigia, siue radices, intuetur. *Siquis templum Dei violauerit* (inquit Apostolus) *disperdet illum Deus.* Vt vel hoc nomine, peculiaris nobis cautio & peratenta cura adhibenda sit; nequâ offensione temeremus diuinos oculos, atque vniuersa peruadentem, nobisque intimam atque Hebr. 4. v. 12. Cap. 13. v. 27. 1. Cor. 3. v. 17.

immistam,

immistam, Spiritus illius sanctitatem, indigno aliquo facinore, impiè ac sacrilegè violemus. Hoc primum esto.

Alterum: vt in huius mundi medio, non tanquam meros, aut curiosos, diuinorum operum spectatores; verùm Numinis, cuius agnoscamus in operibus suis præsentiam, pios cultores ac veneratores, constitutos nos esse intelligamus.

Qui fanum aliquod introgressi, ea quę in eo sunt, seu ornamenta seu donaria, curiosis oculis collustrant; commonstrante fortasse Mystagogo, nihil nisi, cuius hoc donum sit, quid istud monimentum significet, quis istius pictor tabulę, istius statuę fictor, nullâ seu Dei religione, seu loci reuerentiâ, condiscunt; næ, illi non templo, veluti templo, sed vt foro theatroúe vtuntur. Ita, qui in mundum istum admissi, & naturę rerum pulchritudinem admirantes, vt prisci æui Philosophi, sterili illius contemplatione delectati sunt, & vel mundi ipsius non quæsierunt artificem, vel inuentum non sicut Deum glorificauerunt, ipso vniuerso, non ad quod factum est, abutentes, habuerunt illud, non vt diuinitatis domicilium, & sacrarium ipsius gloriæ, sed vt vanitatis spectaculum, officinam stultę curiositatis. Atque, vt de ijs pronuntiat Apostolus,
Rom. 1. v. 22. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Spectanda ergo sunt & admiranda in hoc vniuerso Dei opera; non vt in his spectandis & demirandis sistat animus; sed sic vt in illis quærat & inueniat artificem, inuentumque pio reli-
Act. 17. v. 27. giosæ mentis officio attrectet, & eâ quâ par est veneratione prosequatur: gnarus se in mundum, non vt in theatrum spectandi gratiâ, sed velut in templum, venerandę diuinitatis, omnique laude & obsequio celebrandæ, ab ipso Deo atque naturâ esse inductum. *Solus est enim*, homo scilicet (vti verbis
De ira Dei c. 14. antè laudatis rectè subijcit Lactantius) *qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemque perspicere. Idcirco enim consilio, mente, prudentiâ instructus est, ideo solus præter cæteras animantes, recto corpore ac statu factus est, vt ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit & linguam, vt enarrare maiestatem Domini sui possit.* Sic ille.

Scitè igitur ac religiosè Epictetus, qui hoc suum munus, ad quod factus esset, attendens: *Etiamne aliud* (infit) *ego præstare possum senex claudus, quàm celebrare Deum? Etenim si luscinia essem, facerem quod est lusciniæ, si olor, quod est oloris.*

Atqui

Atqui compos sum rationis. Itaque hymno mihi celebrandus est Deus. Nam meum illud officium; quod sanè præstabo, nec deseram ordinem hunc, quoad eius possum.

At Philo Iudęus in libro de Victimis, etiam artem quandam modumúe tradit pręclari istius exercitij. Nam figuratè illud exponens, quod Leuitici 1. v. 6. dicitur: *detractaq́; pelle hostiæ, artus in frusta concident: Mihi verisimilior coniectura videtur*, inquit, *admoneri hoc pacto Dei cultricem animam, vt Ens illud non temere colat, sed certâ ratione atque scientiâ.* Quam rationem artemúe dicit, in eo primùm consistere, vt in Deo laudando, seorsum diuidantur & distinguantur eius virtutes & potentiæ; eumque modò vt bonum, modò vt autorem rerum omnium, aliàs sub alijs ei attributis rationibus, eum commendemus. Quemadmodum etiam Doctor Angelicus docet ex S. Chrysostomo: *quod Angeli laudant Deum, quidam vt maiestatem, quidam vt bonitatem, & sic de alijs: in signum* (inquit) *quod ipsum non vident visione comprehendente*: aut sanè quòd singuli, diuersâ naturæ atque gratiæ perfectione, diuersa itidem diuinę naturæ decora imitantes ac repręsentantes, variè enarrent eius gloriam, eiusque virtutem ac perfectionem infinitam, suo quisque modo commendent atque manifestent. *In 1. d. 2. q. 1. a. 3.*

Sed aliam magis huic loco propriam, mysticę victimę concisionem idem Hebręus Doctor assignat, mundum ipsum spectans instar magnę victimę ad Dei gloriam immolandę, mundi autem partes, velut illius hostię membra; qua de re philosophari pergit in hunc modum: *Quoties subit tuum animum voluntas agendi Deo gratias propter mundum conditum, age & pro vniuerso, & pro integris eius partibus tanquam animalis perfectissimi; atque vt clariùs loquar, pro cælo, pro sole, pro luna, cæterisq́; vel fixis vel erraticis sideribus; deinde pro terra cum suis animantibus & stirpibus; pro mari ac perennibus, torrentibusq́; fluuijs; denique pro aëre & huius partibus.* Sic ille.

Perinde atque si hortaretur nos, vt ritum veterem Salomonici templi æmulantes, etiam in huius mundi tabernaculo circumeuntes, hoc est (etiam ex Augustini sensu) attentâ piaque consideratione, huius vniuersi singulas partes obeuntes, singularum gratiâ earum autori ac conditori Deo immolemus hostiam vociferationis, propriumque laudis quasi tributum, cum exultatione, cordisque iubilo persoluamus. Quod ipsum quoque laudatus autor expressiùs significare visus est, ita paulò antè *In ps. 25. v. 6. Et ps. 26. v. 6.*

 proloquens:

Philo vbi suprà. proloquens; *Figuratè igitur docemur, vt integrâ mente in orbem choreas agitante, per omnes consiliorum, dictorum, factorumq́; species Deum colamus.* Cuius etiam artis specimen quoddam in Psalmo 103. licet agnoscere, vbi regius ille Propheta, sese, ad diuinam in suis operibus magnificentiam animo memori celebrandam, concitans; quasi ex lege rituúe prædicto; magnam illam mundi victimam in frusta concideret, cunctas mundi partes, veluti propriæ specialisq́ue laudis materiam, sigillatim particulatimq́ue commemorat: vt non sine voluptate recognoscet, qui inter legendum, aliquam ad id quod nunc agimus, animi reflexionem adhibuerit; & pulchra imitatione, eo se studio libenter interdum exercuerit.

Ita nunquam deerit piæ commentationis, diuinæq́ue laudationis materia; existetq́ue plena & iucunda Dei laus; mortalium singulis, non vocum duntaxat, sed factorum quoque consonantiâ diuinum numen celebrantibus; istâ aulâ mundi, velut ingenti quodam odeo, conditoris laudibus iugiter personante, ipsoq́ue cælo, tanquam huius templi vasto fornice, læto repercussu responsante, & impensum suo factori hymnum, iucundè grateq́ue conduplicante.

Postremum: vt, quando ex eorundem autorum mente, hominem in mundo constitutum diximus; non tantùm vt mysteriorum sacrorumúe consortem ac participem, sed etiam tanquam huius diuini templi antistitem; eundem oporteat, demandati sibi muneris assiduè meminisse; & quidquid cogitet agitetúe, quisquis eum locus, quæcunque res teneat, cum eâ sui circumspectione versati, vt si (quod antè indicabamus) in perpetuo agat sacrificio, eiq́ue à quo assiduè pendeat, assiduam quoque immolet gratiarum actionem.

Neque pro se modò id sibi commissum interpretetur, sed pro reliquâ quoque naturâ, brutâ vtique, &, si non vitæ aut sensus, at saltem rationis experte: cuius impotentiam ipse suppleat, velut præsul præsesq́ue rerum istarum sensibilium; pro his autori bonorum omnium largitoriq́ue Deo gratias referens, earum vsum contrectatumq́ue, non nisi ad eius maiorem gloriam adhibens, earundem aspectu ad ipsius laudem, admirationem sese concitans: quod pluribus posthàc inculcabitur.

CAPVT

CAPVT II.

In opere mundi, summam Dei Sapientiam, præ cæteris ei attributis, elucere.

IAm verò vt sensim ad id quod nobis est propositum, gradum faciam: cùm tria sint Dei attributa (vt vocant) præcipua, & quæ propriâ quadam ratione tribus diuinis personis accommodentur: Potentia, quæ Patri; quòd is, non tantùm totius huius Vniuersi (quod ei cum cæteris personis commune est) sed aliarum quoque diuinarum personarum, primum sit ac fontale principium: Sapientia, quæ Filio; quòd sit Verbum Patris, imagoque eius intellectione expressa, ac plena rerum vniuersarum comprehensio: Bonitas, quæ Spiritui sancto; quòd is sit diuinæ voluntatis emanatio quædam ac diffusio, amor atque vinculum, seu veluti quidam Patris & Filij complexus: demonstrandum nobis est, in diuino huius mundi opere, autoris ipsius infinitam Sapientiam, potiùs quàm vllum aliud eius attributum aut perfectionem (vti appellant) elucere. Id quod, quia potest ostendi modis compluribus, estque res, tum ad id quod agimus non parum conducibilis, tum per se quoque digna cognosci, paulò fusiùs nobis operosiusque pertractandum est.

Quam in rem in primis illud obseruo: huius operis molitionem atque effectionem, veluti proprio immediato principio, effectori, fabricatorique, in Scriptura passim atque constanter, ipsi Dei Verbo atque Sapientiæ attribui.

Primùm enim, si S. Augustino libro 1. de Genesi ad litteram, S. Basilio, alijsque credimus; quod in capite libri, hoc est, ipsis primis diuinæ Scripturæ verbis dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram*; hunc sensum habet, vt *In principio*, hoc est, in Filio, siue per Filium, quasi Patris artem ac Sapientiam, omnia creata sint, inque suas species ordines, modos, numerosque digesta: consentaneè ei quod de ipso Filio ad Colossenses 1. v. 16. dicitur: *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cælo & in terra.* Quò etiam expressè facit Ambrosianum illud: *Dixit Pater Filio; fiat Sol; & Filius fecit solem &c.*

Cap. 1.

Gen. 1.

Lib. 4. Hexæm. c. 2.

Rursum quod ibidem affirmat Moses : Deum dicendo & imperando, vniuersa quæ in mundo sunt produxisse ; manifestum id respectum habet ad intelligentiam diuinæ mentis, atque ad ipsam rerum effectricem Sapientiam : cùm *dicere* propriè intellectus sit : atque ita ipsi diuino Verbo, quod (vt alicubi obseruat Guilielmus Parisiensis) *non tantùm enuntiatiuum, sed etiam imperatiuum est*, velut proximo principio, rerum
Ps. 32. v. 6. effectio tribuatur. Vnde & illud est Regij Prophetæ : *Verbo Domini cœli firmati sunt ; & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Neque enim refert ; quod in posteriore versus parte, etiam Spiritus, vt rerum effector commemoretur.

Primùm, quia licet plerique Patres, altiore quodam & reconditiore sensu, priora de Verbo seu Filio, posteriora de Spiritu sancto accipiant: sensu tamen simpliciore (inquit Lorinus noster) Spiritus oris Dei non differt à verbo; sed præceptum vtroque significatur, quod nimirum Deus rebus Vniuersi è suo nihilo educendis adhibuit: quod confirmat ex verbis Isaiæ cap. 11. v. 4. Probabile quippe est, quod in psalmis est frequentissimum ; posteriore illâ versus parte idem significari ac repeti, quod in priore proximè dictum est ; vt nempe Spiritus oris diuini pro diuino Verbo ponatur ; eò quod nimirum verba formentur oris spiritu, siue ipsâ aëris à nobis spirati, in voces articulatas efformatione.

Deinde vt demus, etiam de Spiritu sancto ea verba ad litteram intelligi ; adhuc tamen dicemus, non nisi rarò, & minùs apertè, rerum naturalium molitionem Spiritui sancto attribui; Verbo autem Dei sæpissime & clarissimè ; vti manifestius erit ex mox dicendis.

Secundò igitur considerentur, quæ ipsa de se profitetur Dei Sapientia, siue apud Salomonem in Prouerbijs, siue apud Iesum Siracidem in Ecclesiastico, per quandam prosopopeiam inducta.

Prou. 8. v. 22. Nam priore loco hæc illa de se inter cætera : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Quando præparabat cœlos, aderam ; quando certâ lege & gyro vallabat abyssos ; quando æthera firmabat sursum ;* & quæ sequuntur. Subdit enim de libratis aquis, & imposito mari termino, & fundamentis terræ appensis. Tum illa subijcit : *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies,*

dies, ludens coram eo &c. Quibus significat, Deum in operibus suis modo quodam speciali consortem sibi adhibuisse Sapientiam; & quidquid in mundi architectatione perfectum est, quendam quasi lusum diuinæ artis ac Sapientię fuisse; cui volupe fuerit, manifestare se filijs hominum, & in operum Dei præstantiâ, specie, ornatu, ordine, symmetriâ, spectabilem se præ cæteris, atque conspicuam, admirabilemque præbere.

Verùm etiam efficacior videri potest locus posterior: in quo videlicet ipsa Dei Sapientia, non iam se consortem aut sociam Dei memorat in ipsa Vniuersi effectione, sed molitionem hanc sibi propriè vendicat, dicens: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Gyrum cæli circuiui sola* &c. Quod autem dicitur: *Sicut nebula texi omnem terram*; idem valet atque id quod capite 1. scripsit idem Ecclesiasticus: Deum Sapientiam suam effudisse super omnia opera sua; nimirum quòd horum singula, velut artis suæ diuinæ specimen ediderit, omniaque Sapientiæ suæ vel tanquam rore imbuerit, vel, quod ad speciem decoremque attinet, præclarâ tanquam luce resperserit: vt dicere liceat, res omnes creatas, diuinâ Sapientiâ velut intinctas & quasi coloratas apparere. Eccli. 24. v. 5.

Postremo loco obseruo in libro Sapientię, eidem diuinæ Sapientiæ non tantùm Vniuersi conditionem (quippe quæ Deo adfuerit, tunc cùm orbem terrarum faceret) sed omnem deinde subsequentium sæculorum seriem, totamque adeò œconomiæ mundanæ administrationem, adscribi. Sap. 9. v. 9.

Hanc enim, illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, eduxisse à delicto suo: hanc eripuisse Noëmum ab aquis diluuij, Lothum ab igne descendente in Pentapolim; Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum protexisse & direxisse in omnibus: hanc denique populum Israël, Ægypto ereptum, Duce Mose, cuius animam insederit, deduxisse in viâ mirabili. Tanquam, quidquid vnquam vspiamúe, rectè ac salutariter in orbe terrarum gestum sit, tot sint quasi actus diuinæ Sapientiæ, in theatro Vniuersi ludentis, & approbationem ac plausum ab humano genere requirentis. Sap. 10. v. 1. &c.

Atque in eius rei confirmationem, Patres aliquos partim indicauimus, partim deinceps referemus.

Cæterùm mundi procreationem, non modò Patres Scriptu-

tam secuti, Dei Verbo aut Sapientiæ attribuunt, tanquam vniuersorum opifici, & Patris in rebus condendis ac gubernandis (vt dutiusculè plures loquuntur) administræ: verùm etiam veteres Philosophi, Dei Verbum, seu mentem secundam à prima productam, demiurgam seu rerum opificem (licet non sine errorum admistione) agnouere. *Confitentur enim*, inquit de ijs magnus Athanasius, *esse aliquem Dei λόγον, & hunc ducem Vniuersitatis esse, atque in ipso creaturam omnem à Patre fabricatam esse: huius item prouidentiâ illuminari cuncta* &c. *adeò vt ex prouidentiæ operibus, tam ipse, quàm per eum Pater agnoscatur.* Quæ quidem postrema notari possunt, pro ijs quæ postea dicemus. Tertullianus item in Apologetico Gentes alloquens: *Apud vestros quoque sapientes*, (inquit) *λόγον, id est sermonem atque rationem, constat artificem videri Vniuersitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formauerit.* Et quæ sequuntur.

Lib. de incarn. Verbi.

Cap. 21.

Et sanè, quod locis varijs Scriptura significat, ante omnia genitam à Deo Sapientiam, per quam deinde vt artificem suorum operum, huius Vniuersi naturam omnem machinaretur; simili quadam ratione, tum Hermes Trismegistus, tum Plato, alijque prodidere: dicentes, Deum ante omnia produxisse Verbum suum, veluti propriam atque perfectam sui imaginem, ac deinde eodem Verbo suo effecisse mundum & omnia quæ in mundo sunt, tanquam secundaria minusque perfecta ipsius Dei simulacra.

Videri potest Mercurius in Pimandro, vbi Pimandrum ita inducit loquentem: *Lumen illud ego sum, mens, Deus tuus: illud verò ex mente lucidum Verbum, Dei Filius.* Addit autem: Mentem Verbum complexam, & pulchrum intuitam, ad eius exemplar, res omnes perfecisse; ipso Verbo consubstantiali cuncta artificiosè disponente. Ex quo item Philosopho hæc refert Cyrillus, tanquam ex libro 1. digressionum ad Tatium: *Omnium Dominus dixit sancto & intelligenti & effectori Sermoni suo: fiat Sol* &c. quibus paria ex Ambrosio suprà vidimus.

L. 1. contra Iulian.

De Platonis mente, ne longior sim, videatur Ficinus, partim Theologiæ Platonicæ libro 11. cap. 4. partim in compendio Timæi cap. 9. & 10. Et quæ tum de illo, tum alijs priscis Philosophis, tradit aliàs citatus Eugubinus, de perenni Philosophia lib. 1. cap. 3.

Ex

Ex Philone Iudæo istud attexam: hac ipsa de causa, ex eius mente, Deum Patrem, eiusque Sapientiam, velut duos mundi progenitores atque parentes esse agnoscendos, dum ita ait: *Patrem creatorem mundi, matremq́; eius sapientiam, honore dignabere.* Quod det. pot. insid.

CAPVT III.

Res omnes creatas, quasdam Dei loquentis voces, aut diuini Verbi tanquam expreßiones esse.

VLteriùs igitur argumento nostro insistentes, illud nunc in primis addimus; ex SS. Patrum sententiâ, res omnes creatas, ad humanæ sensum intelligentiæ comparatas, non aliud esse, nisi quasdam Dei nobis loquentis voces, & suam essentiam & Sapientiam manifestantis.

Sancti quippe Patres, tum aliàs non rarò, tum potissimùm illos exponentes Psalmorum versus, quibus res omnes, etiam rationis aut sermonis expertes, inuitantur ad laudandum Deum, dicunt res omnes esse voces quasdam, quibus ipsa sese nobis loquitur diuinitas, & humanæ menti magnam sui admirationem ingerens, ad ipsum earum collaudandum artificem, publico nos quodam atque communi veluti celeusmate hortatur.

S. Augustinus in Psalmum 26. *Ipsæ species*, inquit, *creaturarum, voces sunt laudantium Deum*: Et in Psalmum 148. ad illa verba: *Confeßio eius super cælum & terram: Omnia clamant* (inquit) *omnium pulchritudo vox est confitentium Deo.* Et infrà explicans, quomodo id fiat, subdit: *Ex tuâ consideratione clamant, ex tuâ voce clamant*: quia nempe earum pulchritudo, vocis & clamoris perfectam rationem non habet, nisi comparata ad naturam audientem, siue intelligentem, atque ex operum diuinorum aspectu, sese ad artificem cognoscendum, laudandum atque amandum erigentem. *Non quo cuncta ista* (vt idem admonet alibi) *habeant sensum Deum laudandi; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, & impletur cor creaturæ, ad eructandum hymnum creatori.* Vnde etiam S. Gregorius in Moralibus, tot ait esse tanquam venas ad nos diuinæ vocis, quot sunt ipsius creatoris opera. *Quasi enim per quendam ad*

Enarrat. 2.

In ps. 68.

L. 5. c. 20.

nos

nos sonitum erumpit, dum consideranda nobis sua opera ostendit: in quo semetipsum vtcumque indicat, dum quàm sit incomprehensibilis manifestat. Sic Gregorius.

Sonant igitur creaturarum voces, dum suam speciem sensibus intuentium ingerunt, audiuntur autem, dum humana mens earum aspectu ad laudem conditoris incitatur: vt proinde tunc Deum perfectè laudent, quando nos ex illis Deum laudamus, atque ex his, nobisque, vnus tanquam chorus totius naturæ Deum celebrantis, efficitur. Secundum quod itidem S. Augustinus ad Deum aspirans in suis Confessionibus:

L.13.c.33. *Laudent te* (aiebat) *opera tua, vt amemus te, & amemus te,*

L.10.c.6. *vt laudent te opera tua.* Qui alibi rursum ita exclamat in ijsdem suis Confessionibus: *Cælum & terra & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique dicunt, vt te amem; nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis cui misertus eris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioqui cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas.*

Rectè autem *surdis*: non enim omnes ad has naturæ, immo diuinæ Sapientię voces, auriti sunt; ad idque opus est, tum interiori Dei docentis magisterio, tum docili quadam humanæ mentis attentione. Quam si adhibueris; vt cum Plo-

Enn.3.l.2. c.3. tino hoc dicam Platonico Philosopho; *Mundum audies ita clamantem: me procul dubio fecit Deus, atque inde factus sum perfectus.* Neque hoc tantùm: sed super omnia amandam esse illam pulchritudinem, quæ sicut omnium pulchritudinum creatarum fons primæuus est, ita illas immensò atque infini-

Enn.3.l.3. c.3. to transcendit. Vt enim alibi idem Philosophus: *Considera precor quanto iam interuallo distat ab origine, quod est factum, & tamen quantum adhuc sit admirandum. Neque tamen si tale quiddam est quod gignitur, etiam quod ante ipsum est, omnino tale putandum. Nempe omni effectu præstantius est, extra causam extat, magisq; mirandum, quod aliquid edidit post seipsum, taliaq; ipsius vestigia sunt.* Ita Plotinus.

Quod autem significat Augustinus; omnia vndique clamare & tanquam circumstrepere, eò quòd nihil sit, quod pro suo modulo artificem suum non commendet, & ad amorem prouocet conditoris; hoc item homiliâ quadam expressit S. Chrysostomus; vbi ait, in opere mundi, voces vndequaque emissas loqui artificem. Perinde videlicet, atque si hæ diuinitatis per opera sua loquentis voces, vasto cælorum fornice

exceptæ,

exceptæ, reflexione multiplici reddantur, earumque in sese incurrentium conflictu, atque repercussu, tantus existat Vniuersitatis, tamque canorus clamor, vt planè surdum esse oporteat, qui eum non senserit.

Eundem in sensum, sed in paulò diuersam, quanquam huic affinem, sermonis figuram abiere; qui res omnes creatas, tot quasi litteras seu scriptas voces esse dixere, ipsam diuinitatem notis publicis prædicantes, eiusque infinitam Sapientiam manifestò prodentes & explicantes: ex quibus hic mundus, velut magnus liber compositus & compactus existat, Sapientiæ Dei, seu secundæ personæ Sanctissimæ Triados æmulus; quam in Thibeti regno accepimus, à gentis sacerdotibus, quos Lamas vocant, *Magni Libri* nomine appellari. *Andrad. rel. 2.*

Tertullianus aduersus Marcionem scribens: *Sed ipse mundus,* inquit, *inscriptus est* (diuinâ scilicet, seu prouidentiâ, seu Sapientiâ) *& ab omni conscientiâ legitur.* *Lib. 2. c. 17.*

S. Athanasius oratione contra Idola: *Est homini facultas, ex ijs quæ apparent, Dei cognitionem addiscere, rerum naturâ, veluti litteris per ordinem & harmoniam, Dominum suum conditoremq. indicante.* Sanctus autem Prosper agens de Vocatione Gentium, tradit diuinitatis testimonia nullo vnquam tempore defuisse, in totius mundi pulchritudine inenarrabili, & summæ prouidentiæ beneficijs: *per quæ* (vt subijcit perappositè in rem nostram) *humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur.* *Lib. 2. c. 12.*

Sed audienda est eâ super re Doctoris Angelici sententia; qui scribens in Psalmum 44. ita pulchrè disputat in rem præsentem: *Operatio linguæ est, quod per eam diffunditur Sapientia quæ est in corde, transfunditur in materiam sensibilem, scilicet pergamenum Deus autem & loquitur, & scribit. Loquitur, quando transfundit Sapientiam suam in mentes rationales. Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Scribit, quia iudicia suæ Sapientiæ imprimit in irrationalibus creaturis. Eccli. 1. Effudit illam super omnia opera sua. Sicut enim respiciens librum, cognoscit Sapientiam scribentis; ita cùm nos videmus creaturas, cognoscimus Sapientiam Dei.* Hæc S. Thomas. *Litt. A. in fine.*

Expressissimè denique Guilielmus Parisiensis & Nicolaus Cusanus: iste in tractatu de Vniuerso: *Mundus*, inquit, *est Ver-*

1. p. de vnit. p. 1. c. 11. Serm. Verb. caro fact. *bum ſcriptum, ſeu Scriptura, quâ Deus ſeipſum loquitur*: Hic libro 5. Excitationum: *Mundus eſt, vt liber artis æternæ.* Ita illi. Siue hanc interim allegoriæ rationem eò potiùs adamauerint; quò intelligeremus, egregias illas naturæ voces, non ſono fugaci atque euanido conſtare, ſed ad perennitatem, ipſi mundo inſcriptas, impreſſas, & quodammodo inſculptas eſſe: ſiue, quòd etiam Scripturæ phraſi, (prout innuit quoque S. Thomas) eædem illæ voces, ſeu ſigna manifeſta diuinitatis, non audiri dicantur, ſed conſpici; quod ſignorum proprium eſt, non ore formatorum, ſed ſcripto expreſſorum. Secundùm quod etiam S. Hippolytus Martyr alicubi obſeruat: *Verbum Dei eſſe viſibile; Verbum autem hominis audibile*: ad quod illud adferr ex Ieremia, ſecundum verſionem Septuaginta interpretum: *Quis ſtetit in hypoſtaſi Domini, & vidit Verbum eius?*

De Deo vno &c. Ierem. 23. v. 18.

Neque longè hinc abit S. Auguſtinus; dum libro de vera religione cap. 50. ita loquitur: *Per ſonos ac litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, quaſi quædam verba viſibilia, cum infantiâ noſtrâ parabolis ac ſimilitudinibus quodammodo ludere, non eſt aſpernata ineffabilis miſericordia Dei.*

Verùm pluribus eiuſmodi omiſſis, quæ paſſim occurrunt Patres legenti: hæc quæ nunc diximus cum ſuperioribus comparantes, horum ex illis rationem aliquam, altiùs repetito principio, inueſtigare atque reddere conemur.

CAPVT IV.

Vberior atque expreſſior proximè dictorum declaratio; & ad propoſitum noſtrum applicatio.

IAm verò non vnâ de causâ, res iſtæ creatæ, diuinitatis voces, ſiue Verbi diuini ac Sapientiæ expreſſiones, dici videntur.

Ps. 148. v. 5. Primùm enim, vti ſuprà diximus, Deus purè dicendo imperandoque fecit omnia: *Ipſe enim dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit & creata ſunt.* Vniuerſa igitur, quædam Dei dicentis voces ſunt. Quod enim ſolâ dictione extra dicentem per ſe propriè producitur, aut vox eſt, aut quædam vocis ſpecies; quæ & ipſa vocis, propria eſt germanaque imago, & quædam

dam quasi vox propagatione ad auditum delata, eique mouendo speciali modo attemperata.

Cuius rationis vim egregiè confirmat Clemens Alexandrinus, asserens ex eo priscos Philosophos, quandam in Vniuerso veluti vocem diuinitatis agnoscere, quòd nempe ex Mose didicerint, Deum dicendo vniuersa fecisse. Verba eius in quinto Stromatum, ecce, sunt ista. *Et in summâ, Pythagoras, & Socrates, & Plato, dicentes, se audire vocem Dei, contemplantes vniuersorum constructionem, quæ à Deo accuratè & perfectè facta est, & ab ea perpetuò continetur, audiuerunt Mosen dicentem; Dixit, & facta sunt, atque opus ipsum, Verbum Dei esse describentem.* Hæc ille. Cap. 6.

Rursum: sicut Verbum mentis nostræ, cùm spiritale sit & intus latens, non potest per sese ad aliorum sensus appellere, sed debet vocem induere vt sensibile fiat, & organum impellat, sensumque moueat: vt proinde voces ore formatę, propriè loquendo sint verbi in mente latentis interpretes atque vicariæ, aut veluti quædam interiorum sensorum vehicula, quibus illa inuecta foras prodeant, & quaquauersum ad sensus primùm audientium, deinde ad intelligentiam, deferantur: haud aliter res istæ creatæ, quę diuini Verbi propria soboles, & (vti dicemus) resonantia quædam, seu ἀπήχημα sunt, censendæ sunt esse voces quædam diuini Verbi vicariæ, quibus illud sese quodammodo conuestit, vt nobis in illis apparens, tractari iam possit humanâ intelligentiâ, & ipso quasi sensu palpari. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. v. 20.

Quò item pertinet illa S. Thomæ obseruatio. *Creatura*, inquit, *non potest dici propriè Verbum, sed magis vox Verbi. Sicut enim vox manifestat Verbum, ita & creatura manifestat diuinam artem. Et ideo dicunt Sancti quod vno Verbo dixit Deus omnem creaturam: vnde creaturæ sunt quasi voces exprimentes vnum Verbum diuinum.* Sic ille. In 1. d. 27. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

Ergo, quod antea ex Trismegisto, Platone aliisque obseruabamus: sicut Deus Verbum suum produxit, vt imaginem sui perfectam sibique cognatam, atque (quidquid eorum quidam contrà senserint) ipsi producenti coęquam: ita per Verbum, mundum effecit, vt imaginem sui secundariam, siue vt Verbi vocem, & tanquam imaginis perfectę imperfectam imaginem: cùm Dei Filius sit Patris imago consubstantialis, & suo æqua

 principio;

principio; res autem creatæ, à Dei Verbo longè deficiant; quippe exiles solùm & imperfectæ illius resonantiæ; neque tam imagines (si saltem animam rationabilem excipias) quàm inchoatæ quædam sui exemplaris adumbrationes. Quemadmodum olim dixit Marius Victorinus: *Animam, imaginem* τῦ λόγυ; *at in natura sensuali, non imagines, sed magis simulacra & imitamenta dicenda.* Qui rursum alibi ita Philosophatur, vt dicat: *Anima neque purè vox, neque Verbum; sed sicut Echo audit vt loquatur, imago magis vocis, quàm vox.* Sed de Echone mox plura.

Lib. 3. adu. Arium.

Lib. 1. adu. eundem.

Cæterùm his quæ modò dicta sunt, consonantem etiam habemus S. Hippolyti Episcopi & Martyris priscam Theologiam. Quippe qui in libro, quem de Deo vno ac trino, ac de mysterio Incarnationis, scripsit contra hæresim Noëti, ita loquitur in rem nostram. *Deus cùm solus esset, nihilq; sibi coæuum haberet, voluit mundum efficere; & mundum, cogitans & volens & dicens, effecit. Nihil erat præter ipsum, & ipse solus multus erat. Nec enim erat sine ratione, sine Sapientia, sine potentia, sine consilio: omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, & quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis; per quod omnia fecit. Qui cum vult, facit; quando cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando format, Sapientiam edit. Omnia enim quæ facta sunt, ratione & Sapientiâ fabrefecit: ratione quidem creat, Sapientiâ verò ornat. Eorum autem quæ facta sunt, ducem, consiliarium, & operarium generabat Verbum. Quod Verbum cum in se haberet, essetq; mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, & lumen ex lumine generationis, deprompsit ipsi creaturæ Dominum, sensum suum. Et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem inuisibilis, hunc visibilem facit, vt mundus cùm eum qui apparuit videret, saluus fieri posset.*

Quibus quidem partim obscurioribus, sed ipsâ vetustate venerabilibus, geminam implicare videtur factam à Patre Verbi sui ostensionem: alteram, per productionem mundi; quâ per Verbum suum creans omnia, suamque in eâ molitione Sapientiam ostentans, ipsum Verbum ex inuisibili fecit visibile; ad eum modum quo Verbum mentis nostrę, visibile fit aut sensibile, cùm foras prodit, sensibilibus vocibus indutum.

Alteram, per carnis susceptionem: de qua, apud subtilissimum Cardinalem Cusanum, olim memini legere: Quemadmodum

Lib. 3. doct. ignor. c. 5.

modum mentale Verbum oportet induere vocem, vt fiat nobis sensibile; idque fieri interueniente spiritu dicentis: ita Verbum Dei humanam carnem induisse, vt in ea apparens nobis fieret sensibile atque attrectabile; (vt S. Ioannes in prima sua epistola loquitur) idque esse factum, interueniente diuini Spiritus operatione. Cap. 1. v. 1.

Quam etiam comparationem, inuenio à S. Thoma in quodam opusculo breuiter indicatam. Expressiùs autem S. Augustinus in libris de Trinitate: *Ita enim* (inquit) *Verbum nostrum, vox quodammodo corporis fit, assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum; sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum.* Hæc Augustinus. Opusc. 3. c. 6. L. 15. c. 11.

Sed nemo eam rem, in qua versamur vberiùs expressit Nicolao Cardinale Cusano. Is enim in primis, libro de filiatione Dei, ait, quod *Deus creauit sensibilem mundum istum, ad finem intellectualium spirituum, materiam eius quasi vocem, in qua mentale Verbum variè fecit resplendescere; vt omnia sensibilia, sint elocutionum variarum orationes, à Deo Patre, per filium Verbum, in spiritu vniuersorum explicatæ.* Quod antea ibidem declarauerat, similitudine magistri, verbum suum mentale, per vocis externæ formationem, in auditorum mentes, transfundere satagentis. Et cap. 7. Compendij, eâdem præmissâ verbi vocalis ad verbum mentale comparatione: *Ita* (inquit) *de formatore omnium conceptum facito, vt de mente. Quodq; ipse, de Verbo de se genito, se cognoscit, in creaturâ, quæ est increati Verbi signum, se ostendit in varijs signis variè. Et nihil esse potest, quod non sit signum ostensionis geniti Verbi. Et sicut mens nolens amplius se ostendere, à verbi vocalis prolatione cessat, & nisi indefinenter proferat, existere nequit vocale Verbum: sic se habet creatura ad creatorem.* Et infrà: *Pariformiter sunt creaturæ, quæ sunt notæ & ostensiones interni Verbi &c.*

Ex quibus pronum est id efficere, quod contendimus; res omnes creatas esse voces quasdam Dei loquentis, & claras notas ac signa Sapientiæ diuinæ.

Quod equidem etiam efficaciùs alio quodam loco expressit idem autor, in hunc modum disserens: *Sapientia ex ore Altissimi prodiuit, primogenita ante omnem creaturam. Hæc vocatur* λόγος, *ratio seu verbum: quam Plato & Philosophi nomi-* Excit. l. 5. Serm. Quasi myrrha.

nant Intellectum, Deum de Deo, Deum creatorem; à Patre primo Deo. Ista Sapientia omnia formando lustrat, & vbique lucet. Quæ ante creaturam prodijt ab æterno, vt in creatura conspicitur dicitur creatura. At si quis diceret, videndo librum Platonis; Ecce Platonem: ita nominatur in creaturis Sapientia Dei Patris, creatura. Et quid aliud est creatura, quàm Sapientia Dei sic ostensa? sicut liber Aristotelis, non est nisi Sapientia Aristotelis, sic communicata & ostensa. Duplicem igitur potes hic mundum intueri: vnum in Sapientia ante omnem creaturam, sicut in arte; alium in explicatione; vt in visibili effectu. Videtur in Sapientiâ increatâ mundus, vt in causâ causatum: videtur in mundo sapientia, vt in causato causa. Creator omnium creauit Sapientiam. Si enim omnia creata respicis, non aliud creatum esse comperis, quàm ipsam Sapientiam: nam illâ semotâ, nihil est creatura. Hæc omnia Cardinalis.

Concludat hoc caput Gregorij Nysseni in idem conspirantis præclara sententia. Quippe qui de rebus diuino imperio *In Hexaëm.* in lucem productis agens, cùm illa dixisset: *Quidquid enim ordine sapienterq́; factum est, quædam velut Dei vox est:* vt deinde declaret, hanc ipsam esse vocem Sapientiæ, siue ipsas res creatas, quatenus quædam sunt Sapientiæ diuinæ manifestatio; non ita multò pòst ista subiungit: *Nam imperantia rerum conditarum verba, quæ à Mose ex diuina voce descripta sunt, Dauid ipse conspectam in rebus generatis sapientiam appellauit.* Hactenus Nyssenus.

CAPVT V.

Vniuersum hoc nihil nisi Echonem Verbi diuini esse, vario repercussu, multiplicíq́; responsu, resonantem.

COmmonstremus nunc explicatiùs, quod obiter tantùm superiori capite indicatum est: Vniuersum hoc esse Echonem quandam, & quasi responsum diuini Verbi atque Sapientiæ, variè ac multipliciter in rebus creatis resonantis. Quod videbatur hac ratione posse confieri.

De cæl. hier. c. 2. Cùm apud Areopagitam Dionysium aliquando legerem: *De diu. nom. c. 4. & 6.* etiam res istas corporeas habere in sese diuini decôris aut bonitatis, quædam (vt ipse ait ἀπηχήματα, hoc est, obscuriorem

quan-

quandam imaginem, ſeu, vti loquimur, reſonantiam; & plantas quidem, exempli gratiâ, vitam habere, κατὰ ἔσχατον τῆς ζωῆς ἀπήχημα, *ſecundùm vltimam atque extremam vitæ reſonantiam*; res autem vitæ expertes (quarum, autore S. Gregorio, extrema eſſentia eſt) habere *eſſe* κατὰ πολλοστὸν ἀπήχημα τἀγαθοῦ, *quatenus tenuiſsimum quiddam ipſius boni in ijs reſonat*; ſeu magis ad Verbum, *ſecundum multeſimam*, & quaſi ſæpiùs multiplicatam, *boni reſonantiam*, adeoque à prima longè longeque diſtantem, iamque extremo quaſi tinnitu deficientem; cumque aliunde id meminiſſem, quod Scriptura paſſim edocet, Deum Verbo ſuo creaſſe mundum, atque adeò rerum productionem, non niſi dictionem quandam, proindeque Verbi à Patre concepti prolationem, expreſſionemque fuiſſe: ex his, inquam, in eam veni cogitationem, vt dicerem: L. 16. Mor. c. 18.

Huius Vniuerſi abſolutam pulchritudinem, eſſe inſtar Echus pulcherrimę & artificioſiſſimę, ipſum æternum Verbum, artemque Dei ac Sapientiam, imitatione loquaci, & multiplicato repercuſſu referentis, auribuſque non ineruditis ingerentis atque inſinuantis.

Quanquam ſi mundus hic vniuerſaque natura rerum, ad Verbi diuini comparetur, infinitis modis excedentem & ſuperemìnentem, præſtantiam; non tam Echo, quàm ἀπήχημα, id eſt, obſcurum eius imitamentum, & exilis quidam tenuiſque tinnitus ex Dionyſij mente, cenſeri poſſit. *Semel* quippe (quod Pſalmus ait) apud ſe *locutus eſt Deus*: Verbum vnicum ab æterno progignens, quo vno ſe, & omnia diceret, viuam expreſſamque vniuerſorum formam ac rationem, imaginem menti fecundiſſimæ ſeſe producentis æqualem, infinitam denique Patris intelligentiam, implentem. Verùm huius Verbi Deo coæui, quod propter ſuam infinitatem, vnicâ voce, ceu ſui ſimulacro, repræſentari non poterat, plura ac diuerſa imitamenta, atque ἀπηχήματα, Deo dicente imperanteque, & Verbi ſui generationem extra ſe quodammodo protendente, producta ſunt: ex quibus hæc rerum, velut vox & echo, diuini Verbi vim (quoad fieri potuit, ac congruens fuit) referens, reſultaret Vniuerſitas. Pſ. 61. v. 12.

Porrò vti naturâ comparatum eſt, vt vbi multiplex prolati ſoni repercuſſio, eoque multiplex vocis repetitio contingit, ipſo progreſſu ſenſim decreſcat congeminatæ vocis expreſſio, eoque euadat obſcurior, quò magis ac magis à primâ vocis productione receditur: ita res huius Vniuerſi, quò, naturæ

ſuę

suæ perfectione, principio suo propinquiores sunt, vt Angeli, vt homines, eò diuini Verbi expressior sunt resonantia; idcirco, Sapientum consensu, ipsius diuinitatis imagines appellati: at naturæ reliquæ inferiores, quæ solùm dicuntur diuinitatis vestigia, responsu quodam obscuriore diuini Verbi vim atque energiam referunt, velut extremi quidam conatus, atque tinnitus vocis deficientis.

Atque hoc quod dixit diuinus Areopagita, de multesimâ, & veluti nos explicare cœpimus, semper decrescente resonan-

De diu. nom. c. 4. tiâ; idipsum his verbis exponit interpres S. Maximus: *Quemadmodum siquis magnâ vociferatione aliquid dicat, qui adstant, & bene clamorem, & quod dictum est, percipiunt; qui autem distant, quò magis distant, minùs sonum audiunt; qui verò longè, sonum tenuissimum audiunt, sine significatione vocis.* Sic, inquit, in præsenti cogitandum.

Cap. 14. Eademque mente, licet aliâ sermonis figurâ, libro 1. in Somnium Scipionis ait Macrobius: quod fulgor quidam diuinæ mentis, cuncta quæ ab eâ profecta sunt ordine quodam illuminet, *& in vniuersis appareat; vt in multis* (inquit) *speculis per ordinem positis, vultus vnus.* Quæ quidem plurium speculorum certo ordine dispositorum, & vultum eundem obscuriùs semper obscuriusque referentium comparatio, in rem præsentem aptè conuenit; cùm etiam de Sapientum sensu, res omnes creatæ, quędam sint diuini Verbi ac sapienrię specula.

De casto connub. c. 25. *Vniuersa enim mundialis machina* (ait B. Laurentius Iustinianus) *quid aliud, quàm æternæ veritatis est speculum?* Sic illi.

Itaque vox illa omnipotens, quæ diuini Verbi efficaciâ mundum eduxit è nihilo, multiplici illâ, pro varijs rerum naturarumque gradibus, reflexione ac repercussu, quasi ipso spatio elanguescens, sensim minor fit, ac minùs minusque perfectè à prole, seu opere suo, replicatur ac redditur: non quasi vox ipsa per se sit inefficax, sed de materiæ limitatione atque circumscriptione. Ipsâ interim tot reflexionum diuinę vocis, refractionumúe modulatè decrescentium varietate, ad soni potiùs suauitatem, & auditus spiritualis voluptatem, pertinente. Vt

Argum. in Psalmos. hîc quoque valeat, quod Sanctus ait Ambrosius: *vocem emissam, in nemoribus aut montibus, gratiore plausu, & suauiore sono, resultare.*

L. 1. Ode 12. & 20. Sunt igitur res omnes creatę, tanquam iocosę quędam (vt ad Horatij dictum alludam) diuinę vocis imagines, autori suo multi-

multiplici plausu atque responsu laudem reddentes, eiusdem decorem, bonitatem, sapientiam; suo quæque modulo mortalibus annuntiantes. Secundùm quod ait etiam S. Augustinus, in Psalmum 26. *Vndique tibi omnia resonant conditorem.*

Quam quidem à nobis, occasione verborum S. Dionysij conceptam, atque hoc loco propositam commentationem, confirmare licebit ex ipsius Dionysij paraphraste Georgio Pachymerio, ita quodam loco loquente: *Quod est in visione imago similitudinem quandam primi exemplaris referens; hoc est in auditu* ἀπήχημα, *siue resonantia, similitudinem quandam vocis habens; quod nimirum illud est quod à sono vltimum reflectitur. Considera igitur spiritalem Dei pulchritudinem habere quodammodo rationem quandam soni, singularis prorsus & occulti; ex quo sono, & ex quâ pulchritudine, resonantiæ quædam & quasi similitudines ipsius, licet dissimiliter accipiantur, ad creaturas deferantur.* Sic ille: quem obiter obseruo in Dei pulchritudine, non Echonis, vt alij vertunt, sed soni (Græcè τοῦ ἤχου, non τῆς ἠχοῦς) rationem agnoscere: quippe cum rectiùs in ipso Deo, non nisi principium atque origo resonantiæ, extra Deum autem omnis resonantia seu reflexio constitui videatur. De cæl. hier. c. 2.

Obseruetur denique quod propiùs ad rem præsentem quodam loco tradit ipse Dionysius: Ex Dei nimirum Sapientiâ habere, primùm Angelos, quod intellectuales sint; deinde animas, quod rationales. *Quin & sensus ipsos siquis Sapientiæ quendam sibilum* (Græcè ἀπήχημα) *esse dixerit, nequaquam,* inquit, *à vero aberrabit.* Quibus ille quidem Sapientiam Dei considerat, prout vis quædam est res sibi obiectas percipiendi, & vitali quadam imagine repræsentandi; eiusque sic sumptæ vestigium aliquod, siue tinnitum aut sibilum ait posse agnosci etiam in externis sensibus. At nos, illius loquendi modum alijs in locis imitati, rem quamuis creatam dicimus, esse aliquod Sapientię Dei ἀπήχημα; hanc videlicet, veluti ideam ac formam rerum, quę per Dei Verbum in mundo fiunt, suumque principium suo quæque modo referunt (prout argumento nostro congruebat) considerantes. De diu. nom. c. 7.

CAPVT VI.

Ex rerum omnium Vniuersi tanquam vocibus, carmen quoddam aut canticum existere, quo constet harmonia temporum, & ipsa rerum attemperetur Vniuersitas.

EX hactenus dictis pronum est in hanc cogitationem deuenire, vti elegantem & eruditam, ita præsertim S. Augustino familiarem, & siquis nonnihil philosophari amet, ad vsus actusúe humanę vitæ peropportunam.

Si etenim, veluti satis multis iam ostendimus, res omnes, quibus siue pariter consistentibus, siue inuicem decedentibus ac succedentibus, Vniuersum hoc componitur, velut totidem sunt æterni Verbi ἀπηχήματα, siue diuinæ Sapientię voces; quæ sibi inuicem certo responsu, proportione, consensu, ordinatissimè & modulatissimè respondeant: consequens est, vt illud dicamus (quod ipsa indicat diuina Scriptura, & Patres manifestiùs prodidere) sæculum hoc, atque, vt Tertullianus appellat, *corpus temporum*, ipsamque præsentis Vniuersi constitutionem, esse instar diuini carminis, aut modulatissimi cantici; quo & ipsa sese oblectet Dei Sapientia, ob hoc dicta ludere in orbe terrarum, & per illud artis suæ specimen, & scitas diuinę harmoniæ delitias, ad sui nos notitiam prouocet, sui admirationem, cultum, amorem conciliet.

Adu. Gent. c. 26.

Et Scripturæ locos id indicantes, nonnullos in decursu insinuabimus. E Patribus autem vel vnus sufficiet Augustinus, vt qui non vno loco eam rem nobis, & explicatissimè, & elegantissimè tradiderit.

In primis enim epistolâ 5. ad Marcellinum; huius mundi cursum, proportionem, pulchritudinem, velut magnum carmen diuini artificis considerat; dicens, Deum alia alijs temporibus aptare, vnumquodque accommodatè cuique tempori: *donec* (inquit) *vniuersi sæculi pulchritudo, cuius particulæ sunt quæ suis quibusque temporibus apta sunt, velut magnum carmen cuiusdam ineffabilis modulatoris excurrat, atque inde transeant in æternam contemplationem speciei, qui Deum rite colunt, etiam cum tempus est fidei.* Quibus vtique expressum vides quod dicebamus: res omnes quibus hęc Vniuersitas componitur, & quę spectandæ sunt

ſunt vt particulę pulchritudinis eius, eſſe tanquam voces aut ſyllabas, ex quibus ineffabilis modulator, ipſa ſcilicet artificis Dei Sapientia, magnum quoddam carmen ordinatiſſimumque quaſi concentum efficiat; cuius elegantia & ſuauitas, non ex ſingulis eius particulis, & tanquam ſyllabis, ſoniſúe, ſpectanda ſit; ſed ex elegantiſſimâ, quæ ex his omnibus inuicem compoſitis, in ipſo toto effloreſcit, ſymmetriâ.

Deinde hoc ipſum etiam pluribus tradens idem S. Doctor in alia quadam ad S. Hieronymum Epiſtolâ, in hunc modum loquitur: *Poſſumus etiam rectè illius moderationi iſta relinquere, quem ſcimus omnibus temporaliter tranſeuntibus rebus, curſum ornatiſsimum atque ordinatiſsimum dare: ſed nos iſta ſentire non poſſe, quæ ſi ſentiremus, delectatione ineffabili mulceremur. Non enim fruſtra per Prophetam, qui hæc diuinitus inſpirata didicerat, dictum eſt de Deo: Qui profert numeroſè ſæculum. Vnde ſi homo faciendi carminis artifex, nouit quas quibus moras vocibus tribuat, vt illud quod canitur, decedentibus ac ſuccedentibus ſonis pulcherrimè currat ac tranſeat: quanto magis Deus, cuius Sapientia, per quam fecit omnia, longè omnibus artibus præferenda eſt, nulla in naturis naſcentibus & occidentibus temporum ſpatia, quæ tanquam ſyllabæ ac verba ad particulas huius ſæculi pertinent, in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico, vel breuiùs, vel productiùs, quàm modulatio præcognita & præfinita depoſcit, præterire permittit?* Hæc ille ſcitiſſimè: vbi rurſum vides, huius Vniuerſi particulas, ſiue res omnes ſuis temporibus orientes ac decedentes, ſyllabis aut verbis comparari; ipſius autem Vniuerſi curſum admirabili cuidam diuinæ Sapientiæ cantico; cuius pulchritudinem ac ſuauitatem ſi animo noſtro comprehendere, eiuſque ideam vno cogitatu complecti & informare poſſemus, ſummâ vtique voluptate, & delectatione ineffabili mulceremur. *Epiſt. 28.*

Ad quam ſibi amicam atque iucundam cogitationem etiam alibi reſpiciens, pulchrè dixit, quod, *Verbum Dei, cùm ſit in principio Deus apud Deum, vbi non habet ſyllabas, quia non habet tempora; propter infirmitates noſtras deſcendit ad particulas ſonorum noſtrorum:* cùm ſcilicet ſuſcepit infirmitatem carnis noſtræ, & rex ſęculorum, tempori inſertus, factus eſt & ipſe ſyllaba quædam diuini carminis, & *pars ipſorum ſæculorum.* *In pſ. 103. conc. 4.* *De vera relig. c. 22.*

Atque his plura affinia profert S. Doctor locis varijs: quorum nos nonnulla in decurſu indicabimus.

Quod autem epistolâ suprà laudatâ, huic sensui suo confirmando, Prophetam allegat dicentem: *Qui profert numerosè sæculum*, obseruandum, id desumptum esse ex Isaiæ 40. capite; vbi ita legimus ex versione Septuaginta Interpretum: ὁ ἐκφέρων κατ' ἀριθμὸν τὸν κόσμον αὐτοῦ; quod ita verti solet: *qui educit iuxta numerum ornatum eius*; pro eo quod habet vulgata nostra: *qui*
Isa. 40. v. 26. *educit in numero militiam eorum.* Porrò Augustinus τὸν κόσμον non pro ornatu, sed pro mundo siue sæculo accepit; & illud κατ' ἀριθμὸν, vertit *numerosè*; vt sensus sit: sæculorum seriem cum certo numero seu modulatione sapientissimâ procedere, & instar habere ordinatissimi carminis, aut suauissimi cantici, in quo longa breuibus, acuta grauibus, concitata remissis, similia dissimilibus, contraria contrarijs, artificiosâ modulatione commisceantur.

Quem in sensum accepta Prophetæ verba, illum nobis referunt naturæ aut cæli concentum, de quo sic legimus in li-
Iob 38. v. 37. bro Iob: *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?*

Atque illum quidem, non sensili sono aures mulcentem (vt Pythagoræ quidam, etsi minùs iustè, tribuunt) sed ratione solâ, ordine, proportione constantem, & non nisi mente & intelligentiâ comprehendendum.

Neque aliâ mente dicemus fuisse Platonem, dum ex Pythagoricâ philosophandi ratione, mundum vniuersum, humanosque animos harmonicâ quadam numerorum proportione constituens, ipsi quoque cælo suam musicam attribuit, ab animabus cælorum motricibus (quas idcirco Sirenas appellat) formatam, atque compositam.

Sic enim is Dialogo 10. de Rep. siue de Iusto, disertè tradit: *Supernè præterea cuilibet circulo hærere Sirenem, vnà cum globo delatam, vocem vnam, vnum videlicet tonum, emittentem.* Quod pluribus explicans Ficinus, argumento in eiusdem Ionem, siue de furore Poëtico; ait, ex Platonis mente Musas esse sphærarum cælestium animas: *quæ* (inquit) *nouem animæ, nouem Musæ vocantur; quia dum cælos harmonicè mouent, musicam pariunt melodiam; quæ in nouem distributa sonos, octo scilicet sphærarum tonos, & vnum omnium concentum, nouem Sirenes Deo canentes producit.* Porrò in sequentibus idem Ficinus, sphæris cælestibus Musas singulas speciali ratione attribuit: addens aliter, Apollinem animam esse solis, corpus autem solis, ipsius lyram.

lyram. Quam appellationem ipsi cælo assignabant Pythagorici, illud Dei lyram appellantes ; prout idem Ficinus, suis commentarijs in Plotini librum tertium Enneadis secundæ cap. 4. testatur. Vt & in his facilè, cælos Dei gloriam & Sapientiam annuntiantes, possis agnoscere.

CAPVT VII.

De concentu cæli; orbiumq; cælestium cum nouem choris Angelorum consonantiâ.

VEruntamen hunc ipsum cęlorum concentum, harmonicâ quadam proportione diuinas laudes prędicantium, diuerso non nihil, magisque Christiano sensu, exponere liceat; si Theologiam nostram cum Platonicâ coniungentes, quas ille nouem siue Sirenas, siue Musas appellat, nos nouem Angelorum choros siue ordines interpretemur: non quasi vllum dogma nostrum videri velimus ab externis Philosophis mutuati; sed potiùs vt illos (quod sæpe facit Clemens Alexandrinus in libris Stromatum) ex Prophetis nostris, sacrisque libris profecisse, demonstremus. Quemadmodum in re quam modò tractamus manifestum est, Iamblicum Philosophum, in libro de Mysterijs, de numinibus inuocandis agentem, Angelorum & Archangelorum Principatuumque nomina à nobis accepta vsurpasse; quibus tamen Deos & dæmonas & Heroas adiungit, ex Ægyptiâ aut Græcâ superstitione. *Apud Ficinum.*

Quò & illa spectant Minutij Felicis in Octauio: *Animaduertis Philosophos eadem disputare quæ dicimus; non quòd simus eorum vestigia subsecuti, sed quòd illi de diuinis prædictionibus Prophetarum, vmbram interpolatæ veritatis imitati sint.*

Igitur vt rem ipsam explicem; quando ex magni Augustini sententiâ, in libro suarum Confessionum duodecimo, cæli nomine quod initio Genesis à Deo conditum memoratur, cælum spiritale seu intellectuale (Angelica scilicet creatura, quæ semper faciem Dei contemplatur, facta diuinæ æternitatis particeps) intelligendum videatur; isti S. Doctoris cogitationi insistentes, haud incongruenter primùm dicemus: ex ipso totius Angelicæ naturæ complexu, quandam conflari velut machinam supramundanam ac supra cælestem, nouem illis suis *Cap. 9. 13. &c.*

ordinibus, seu choris harmonicis, tanquam totidem orbibus cælisúe spiritalibus, constantem; ex quorum ad inuicem ordine, consensu, responsu, proportione suauissimâ, concentus resultet inenarrabilis, & diuinis quidem auribus iucundissimus, solis autem ipsis diuinis Sirenibus, aut non nisi puris beatisque mentibus, intelligendus. Quos equidem cælos spiritales, idem
Ibid. c. 1. & 15. Augustinus, Psalmo 113. v. 16. cælum cæli appellari censet, pro-
Ps. 148. v. 4. pter ipsorum eminentiam, & quia (vt ait) *ad illud cælum cæli, etiam terra nostra cælum, terra est*; eosdemque addit, in Psalmo alio ad Deum laudandum, eiusque nomen suo illo concentu concelebrandum inuitari. Quò referri potest etiam
Cap. 38. v. 7. quod in libro Iob dicitur: *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Nam si eo loco astrorum matutinorum nomine cum Hieronymo, Gregorio, alijsque, sanctos Angelos accipimus; iam in ijs verbis manifestus est ad cælos nostros spiritales respectus: quorum etiam concentus videtur innui, ex hoc quòd Deum *simul* laudare perhibentur. Cui expositioni etiam fauere videtur, quæ Sanctis Angelis cum stellis intercedit analogiæ ratio: cùm vtrisque competat, dici & esse cælorum ornatum; ijsque in diuinis litteris communis sit, exercitus cælestis, aut militiæ cæli, appellatio.

Adde, ex communi interpretatione, ipsos Sanctos Angelos in membro altero Filiorum Dei nomine venire. Quomo-
In Epinomide. do (vt id obiter interseram) etiam Plato Sirenes cælestes, sorores esse pronuntiat; eodem nimirum Patre Deo prognatas, vultu, id est moribus affectibusque consimiles, atque in vnam eandemque Patris sui cælestis gloriam, harmonicis illis motibus suis conspirantes.

Sed, quoniam ita comparatum est, vt inferiora oporteat, proportione quadam respondere superioribus: idcirco vlteriùs, nec sine fundamento dixerimus: Nouem sphæras cælestes (quem olim numerum, cum Ptolomęo, Hipparcho &c. cęlis assignabant Astronomi) nouenis illis cęlis spiritalibus, seu choris Angelicis, naturali quodam responsu comparari, atque alludere. Siue interim velimus, in re inexploratâ Theologis, vnicuique sphęrę singulatim propriam è choris singulis attributam Intelligentiam: siue hanc rem dicamus, in solâ naturę operationumue analogiâ versari; aut fortasse etiam istius responsûs gratiâ, quandam his in illas, velut pręsidibus aut antistitibus, aspirationem, energiam, directionem conuenire.

Atque

Atque his affinem philoſophandi modum placuiſſe video Franciſco Georgio Veneto, in docto ac curioſo Opere, quod Harmoniam mundi totius, inſcripſit.

Quippe qui eius Harmonię Cantico 1. Tomo 4. Angelorum choros ſingulos, totidem cælorum corporeorum ſphæris, eâ ratione attribuit; vt *Seraphinos* dicat reſpondere primo mobili; eò quòd hi, ex S. Dionyſio, Deo proximi ſint, ſemper mobiles circa diuina, & vniuerſali abſolutaque motione, cuncta promouentes, vt ad ipſum primum denique redeant. *Cherubinos*, cælo ſidereo: quòd tam hoc quàm illi repleantur pulchris imaginibus, ex fonte idearum deriuatis. Nam, velut, teſte Dionyſio, Cherubicus ordo plenus eſt diuinâ pulchritudine, & ſcientificâ traditione: ita octaua ſphæra exornatur aſtris radiantibus, imaginibuſque ſignorum cæleſtium; quas ex neſcio quorum (quos appellat viros probatiſſimos) paradoxâ ſententiâ, ſignificat non tantùm in ſitu ſiderum, ſed in veris figuris apparere. *Thronos*, ſphæræ Saturni: quòd huius Planetę aſpirationum participes, firmi ſint ac ſolidi conſilij, profundæ ſcientiæ, ſolitudinis, ſilentij, ac quietis amantes: in quibus clara appareat Thronorum ſeu Sedium, atque Saturni analogia. *Vt non ſine myſterio* (inquit) *Deus dicatur quieuiſſe die ipſi attributo, eodemq; die populo ſuo quietem, ſiue Sabbatum, indixiſſe. Dominationes*, Ioui: quòd huius efficientia dicatur præſertim conſiſtere, in conciliandâ dignitate formæ, nobilitate animi, iuris dicundi, legum ferendarum, (verbo) regendi dominandique autoritate. *Virtutes*, Marti: quorum, vel ex ipsâ appellatione, proprijſque operationibus, ſatis illuſtris eſt comparatio. *Poteſtates*, Soli; quòd eæ, ex munere ſuo, benignis ac beneficis aſpirationibus, bona concilient, mala aueitant, tenebrarumque principibus, ſiue aduerſis poteſtatibus, obſiſtant. *Principatus*, Veneri cæleſti; quòd earum proprium cenſeatur, ordinem in rebus ac proportionem intendere, atque adeò diuini decôris ac pulchritudinis imitationem: dicente S. Dionyſio, quod deducunt ea quibus principantur, in conformationem Opificis, cuius imaginem gerunt.

In quo itidem iuſto partium ad inuicem reſponſu ac conuenientiâ, quidam elucet decor, vniuerſalis perfectæque iuſtitiæ, de qua celebre eſt illud Philoſophi: *Eam eſſe virtutum omnium præſtantiſſimam, & neque Heſperum, neque Luciferum* (quę reipſa ſunt ipſum aſtrum Veneris) *adeò eſſe admirabilem.* Eth.Nicom. l. 5. c. 1.

Archan-

Archangelos, Mercurio; quòd ij, secundum Dionysium diuinas illuminationes Deiformiter annuntient, vt nobis per Angelos eas manifestent secundum sacram vniuscuiusque illuminatorum analogiam. Et ipse Mercurius idcirco Deorum nuntius atque interpres creditus sit quòd eloquentiam ac prudentiam conciliet, & (quod ait autor) *numeros vocales, & formales aut*
Somn. Scip. *rationales, conducere in eandem consonantiam laboret. Angelos*, Lunæ; quòd, veluti Luna (quod ait Tullius) vltima cælo, citima terris, superiorum effluuia nobis proximè communicat, eiusque adeò effectus magis sentiuntur: ita Angeli, & naturâ nobis propiores sint, & nobiscum versentur familiariùs, & cælestium gratiarum nobis sint interpretes & administri.

Quæ omnia pluribus citatus autor, & ingeniosè sanè, persequitur. Idque haud scio, annon aptiùs & accommodatiùs, quàm loco antea citato Marsilius, de Sirenibus Musisue suis in hæc ipsa verba disserens. *Calliope Musa* (inquit) *vox est ex omnibus resultans sphararum vocibus: Vrania, cæli stelliferi; per dignitatem sic dicta. Polymnia, Saturni; propter memoriam rerum antiquarum. Terpsichore, Iouis; salutifer enim choro hominum. Clio, Martis; propter gloriæ cupiditatem Melpomene, Solis; quia totius mentis temperatio est. Erato, Veneris; propter amorem. Euterpe, Mercurij; propter honestam in grauibus rebus delectationem. Thalia, Lunæ; propter viriditatem, eius humore rebus exhibitam.*

Ita ille; suæ attributionis, analogiæúe, ratione fermè petitâ, ex Græcarum vocum, quibus vnaquæque Musarum appellatur, annominatione.

Quid si porrò dicam, posse nos fortassis, etiam ex diuinis Litteris, antè memoratæ viri eruditi cogitationi nonnullum pondus autoritatis adiungere? Quippe cùm inueniam eruditissimum iuxta atque antiquissimum Clementem Alexandrinum
Cap. 5. libro 5. Stromatum ita loquentem: *Annon hæc sunt similia ijs quæ dicta sunt à Propheta Sophonia? Et assumpsit me spiritus, & sustulit in quintum cælum, & contemplabar Angelos qui Domini vocabantur, & diadema eorum impositum à Sancto Spiritu; & erat sedes vniuscuiusque eorum septuplo maior luce solis orientis; habitantes in templis salutis, & laudant Deum ineffabilem & altissimum.* Sic ibi. Quæ, etsi, vt notat Clementis expositor Gentianus Heruetus, hodie in Sophonia non inueniantur (vti vtique nec apud Septuaginta Interpretes, quos consului)

consului) credibile tamen est, æuo Clementis, ita in illo lecta fuisse.

Ex hoc etenim loco non obscurè liceret deducere: quemadmodum istic quintum cælum assignari videmus Dominationibus, tanquam illi, aliquo modo, & quacunque tandem præsentiæ ratione, præsidentibus: ita reliquas sphęras cælestes reliquis Angelorum ordinibus posse quodam ordine, & certâ proportione attribui; sic vt Ordines singuli singulis orbibus cælestibus speciali ratione præsideant, in illis quodammodo inhabitent, & velut in templis totidem summo Deo dicatis (quod obserues pro ijs, quę nos deinceps disputabimus) ipsum Altissimum suauissimis laudibus celebrent, & illum denique, in quo modò versamur, cęlestem concentum efficiant, ex nouem veluti musicis choris existentem atque constantem.

Cui diuinæ Cælorum, Virtutumque cælestium, reliquorumque Angelorum, sociâ inuicem exultatione consonantium symphoniæ, suorum etiam fidelium voces (quamlibet exiles atque impares) hymno illo, quo sacro canoni diuinissimi sacrificij ipsa præfatur, adiungi exoptat atque flagitat Ecclesia. Siue, vt voces nostræ, veluti minùs dignę per sese, ex sui ad illum cæli concentum adiunctione, euadant Cęlo acceptiores: siue, vt ex cælestium terrestriumque vocum consensione, plenior existat, Deoque dignior, totius Vniuersitatis laudatio.

Neque hoc loco quemquam moueat, quòd sacri Doctores communiùs, non quintum (vt facere videtur Sophonias apud Clementem) sed quartum dignitatis locum Dominationibus assignant.

Nam etiam S. Dionysius libri de cælesti Hierarchia capite 6. nouem Ordines Angelorum enumerans, Dominationes medias in secundâ Hierarchiâ, siue quinto loco collocat; tametsi deinceps, quando de Hierarchijs singulis propriè ac seorsum sermonem habet, videatur communiori opinioni fauere.

Quod autem in Psalmo 67. v. 5. vbi nos legimus: *qui ascendit super occasum*; Chaldæus Paraphrastes sic habet: *sedentem super sedem gloriæ in nono cælo*; cæli noni nomine fortassis intellexit Empyreum, ex receptâ priscorum Chaldæorum sententiâ, quos constat solummodo octo cælos mobiles posuisse.

Neque ab his admodum abhorret quod legere est in Hermetis Pimandro, præsertim secundum Francisci Patritij versionem

nem Græcis consentaneam; vbi describitur anima, ordine quodam per septem zonas siue circulos ad Deum conscendens, atque vbi peruenit ad octauam naturam, audire Virtutes quę super eam sunt (tanquam ei præsidentes videlicet) voce quadam propriâ laudantes Patrem, ijsque similis effecta & ipsa cum illis celebrare Deum &c.

Denique à nobis memorato cælesti Angelorum concentui fauere videtur Doctor Angelicus, dum illud Iobi: *cum me laudarent astra matutina*, ait, *etiam referri posse ad Angelos, quorum ministerio corpora cælestia mouentur; ita vt quod subditur: & iubilarent omnes Filij Dei, referatur ad Angelos supremæ Hierarchiæ, quos Dionysius dicit esse collocatos in vestibulis Deitatis.* De cæl. hier. c. 7. *Et ideò signanter illis, tanquam inferioribus, laudem; istis autem, tanquam superioribus, attribuit iubilationem, quæ excellentiam quandam laudis importat.* Sic ibi. Porrò ex occasione illius dicti S. Dionysij, obiter obseruet lector studiosus, eâdem ipsâ loquendi figurâ vsum esse Plotinum, dum mentem nostram Enn. 5. l. 9. c. 2. esse dixit in ipsius Boni (seu primi principij) vestibulo constitutam.

CAPVT VIII.

Nonnulla adduntur ad mundi harmoniam spectantia. Obiter admonitum: Non parum referre, quas aures, quos oculos, ad naturæ voces, rerumúe formas percipiendas, adferamus.

VEruntamen Deum præclaræ cuiusdam harmoniæ mundi modulatorem in suis versibus agnoscit etiam S. Paulinus, natali nono S. Felicis ita canens:

Sic Deus omnisonæ modulator & arbiter vnus
Harmoniæ, per cuncta mouet quam corpora rerum,
Et naturæ opifex Deus omnis & artis &c.

Et ex Varronis mente Licentius, Augustino dilectus discipulus, in suo ad Magistrum carmine; dum optat assequi profundi Apud Aug. ep. 39. autoris illius, hoc est Varronis, arcanam mentem

—sacros-

——— *sacrosq́* (vt ait) *attingere sensus,*
Queis numerum dedit ille tonis, mundumq́ Tonanti
Disseruit canere, & pariles agitare choreas.

Addere licet & Trismegisti Mercurij, in Asclepio, his consonantem sententiam: dum, *ordinem rerum singularum, in vnum, omnium artifici ratione, collatum*, ait, *concentum quendam melo diuino dulcisonum verissimumq́, conficere.* Cap. 6.

Quemadmodum etiam Philo Iudęus, Chaldæos ait; *terrena sublimibus, & cælestia coaptando terrestribus, tanquam ratione musicâ ostendere rerum concentum pulcherrimum.* Atque ex mente Procli, *per harmoniam in cælo regnantem, superos reliqua harmonicè cuncta contemperare*, docet Marsilius, ista ex eo Philosopho referens: *Cælum concentu motionumq́ concinnitate plenum est. Deinde numina nobis superiora harmoniæ cælitus participia sunt. Post hæc hominum vita rectè disposita, consonantiam morum, & actionum concinnitatem suscipit* &c. De migrat. Abrah. In Extractis Procli.

Eodemque postremò pertinet, quod Exhortatione ad Gentes in principio, pluribus disserit Clemens Alexandrinus: nempe Verbum diuinum cantico quodam omnia creasse & recreasse; sic de eo loquens, inter cætera: *Hoc tibi & Vniuersum Numerosè concinneq́ exornauit, & elementorum dissensionem in ordinem redegit consonantiæ, vt ei totus mundus fieret harmonia*; & quæ sequuntur.

Quem demum concentum harmonicum, ex illâ præsertim contrariarum ac sibi pugnantium rerum concordi discordiâ enasci atque consurgere, ipse Augustinus eleganter obseruat libro 11. de Ciuitate Dei cap. 18. vbi persistens in sibi familiari allegoria, dicit: *Deum ita ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis, exornasse.* Nempe, vti carminis ratio, syllabis constat longis ac breuibus; melodia, sonorum acuti & grauis temperatione. Aut, quò equidem potiùs eo loco respicit S. Doctor, velut oratio ijs quę dicuntur antitheta, seu contraposita, tanquam colore rhetorico, illuminatur. Ita enim subijcit ibidem: *Sicut ergo ista contraria contrarijs opposita, sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam rerum, non Verborum, eloquentiâ, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur.* Quod idem iam olim sic expresserat in dialogis de Ordine, ex persona discipuli sui Licentij: *Ita quasi ex antithetis* (inquit) *quodammodo, quod nobis* L. 1. de Ord. c. 7.

etiam in oratione iucundum est, id est contrarijs, omnium simul rerum pulchritudo figuratur. Eodemque pacto Philonem quodam loco commemini, *multiformem* illum (vt ipse appellat) ex tot rerum naturis, *mundi contextum*, admirantem, in illâ proprietatum adeò differentium, inter se temperatione atque mixturâ, etiam musicam quandam symphoniam agnoscere.

Lib. de Somnijs.

Sed nos plura deinceps huc pertinentia ex Augustini dictis proferemus. Quanquam ea quæ hîc posuimus, rem ipsam manifestam faciant. Vt mirum sit plerosque mortales, istas tam sonoras vniuersæ naturę voces, & modulatricis Sapientię diuinum carmen, non attendere; & nescio quarum Sirenum perniciosis cantibus occupatos, suauissimum illum cælestium Musarum concentum perpetuo tenore circumsonantem, aut aure surdâ præterire, aut quodam quasi delicato fastidio contemnere.

Sed interest sanè quas aures ad eas naturæ voces percipiendas admoueamus; aut quibus oculis, rerum huius mundi pulchritudinem contemplemur.

Rectè enim B. Gregorius de illo apud Iob cęli concentu agens, ait illum reprobis dormire, sed non electis. *Omne enim visibile* (inquit) *quod in hac vita reprobos figit* (hoc est, in sui consideratione atque amore fixos detinet) *hoc electos ad alia impellit: quia dum bona quæ facta sunt respiciunt, in eum à quo facta sunt inardescunt. His itaque concentus cæli non dormit; quia eorum mens, quæ sit laudis supernæ suauitas, appositâ cordis aure cognoscit.* Cuius oppositum ait reprobis obuenire, de quibus subdit: *Solis namque visibilibus seruiunt; & idcirco nihil supernæ suauitatis intrinsecus audiunt, quia eos, sicut superiùs diximus, in aure cordis curarum secularium surdi tumultus premunt.* Hæc S. Gregorius.

L. 30. Mor. c. 9.

Eandem ob causam hortatur nos S. Augustinus, scribens in Psalmum 56. vt in rebus istis contemplandis oculos Christianos habeamus: *Intendite* (inquiens) *fratres mei. Christianos oculos habete: nolite decipi visibilibus.*

Nam cùm in rerum naturâ considerandâ, non vnâ omnes voluptate ducantur, dici possumus ad eius contemplationem, triplicem tanquam oculum adferre. Quorum primus dicatur *Animalis*: cùm sola delectat rerum istarum externa pulchritudo; ita vt animus solùm consistat in rerum formâ sensibili, pulchrum esse solem, pulchra sidera, amœnas siluas, speciosos vultus, agnoscens; neque ampliùs quidquam de earum essentia,

tia, partibus, artificio, autore ipſo & artifice, inquirens. Qua ratione plerique mortales bruto quodam impetu feruntur in iſta viſibilia, ijſque ad ſolam oblectationem ſenſuum, animantium inſtar, abutuntur.

Alter dici poteſt *Philoſophicus*: qui ſolâ ſciendi cupiditate, iſtius mundi contemplatur, venaturque naturam; eſſentiam omnium quę cælo terraque continentur, cauſas, effectus, proprietates inquirit; Vniuerſi ipſius ſymmetriam, partium conſenſum atque reſponſum agnoſcit, atque etiam fortaſſis ex tanti operis admiratione, ipſum inueſtigat, ac denique inuenit artificem; non eum colendi, eiúe ſeruiendi ſtudio, ſed inani duntaxat, ac curiosâ, frugiſque vacuâ ſpeculatione.

Poſtremus dicatur cum Auguſtino *oculus Chriſtianus*: quando videlicet in rebus iſtis contuendis ac contemplandis, non ſolâ capimur earum formâ, exterioriúe pulchritudine; neque nudo earum artificio, aut naturæ ipſarum inquiſitione paſcimur; ſed in rebus creatis, non tam res ipſas, quàm earum autorem formatoremque Deum intuentes, ipſius admiramur potentiam, ſapientiam veneramur, bonitatem amplectimur; ſicque eius amore ac deſiderio inardeſcimus. Hoc enim denique ſapientiſ proprium eſt; ſiue, vnamquamque rem per altiſſimas cauſas cognoſcere; ſiue eam ad vſus, ad quos ab ipſo artifice ſuo effecta & comparata eſt, prouidè ac conuenienter adhibere. Vt proinde de eo qui aliter faciat, ex diuini Spiritus oraculo, rectè ſcriptum ſit: *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Pſ. 91. v. 7.

Quamobrem præclarè ac ſapienter S. Auguſtinus libro 3. de libero arbitrio cap. 23. *Reuera* (inquit) *ſi piè ac diligenter attendas, omnis creaturæ ſpecies & motus, qui in animi humani conſiderationem cadit, eruditionem noſtram loquitur; diuerſis motibus & affectionibus, quaſi quadam varietate linguarum, vndique clamans atque increpans, agnoſcendum eſſe creatorem.* Verùm vt iſtius eruditionis & tanquam diſciplinę naturę rerum, is qui eſſe debet, fructus exiſtat; ſolerter admonet, *piè ac diligenter* attendendum: ne ſcilicet vel per indiligentiam, rerum iſtarum nudam ſuperficiem attendentes, earum formâ atque decore decipiamur; vel, non pietate in creatorem, ſed curioſo otioſoque ſtudio ducti, nullo fructu ſpiritus, nullo (vt ſic loquar) ſapore mentis, ijs contemplandis perſcrutandiſque exerceamur.

CAPVT IX.

In cunctis Dei operibus, diuinæ artis ac Sapientiæ notas recognoscere, in eoq́; subinde studiosius se exercere; rem esse dignissimam Sapiente.

HIc verò iam admoneri me sentio; vt quoniam meditationem hanc, quâ res Vniuersi dicebam esse veluti totidem voces aut prædicationes diuinæ laudis, ex quibus existat concentus suauissimus, & tanquam pulcherrimum canticum, præcentrice Dei Sapientiâ emodulatum, non parum conferre significaui ad vsum vitæ, morumq́ue disciplinam; nonnulla hinc ducere aggrediar, hisq́ue interseram, præcepta veræ Sapientiæ: non inutili, vt equidem existimo, neque iniucundâ studioso lectori diuersione.

Inter quæ id primum ac princeps haberi posset, quod iam proximè ex S. Augustino posuimus: nobis nimirum enitendum esse sedulò, vt res omnes, etiam quæ in vsus nostros occursusúe quotidianos veniunt, Christiano oculo aspicere; neque earum tantùm admirari externam speciem, prout insipientes faciunt; sed ijs impressas artis diuinæ notas ac vestigia, & Sapientiæ illius ineffabilis, non tam lineas, quàm lineamenta, recognoscere, atque ex his ad ipsam infinitam autoris pulchritudinem bonitatemq́ue demirandam, venerandam, amandam assurgere, pio studio consuescamus.

Serm. 44. de verb. Dom. Ne (quod ipsum rursus ex Augustini sensu depromptum est) in hac vitæ rectè instituendæ disciplina, inter illitteratos idiotasq́ue recenseamur: vt qui in huius mundi magno codice admiremur quidem ipsorum apicum pulchritudinem, illorum autem vim, aut quid sibi velint aut indicent, non assequamur. *L. 3. de vsu part. hum. corp. c. 10.* Rectè quippe iam olim à Galeno quoque obseruatum est; in præstantium operum contemplatione, inter idiotam, & eum qui artis dignoscendæ peritus sit, hoc interesse; quod illum quidem attonitum reddit pulchritudo materiæ, puta si opus auro argentoúe confectum est; hunc verò pulchritudo artis; quæ etiam subinde eò maior est, quo materia vilior.

Ex quo ille id probè sapienterq́ue concludit: Mundi pulchritudinem contemplanti, non demirandam laudandamq́ue duntaxat

duntaxat conditoris artem, in his operibus quæ nobis per ſeſe præſtantiora videntur, vt ſole, luna, ſideribus; ſed in his etiam quæ viliora apparent, quòd ſint ex hoc noſtro terreno luto efficta. Etſi enim iſtæc, ipsâ quaſi materiâ differant; *artificis tamen ars in vtriſque* (inquit) *eſt æqualis.* Sic ferè Galenus.

Iſti porrò rei quam præcipimus faciliùs conſequendæ, addimus nunc, fore pretium operæ; ſi ſubinde, atque ex interuallo, partem aliquam temporis, vel de curis noſtris, negotijſque decerptam ac ſtudioſè ſepoſitam, vel ex ipsâ locorum atque temporum occaſione fortuitò oblatam atque ſuggeſtam, vnicè huic demus impendamuſque exercitio; contemplationi inquam diuinorum operum, & tanquam venationi diuinæ Sapientiæ, per veſtigia ſua ſeſe paſſim vbique prodentis. Ad quam præclaram occupationem, non tam ipſo ſermone, quàm documento experimentoque ſuo, nos prouocat, huius diſciplinæ magnus magiſter Auguſtinus, dum de hoc agens mentis in Deum ex rebus creatis aſcenſu, quàm ea ſibi res iucunda eſſet, quamque optata, teſtatur ſic de ſe ſcribens: *Sæpe hoc facio. Hoc* L. 10. Conf. *me delectat; & ab omnibus actionibus neceſſitatis quantum relaxari* c. 40. *ri poſſumus, ad eam voluptatem confugio.* Addens, ſe inter hæc quandoque in Deum ſic exultare & rapi ſolitum, vt in affectum quendam inuſitatum intromiſſus, & in neſcio quam dulcedinem, futuræ vitæ beata gaudia delibare ac præcipere videretur.

Atque id ſanè exercitij compertum eſt, omnium ætatum atque gentium ſapientibus familiare, iucundumque fuiſſe. Iſaacum indicat ſacra Geneſis, diurnis perfunctum laboribus, in- Cap. 24. clinatâ die in agrum egredi ſolitum, vt ſolitarius diuinorum v. 63. operum contemplatione frueretur. Moſen ipſis annis quadraginta quibus vitam egit paſtoritiam in terra Madian, ipsâ docente ſolitudine, & cæli terræque inſpectione atque magiſterio, ſummam aſſecutum ſapientiam; ſignificat Philo in eius Vita. Porrò Dauid, tot externis bellis, tot regni curis occupatus, huc ſeſe referebat identidem, vt rerum iſtarum tumultu ſepoſito, cæleſtium orbium ac reliquæ naturę ſpectaculo vacaret, & opera digitorum Dei, Sapientię inquam diuinæ luſus, admirabundus contemplaretur.

Hinc enim illa ſunt, inter cętera, cùm ita canit Pſalmo octauo: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quoniam*, inquit, *videbo cælos tuos, opera digitorum*

digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti. Quibus istam sibi amicam fuisse significat exercitationem, vt præsertim nocturno tempore, cùm in ordines suos composita, majestate summâ ac silentio procedit cæli militia, eo se spectaculo pasceret, & per eas noctis silentis moras, Deum in suis operibus, veluti liber atque iam suus, otiosiùs admiraretur. Quod quidem & S. Patriarchæ nostro Ignatio, alijsque scimus, vti prędulce, ita perfrequens, ac quotidianum fuisse.

Amœnum est in re præsenti, quod de sene quodam, Macedonio nomine, in monte deserto atque semoto, haud procul Antiochiâ, philosophante, refert B. Theodoretus. Nempe cùm dux quidam eundem in montem magnâ cum turbâ aliquando venando deuenisset, isque repertum istîc Macedonium admirabundus interrogasset, quid tandem rei in horridis illis desertisque locis agitaret; ex eo vicissim quæsisse senem; Et quidnam acturus eodem ipse aduenisset; atque accepto, venisse venationis gratiâ, eidem iucundè reposuisse: *Et ego meum venor Deum, & eum capere cupio, & complecti desidero, nec ab hac pulchrâ cessabo venatione.*

Philoth. c. 13.

In quorum numero diuinorum venatorum, si sanctum audimus Bonauenturam, reponere licebit S. Franciscum Seraphicum. Nam quemadmodum venatores, ferarum obseruant vestigia, quò earum lustra aut cubilia deprehendant: ita S. Franciscum ait Bonauentura, Deum suum, per impressa rebus, ipsius vestigia, studiosè persequi solitum, quò eum denique apprehenderet, qui finis erat ac summa desideriorum suorum. Sed ipsa ecce annumero S. Doctoris verba, vti ad id quod modò agimus perappositа. *Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui totus est desiderabilis. Inaudita namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem, in creaturis singulis, tanquam in riuulis degustabat; & quasi cælestem concentum perciperet, in consonantiâ virtutum & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini, more Prophetæ Dauid, dulciter hortabatur.*

Vit. S. Franc. c. 9.

In quibus agnoscis, & impressa rebus diuinæ artis ac pulchritudinis vestigia & ex creatis rebus paratam scalam ad apprehendendum

hendendum conditorem, & cœlestem concentum, in virtutum siue affectionum eisdem inditarum consonantiâ: quæ cuncta aduertis nostris vsibus institutoque seruire.

Sed, omissis nostrorum pluribus, vt externorum sapientum vnum alterumúe producam; princeps nobis & reliquorum instar sit Annæus Seneca, quem non vno loco inuenimus in hunc modum de argumento nostro Philosophantem.

Primùm enim in libro quem scripsit de Otio sapientis cap. 32. *Curiosum* (inquit) *nobis natura ingenium dedit; & artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, solitudini ostenderet. Vt scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit* &c. Pergit enim deinceps ostendere, propterea hominem in Vniuersi medio constitutum, erecto vultu, sideribus sese, nunc his, nunc illis vicissim per noctem ostentantibus, *ne* (vti dixerat superiori capite) *tanta Dei opera sine teste sint*: immò sine approbatore, admiratore, laudatore. Vt enim rectissimè Epictetus: *Deus hominem spectatorem in mundum hunc induxit, & sui, & suorum operum: nec spectatorem tantùm, sed enarratorem & præconem.* *Apud Arrian. l. 1. c. 6.*

Hoc partim studium, partim laxamentum animi, sibi quoque familiare fuisse, alibi testatur idem Seneca: *Seipsum nimirum prius scrutari, deinde hunc mundum. Ista enim omnia* (inquit ad amicum suum Lucilium) *attollunt & leuant animum, qui graui sarcinâ pressus, explicari cupit, & reuerti ad ea quorum fuit. Nam corpus hoc, animi pondus ac pœna est: premente illo vrgetur, in vinculis est; nisi accessit philosophia, & illum respirare rerum naturæ spectaculo iussit, & à terrenis dimisit ad diuina. Hæc libertas eius est, hæc euagatio: subducit interim se custodiæ in qua tenetur, & cælo reficitur. Quemadmodum artifices, ex alicuius rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum & precarium lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliquâ regione ad populi otium dedicatâ, oculos liberâ luce delectant: sic animus in hoc tristi & obscuro domicilio clusus, quoties potest, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit.* *Epist. 65.*

Hæc omnia Seneca; istud etiam rectè subiungens; exercitationem hanc, propriam sapientis, affectatorisque sapientiæ, esse.

P Plutar-

Lib. de animi tranquill.

Plutarchum antea proferre memini, docentem ; *nos in hunc mundum, tanquam templum, inductos, spectatores, non signorum surdorum & manufactorum, sed solis, lunæ, siderum : atque hæc veluti initia & mysteria quædam, tranquillo ac læto nobis animo spectanda ac peragenda* : fortassis velut lactam pompam, quæ religiosè circumducta, cum silentio & tranquillè spectatur. Nisi quod de tranquillo ac læto animo suggerit Plutarchus, eò potiùs retulerit; quò admoneret, oportere naturę rerum studiosum contemplatorem, dum illum attendit Vniuersi æquabilem ordinem, in maximâ rerum vicissitudine sibi constantem, illam harmoniam atque concentum contrarijs ex rebus sibique aduersis compositum; ad istud exemplum etiam vitam suam componere, & inter prospera atque aduersa, æquabilem animi tranquillitatem retinere. Huc etenim spectat, quod libro eodem egregiè is autor annotauit: *Vt musica grauibus acutisq; constat, & grammatica litteris vocalibus & mutis ; at musicus grammaticusq; est, non qui horum alterutris offenditur, sed qui vtrisque vti, miscereq; accommodatissimè nouit : haud aliter, sapienter vitam instituisse videtur, qui diuersissimos rerum euentus, mutuoq; sibi aduersarios, miscere scitè didicit, secundos cum aduersis compensando.* Ista Plutarchus. Quam equidem meam eo in genere cogitationem, multò euidentiùs apud Tullium, libro de Senectute extremo, Cato Maior expressit : *Sed credo*, inquiens, *Deos immortales sparsisse animos in corpora humana; vt essent qui terras tuerentur, quiq; cælestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque constantiâ.* Sic ibi.

CAPVT X.

Exercitationis propositæ accuratior commendatio.

EX his portò quæ modò produximus, licebit in primis colligere ; quàm honesta sit ac magnifica, & homine præsertim Christiano digna, quam commendamus, exercitatio. Quando & Gentiles Philosophi, eâ causâ natum, atque in hunc mundum inductum hominem peruidere; quò, ex naturę rerum contemplatione, ad conditoris laudem, venerationemque assurgeret, atque hoc studium, occupationemûe, censuerunt vel maximè

maximè ſapienti propriam atque iucundam eſſe. Atque huic Philoſophorum choro fœminam adiungere delectat Perictyonen, ſectâ Pythagoricam; cuius iſta refertur à Ioanne Stobæo ſententia: *Factus & conditus eſt homo, vt contempletur vniuerſæ naturæ & ipſius Sapientiæ rationem: eidemq́; hoc opus eſt, acquirere & conſiderare omnium quæ extant prouidentiam.* Stob.ſerm.1.

Indidem apparet, quantam poſſit ea res, & verò debeat, delectationem adferre ſapienti. *Loquor autem* (quod aliâ in causâ dixit Tullius) *de docto homine & erudito, cui viuere eſt cogitare.* Non de eo ſanè, qui, niſi ſenſuum, nullam nouerit voluptatem. 5. Tuſc. qu.

Quid enim, amabo, iucundius, quidúe dulcius eſſe poteſt, verſanti inter tot ſolicitudines atque tædia mortalis vitæ; quàm ab his tantiſper abductum animum, diuinorum operum contemplatione paſcere, & ipſo præcipuè cæli ac ſiderum aſpectu releuare? Percipere illum arcanum concentum, quem diuinæ Sirenes, artificioſiſſimâ modulatione, & harmoniâ quadam inenarrabili conſtantem, auribus ingerunt non prorſus obductis rerum tumultu terrenarum? Spectare auream aſtrorum pompam, & choream illam, quam in illis quoque agnoſcit Plato, chorearum omnium magnificentiſſimam. Admirari factoris ſupremam artem, atque vel minimis in rebus maximè relucentem rationem diuinæ prouidentię. Intrare naturæ ſecretiora, rerum cauſas ac fines inquirere; attendere magnum illud carmen, & leges agnoſcere, quibus mundi ratio conſtet; & partibus quidem varia, ſed aptâ totius proportione ſibimet belliſſimè reſpondens, ſæculorum ſeries, ſapientiſſimo ſupremæ mentis conſilio veluti digeſta & contexta, decurrat. Ipſam in omnibus venari atque venerari non obſcurè ſeſe prodentem Dei Sapientiam, eidem applaudere ludenti in orbe terrarum, atque lætanti in ſuis operibus; cum ea verſari familiariùs, & ipſam habere (quod de eadem dixit Sapiens) *allocutionem*, ſeu conſolationem, *cogitationis & tædij ſui.* Denique in cunctis quę ipſos incurrunt in oculos, diuinæ notas bonitatis recognoſcere, & ipſo collium, ſiluarum, agrorum, fluminum, florum aſpectu teneri dulciter, cum ſenſu quodam & tanquam ſapore in ijs latentis atque deprehenſæ diuinitatis? Hanc ſiquidem mentis à rebus alijs tantiſper ſeductæ philoſophiam, hanc ſapientis otij & animi oblectationem, ſiquis ei paulùm aſſueuerit, omnibus reliquis auocamentis meritò anteferendam exiſtimet.

In Epinomide.

Prou. 8. v. 20.

Sap. 8. v. 9.

Rectè etenim S. Augustinus, hanc ipsam hominum sapientum exercitationem describens: *Discussis*, inquit, *tenebris terrenæ stultitiæ, aperientes os & ducentes spiritum, erigunt fidentem oculum cordis, & circumspiciunt mente vniuersum mundum, terram, mare, & cælum, videntes omnia pulchrè dispoſita, ordinata currere, digeri generibus, fulciri seminibus, mutari ſucceſſionibus, currere temporibus, placet eis in his artifex, vt & ipſi placeant in artifice artifici, & exclamant præ gaudio magno, quia verè* (inquit) *huic lætitiæ nihil comparari poteſt: Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! Omnia in Sapientia feciſti.*

In ps. 103. conc. 4.

Neceſſe quippe eſt, vt, velut eſt iſta humanæ menti præſertim congruens atque cognata, ita quàm maximè iucunda ſit, occupatio. Siquidem, vt ait Romanus Philoſophus: *Cum illa tetigit* (animus ſcilicet) *alitur, creſcit; ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant; nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.* Sic ille; de hac ipſa agens, rerum cæleſtium, quas diuinas appellat, contemplatione. Cuius item rei (vt ego arbitror) experientiâ affectus Doctor Angelicus, in Pſalmum ſcribens 26., docet; quod videre ordinem Vniuerſi, & diſpoſitionem diuinæ prouidentię, tum in futura vita, tum in hac etiam, eſt maximè delectabile.

Præf. in l. 1. nat. qq.

Poſtremò exinde conficies; eam ipſam exercitationem, non mediocris eſſe vtilitatis atque operæ-pretij ſpiritualis. Quippe quam Sanctorum experimento ſatis conſtet, ad dulcem quendam & ingenuum diuinæ bonitatis amorem, piam venerationem, aſſiduam laudem, ſuum contemplatorem adducere. Vt meritò ſcripſerit B. Laurentius Iuſtinianus: *creaturas peregrinantibus mortalibus quendam intelligentiæ & amoris ſpiritualis pædagogum eſſe.* Et ſapiens quidam apud Ioannem Thaulerum: *Super omnem creaturam* (inquit) *Deus expandit retia ſua, ita vt ipſum in vnaquaque inuenire & agnoſcere* (& eius videlicet amore capi) *pronum ſit, ſi tantum ſolertes eſſe velimus.*

De casto conn. c. 23.
Serm. 2. in Dom. 2. Adu.

Atque vtinam creaturæ iſtæ, non (quod ait Scriptura) in muſcipulam aut laqueum factæ ſint pedibus inſipientium; ſed in rete amabile Sapientium cordibus: quò nimirum illas contemplantes, non teneri ſe ſinant externâ illarum ſpecie, ſed luce diuinæ pulchritudinis delectati (cuius radij quidam per omnem

Sap. 14. v. 11.

nem naturam latè ſparſi ſunt) caſtis illius illecebris, ſanctoque amore capiantur. Sed pauci fortaſſis ad id eruditos habent oculos: eoque ferè vſuuenit (quod deplorat quidam amator diuinæ Sapientiæ) vt, ſicuti dum colores varios intentiùs aſpicimus, eorumque tenemur pulchritudine, ſæpe non attendimus ad lucem, quâ perfuſa cætera viſum allectant, atque detinent: ita in huius mundi naturis contemplandis, minùs obſeruemus illis affuſum ſplendorem primæ atque ſupremæ eſſentiæ, neque illis inſitos & intermicantes diuinæ artis atque ſapientiæ radios, facilè internoſcere poſſimus. *Suſo dial. de verit. c. 18.*

At obſeruabat internoſcebatque S. Auguſtinus; dum quodam loco Confeſſionum ſuarum, Deum animaduertens omnia in Sapientia feciſſe, eiuſque proinde ſtricturas neceſſariò emicare de diuinis operibus, illius vel ſic decore captus: *Quid eſt illud* (exclamat) *quod interlucet mihi & percutit cor meum ſine læſione, & inhorreſco & inardeſco? Sapientia ipſa eſt, quæ interlucet mihi* &c. *L. 11. c. 9.*

Neque id duntaxat vſurpabat in magnis ſeu primarijs Dei operibus; ſed in minimis etiam quibuſvis, quæ incurrerent in oculos (quos equidem illi acuebat amor ſummæ illius & incommutabilis pulchritudinis) familiariùs factitare conſueuerat.

Itaque is ipſe ſummus Doctor, quem in ſuarum Confeſſionum libris videmus ſeſe curioſitatis, aut cuiuſdam quaſi inconſiderantiæ, incuſantem; quòd eum aliquando domi ſedentem, vel ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum faceret, nullâ principio intentione animi ad Deum; etſi mox vbi ſe collegiſſet, inde pergeret ad ipſum laudandum creatorem mirificum, & ordinatorem rerum omnium: attamen in libris de Ordine, cùm eſſet in rure Caſſiciaco, haud longè Mediolano, vbi *ab æſtu ſæculi* (vt ipſe ait) *requieſcens*, & tempus opperiens baptiſmi ſui, cum Adeodato filio, Alipio, Licentio, alijſque ſuis auditoribus philoſophabatur; gallorum gallinaceorum pugnam attentiùs à ſe conſpectam tribuit amori Sapientiæ, atque deſiderio cognoſcendæ in omnibus pulchritudinis artis diuinæ, ac ſupremæ illius rationis, omnia etiam quæ ratione careant, ordine quodam modificantis ac moderantis; in qua tunc ille cogitatione atque diſputatione cum Licentio, Trigetioque verſabatur. *L. 9. Conf. c. 35.* *Ibid. c. 3.*

Atque ipſam ſanè gallorum pugnam (vt recens erat à pro-

fessione rhetorica, eiusque adhuc litterę nonnihil redolebant eas, quas alibi memorat, gymnasiorum cedros, quas nondum contriuerat Dominus) hilariùs paulò exultantiusque describit. Sed illa huc propriè pertinent.

Ibid. c. 4.

L. 1. de Ord. c. 8.

Ire cœperant in balneas disputandi gratiâ: *cùm ecce* (inquit) *ante fores aduertimus gallos gallinaceos ineuntes pugnam nimis acrem. Libuit attendere. Quid enim non ambiunt, quò non peragrant oculi amantium, ne quid innuat pulchritudo rationis* (artis scilicet atque Sapientiæ diuinæ) *cuncta scientia & nescientia modificantis & gubernantis, quæ inhiantes sibi sectatores suos trahit quocunque atque vbicunque sectari iubet? Nam vbi aut vnde non potest signum dare* &c.

In cuius rei attentiori contemplatione, cùm *in omni motu animalium rationis expertium, nihil non decorum* animaduerterent; *quippe aliâ ratione desuper omnia moderante: dicebamus nobis ipsis* (inquit) *vbi non lex, vbi non imitatio verissimæ illius pulchritudinis?* & quæ sequuntur.

Ista Augustinus; ipso suo exemplo atque experimento nos admonens, difficile non esse bonæ menti, quibusvis in rebus etiam minimis, aut in quotidianis obuijsque rerum occursibus, vnicuique inditas atque insitas sectari ac deprehendere diuinæ artis & Sapientiæ rationes; hocque, siue studium exercitationemue appelles, siue laxamentum remissionemque animi, vti & per sese honestissimum est, plenumque voluptatis sincerissimę, ita & familiarissimum & iucundissimum, esse debere Sapienti.

Clausulæ loco pretium erit operæ, auscultare Doctorem Seraphicum, forti equidem voce, sed non vltra iustum exaggeratâ, simul istius vsus atque exercitij vim commonstrantem, simul communem mortalium, eo in genere stoliditatem ac vecordiam, incusantem. Sic enim loquitur in 1. capite Itinerarij mentis in Deum. *Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est: qui tantis clamoribus non euigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est: qui ex tantis indicijs primum principium non aduertit, stultus est.* Ista S. Bonauentura.

CAPVT

CAPVT XI.

Ipsâ admonente naturâ rerum, rebus his creatis, non nisi ad factoris laudem atque gloriam vtendum esse; earumq́ gratiâ, assiduam Deo gratiarum actionem esse reddendam.

EX dictis rursum & illud condiscam, meque eum in modum ac morem condocefaciam: quasi in rei cuiusvis vsu, ipsam exaudiam naturæ vocem, admonentis: sese ad factoris sui gloriam laudemque procreatam, non nisi ad vsum ei fini congruentem, idque cum debita gratiarum actione, esse adhibendam. Quo equidem fiat, vt nihil sanè rerum istarum, nisi piè ac sanctè vsurpem; & quidquid operis faciendum suscepero, id omne in Dei, bonorum omnium largitoris, laudem venerationemque conuertam.

Quo in argumento pudorem facilè cuiuis nostrûm injiciat quædam Epicteti vox; cùm sic illum audiet apud Arrianum, ore pagano, sed verbis Christianis disserentem: *Num aliud* L. 1. c. 16. *quid oportebat (si quidem intelligentia in nobis est) nos publicè & priuatim facere, quam laudare ac celebrare Numen, eiq́ pro beneficijs acceptis gratias agere? Nonne & fodientes & arantes & comedentes hymnum canere Deo? Magnus Deus, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram coleremus, exhibuit: magnus qui nobis manus dedit* &c. *Pro his vniuersis laudare Deum decebat, ac præstantissimum diuinissimumq́ hymnum canere, confessionem hanc exprimentem; quòd nimirum dederit nobis facultatem assequendi hæc omnia, ac certâ viâ rationeq́ ijs vtentem. Quid igitur fit? Quandoquidem plures cæci estis; annon esse oportet aliquem isto munere fungentem, & pro omnibus debitam laudem Deo exhibentem?* Tum verò illa subijcit quæ suprà posuimus: *Etiamne aliud ego præstare possum senex claudus* &c. Quibus quidem omnibus, maximeque illis postremis, de supplendo aliorum defectu in celebrando Deo, nihil dici potuit religiosiùs.

Veruntamen, vti significabam, hæc ipsa Philosophi oratio meritò bonam mentem solicitet; siue verecundiâ nostrorum temporum, quibus inter opus faciendum, lasciuis canticis perstrepunt omnia, siue recordatione ac desiderio præteritorum.

Nam

Nam quis illa nobis repræsentet felicia tempora; quando, vt de rure suo Bethlehemitico Beatus Hieronymus: *Quocunque te verteres* (quasi ex Epicteti sententiâ) *arator stiuam tenens Alleluia decantabat, sudans messor psalmis auocabat se, & curuâ attondens vitem, falce vinitor aliquid Dauidicum canebat: eaq; erant* (vt idem subdit) *in hac prouinciâ carmina, hæ, vt vulgo dicitur, amatoriæ cantiones.* Quando etiam nautis helciariisque, celeusmatis vice, Christum inter flumina canentibus, ipsæ ripæ, auritę primùm, ac deinde læto repercussu vocales factę, *Alleluia* respondabant: quod de Arari suo cecinit S. Sidonius Apollinaris. Quando denique letuis Dei mare nauigantibus, pelagus ipsum diuinis laudibus sacrisque canticis personabat, atque inter fluctuum ventorumque fremitus, sentiebatur, non fabulosa Arionis, sed diuina Dauidis cithara; & clausulę loco *Amen* respondante turbâ vectorum, audiebant id cete attonita, adnabantque læti delphines, & ore patulo festisque motibus gestientes, quo more poterant ipsis alludebant psallentibus; vt non minùs amœnè, quàm piè ludit S. Paulinus, Odâ quadam de reditu Sancti Nicetę in Daciam. Cuius quidem sensa ita expressi, quòd versus ipsos animus non esset adducere: attamen digni sunt qui apponantur, & piam lectoris oblectent curiositatem. Ecce igitur illos.

Ep. 18. ad Marcell.

Lib. 2. epist. 10.

Nauitæ læti solitum celeusma
Concinent, versis modulis in hymnos,
Et pijs ducent, comites in æquor
Vocibus auras.
Præcinet cunctis, tuba ceu resultans,
Lingua Nicetæ modulata Christum;
Psallet alternis citharista toto
Æquore Dauid.
Audient Amen tremefacta cete
Et sacerdotem Domino canentem
Læta lasciuo procul admeabunt
Monstra natatu.
Vndique alludent patulo verentes
Ore delphines, sine voce quanquam,
Æmula humanis tamen eloquentur
Gaudia linguis.

Hactenus

Hactenus S. Paulinus. Qui tametsi lusu Poëtico, attamen seriò id quod dicebamus insinuat: solitos nimirum Dei seruos, ipsa nauigia in diuinæ laudis odea conuertere. (quemadmodum etiam de suâ agens Ierosolymam profectione Gregorius Nyssenus: *Vehiculum*, inquit, *nobis pro Ecclesia & monasterio erat, omnibus per totam viam simul psallentibus & ieiunantibus*) *Orat. de aduent. Ierosf.* nautasque item Christianos, quasi celeusmatis, aut etiam auocamenti loco, pia cantica & sacros hymnos vsurpare. Quod etiam ex S. Asterio confirmare licet, homiliâ in S. Phocam *Not. ad Sidon. Apoll.* Martyrem, ex qua hæc profert noster Sirmondus: *Nautæ & remiges vbique gentium consueta celeusmata, quibus nauigationis tædium consolantur, ad communem Martyris laudem transferunt, vnoq; prorsus omnium ore, Phocas decantatur.* Sic illi.

Postremò magis vniuersè, Christianorum æui sui, vitam describens, Clemens Alexandrinus: *Per totam ergo vitam* *L. 7. Strom. c. 4.* (inquit) *diem festum agentes, & ex omni parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, laudantes nauigamus, & in omni alio vitæ instituto, vt decet, ex arte versamur.* Quasi, siquid operis absque Numinis laude fieret, id quidem non rite, neque ex arte fieri censeretur, ex sanctâ illorum primorum sæculorum disciplinâ.

Quæ quidem tempora referre possent mores nostri, si par in nobis esset aduersus Deum charitas, tamque assidua, & vel ex ipsâ rerum quæ nos circumstant, quæque in vsus nostros veniunt, contemplatione, excitata diuinorum beneficiorum recordatio.

Memorat Philo priscam fabulam, à priscis illis Sapientibus *L. de plant. Noë.* ad suam ætatem traditione quadam propagatam. Rerum parentem videlicet, mundo iam perfecto, nescio quem vatem interrogasse; num quid ipse eo in opere desiderandum censeret; huncque respondisse: videri mundo deesse sermonem, seu vocem facundam, quæ quidquid præstans est in mundano opere, non tam laudet, quàm enarret; ipsam enim enarrationem operum Dei, laudem esse sufficientissimam. Atque hoc responso delectatum fuisse mundi parentem; nec ita multò pòst, enatum esse genus quoddam musicum atque canorum, siue Musas ipsas, diuinorum operum enarratrices, laudumque cantatrices; matre Mnemosyne, seu Memoriâ, quæ diuinorum virtutum vna esset, enatas. Quo quidem, opinor, significatum voluerint homines ingeniosissimi; istam hymnorum, di-

uinatumúe laudum veluti ſtirpem ac progeniem ex Mente diuinorum erga ſe beneficiorum memori, concipiendam eſſe ac progignendam.

Cæterùm in eo quod priſcorum ſapientum meminit Philo, à quibus illa morata fabula profecta ſit; neſcio an aliquem reſpectum habuiſſe credendus ſit, ad antiquiſſimum illum Hermetem Triſmegiſtum, cuius de Muſis à Deo in terras demiſſis

Cap. 5. quædam extat ſententia in Aſclepio; vbi ſic loquitur. *Nec immeritò in hominum cœtum, Muſarum chorus eſt à ſumma diuinitate demiſſus; ſcilicet ne terrenus mundus videretur incultior, ſi modulorum dulcedine caruiſſet; ſed potiùs vt modulatis hominum cantilenis concelebraretur, qui ſolus omnia, vt pater eſt omnium, atque ita cæleſtibus laudibus, nec in terris harmoniæ ſuauitas defuiſſet.* Quanquam ille quidem, nec Mnemoſynes matris meminit, nec vatis conſulti, aut vocis canoræ ab eo in mundo deſideratæ.

Ac tametſi nihil erat admodum, quamobrem mundo deeſſe cenſeretur vox eiuſmodi; quando (præter illas occultiores & minùs expreſſas vniuerſæ naturæ voces) extabat homo *factus in animam loquentem*; prout expreſſit Chaldęus Paraphraſtes Gen 2. eoque idoneus diuinorum operum interpres atque enarrator. Quo modo etiam S. Chryſoſtomus ad illa verba:

Gen. 2. v. 7. *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; humana membra velut muſicum quoddam organum conſiderat, & tanquam

Hom. 13. in Gen. fiſtulas diuini oris afflatu (hoc eſt, ipſa mente ac ſpiritu rationali) animatas, ad conuenientem melodiam ipſi Domino re-

Exhort. ad Gen. præſentandam. Quâ item ratione Clemens Alexandrinus quodam loco ipſum Deum inducit, huic inſtrumento ſuo, hoc eſt homini, ita loquentem: *Tu es enim cithara, & tibia, & templum meum. Cithara* (ſubdit) *propter harmoniam, tibia propter ſpiritum, templum propter Verbum.*

Veruntamen mundo & vox iſta quodammodo deeſt: quia, niſi Deo cor excitante, ex Auguſtini ſenſu, ſurdo canit vniuerſa natura; & cithara iſta muta eſt, niſi plectro diuinæ gratiæ, & intimo ſenſu diuinorum beneficiorum, tangatur. In quem ſenſum fortaſſis accipiam, quod de anima rationali obſcuriùs, more ſuo, ſcripſit à nobis ſuprà memoratus Marius Victorinus: Eam ſcilicet neque ipſum Verbum, neque velut primæuam Dei vocem eſſe; ſed inſtar Echûs audire vt loquatur: quia nempe nullam Dei laudationem edere poſſit, niſi quam Verbo ipſo quaſi ſuggerente aut inſpirante præconceperit. Attamen ſic

ſic audit, vt etiam loquatur; hoc eſt, ſic vt verbum ſuum formet, ſeu vocem propriam emittat, non autem ſimpliciter eam vocem reddat quam acceperit: quod quidem reliquæ naturæ inferioris eſt proprium; in qua proinde Verbi diuini, non imago (velut in anima) ſed imperfecta Veſtigia & tanquam ſimulacra ſeu imitamenta quædam ſunt; prout idem autor annotauit.

Porrò vt id quoque in ſtudioſi lectoris gratiam obiter obſeruem; quod magis perplexè atque prædurè libro 3. dixit is autor: *Patrem eſſe verbum ſilens, Filium verbum ſonans atque operans*; in hunc fortè ſenſum exponi poteſt. Quòd nimirum Patrem magis conſideraſſe videatur, vt virtutem & potentiam rerum effectricem & ſui manifeſtatricem; Filium autem, vt operationem & quaſi energiam, atque adeò manifeſtationem Patris: ſecundùm quod libro 1. dixit, his verbis: *Quare imago Dei λόγος? Quoniam Deus in occulto; in potentia enim. λόγος autem in manifeſto; actio enim: quæ actio habens omnia quæ ſunt in potentiâ, vitâ, & cognoſcentiâ, ſecundum motum producit & manifeſtat omnia.* Quò itidem ſpectat, quod in hymno quodam Deum alloquens, ita cecinit: *Tu cùm quieſcis, Pater es; cùm procedis, Filius.* *Adu. Arium.* *Hymno 1.*

Igitur Verbum ſilens, Pater; quia ipſa virtus ſeſe manifeſtandi, veluti mens quædam & intellectus: Filius autem Verbum ſonans atque operans; tanquam actus ipſe manifeſtandi, ipſa energia diuinę mentis, & exercita intelligentia. Vt proinde quod Pater per hoc Verbum ſonans in Vniuerſo operatur, meritò ſuprà diximus eſſe velut quoddam ἀπήχημα, hoc eſt reſonantiam Verbi diuini.

Verùm autorem hunc ſanè implexum, nec ſatis cautè paſſim loquentem (quippe qui, teſte S Auguſtino, in ſenectute ad fidem conuerſus, à ſæcularibus ſtudijs ad diuinas litteras ſerò tranſierit) in præſentiâ mittamus. Videamus potiùs, quid in propoſito ſibi velit S. Ambroſius, dum nonnihil & ipſe à paſſim recepto loquendi modo abſcedens, ad illud Matthæi: *Ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus*; in hunc modum loquitur: *Bene inquam Pater vox, & Filius Verbum dicitur; quia Verbum non niſi de voce procedit.* Neque enim voci Patres alij, ſed cordi vel ori (vt & alibi ipſe Ambroſius) Patrem comparant, ex quo Filius proceſſerit: ſecundùm illud quod de ſe ait Sapientia: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui.* Sed ita fortaſſe loquitur *L. 8. Confeſſ. c. 2.* *Matt. 3. v. 17.* *Serm. 15. de temp.* *L. de bened. Patriarch. c. 11.* *Eccli. 24. v. 5.*

S. Ambrosius; quòd spectando verbum ore prolatum, vox verbo naturâ prior sit, & eius quodammodo causa: neque enim per verbum vox, sed verbum per vocem, à qua scilicet & in qua habet subsistere. Adde, Patre dicente gigni Filium: quod quidem *dicere*, vocem appellet Ambrosius, veluti internam atque æternam Verbi diuini pronuntiationem.

Lib. 1. suprà. Quod autem rursum prædictus Victorinus, vocis appellationem, non tantùm Patri ac Filio, sed etiam Spiritui sancto attribuit, dicens: *Quod omnia tria vnum; Pater, non silens silentium, sed vox in silentio, Filius iam vox, Paracletus vox vocis*; etsi, vt indicaui, de eius autoritate nihil admodum laborandum est: explicetur tamen, veluti S. Basilium, in eo quod & ipse minùs propriè loquens Spiritum sanctum appellauit Verbum Filij, interpretatur S. Thomas; vt hoc sensu Spiritus, *Verbum* (aut *vox*) Filij dicatur; *quia manifestat Filium*.

L. 5. contra Ennom. c. 11.

1. p. q. 34. a. 2, ad 5.

CAPVT XII.

Aspiciendas esse res Vniuersi, velut magni carminis particulas, nequis illis fortasse per se, aut solitariè, spectatis, insipienter offendatur.

ALterum istud est, quod visum est hoc loco præcipiendum ex Augustini sententiâ: Magnopere scilicet cauendum esse sapienti, ne aliquâ offensus rerum Vniuersi particulâ, aut quolibet temporum motuumúe labentium successu, diuinam requirat in mundi gubernatione prouidentiam, aut quidpiam in mundo meliùs fieri potuisse, temere sacrilegeque suspicetur. Quippe cùm, vt suprà monuimus, Vniuersi decor ac pulchritudo, non ex particulis ex quibus conflatur atque consurgit (quanquam in his quoque nemo quicquam iure reprehenderit) sed ex ipsâ partium, tum inter sese, tum ad Vniuersum comparatarum, symmetriâ, responsu, consonantiâ, spectanda & definienda sit. Quam equidem rursum huius Vniuersi conuenientiam, tum illâ sæculorum incomprehensibili vastitate exclusus, tum ipsarum rerum multitudine ac varietate oppressus animus, cùm intelligentiâ circumplecti nequeat; hæret in singulis, nec earum fines, rationes, modos, opportunitates (quæ omnia ex illarum nexu, atque inter sese colligatione dependent)

pendent) vel leui subinde suspicione valet attingere: eaque propter vsuuenit denique, vt illum singula solitariè spectata minùs delectent, neque satis fortassis approbet, siquid incommodi iniucundiúe obueniat, cuius ipse causas rationemúe non inueniat, ipsâ præpeditus mentis humanæ imbecillitate.

Sed absit sanè, absit omnino, vt intelligentiæ nostræ viribus, quæ & ipsa per se angustissima est, & vitijs nostris affectibusque obscurata, metiamur supremi artificis immensam, & nulli extra ipsum comprehensibilem sapientiam. Ac, si cuicunque saltem excellenti artifici in arte scilicet suâ credimus; vt etiam quæ minùs intelligimus in ipso opere, sic tamen fieri oportuisse existimemus, quòd talis ac tantus artifex, ex artis legibus ita faciendum censuerit: atque is præsertim velut ineptus atque stolidus exploditur, qui in officinâ opus imperfectum, neque suis omnibus partibus aut numeris absolutum, contemplatus, illud despiciat, & inertiam incuset artificis: quantò magis eam debet mens nostra infinitæ Dei sapientiæ seruitutem, vt in hoc ingenti mundi opere, & tot sæculorum quasi ambitum continenti, ipsam veneremur autoris artem, neque in eo quicquam idcirco culpandum accusandumúe putemus, quòd illius fines rationesúe, ipsâ mentis nostræ circumscriptione, minùs capimus?

Illud insuper attendentibus nobis: etiamnum fluere ac perennare cursum temporum, pertexi sæculorum seriem, neque partibus suis adhuc completam esse huius Vniuersi integritatem: cuius insignis pulchritudo tum denique nos ineffabiliter delectabit, cùm, fine operi imposito, hoc est, euoluto cursu temporum, in ipsa adyta diuinitatis, & æternæ arcana sapientię intromissi, ipsum complexum sæculorum, vniuersorum ac singulorum causas, rationem, ordinem, contextum, responsum, simplici comprehendemus intuitu, neque iam artem in opere, sed opus in arte summi artificis, contemplabimur.

Atque huc iam facit illa magni carminis aut cantici modulatissimi, à S. Augustino aduersus Manichæos, qui in mundi opere, stultâ temeritate impiaque superbiâ, multa culpabant, sæpius tradita atque inculcata comparatio. Quemadmodum enim insulsus atque fatuus sit, qui præclati carminis leporem, aut suauissimi concentûs elegantiam, non ex pedum omnium atque sonorum aptâ inter sese conuenientiâ metiatur, sed idcirco carmen canticumúe reprehendat, quòd horum quibus-

dam particulis, per sese duntaxat consideratis, & non cum toto appositè comparatis, ipsum offendi contigerit: ita oppidò stolidum atque absonum esse homuncionem, breuis æui animal, ac pertenuis intellectus, qui ex eâ temporum rerumúe particulâ quam experitur, dijudicare audeat de ingenti illo supremi autoris opere; & reprehensione dignum censeat, si cuius rationem non assequitur ipsa humani sensûs imbecillitas.

L. 1. de Gen. contr. Manich. c. 21. *Quin etiam* (quę ipsa S. Austugini verba sunt, aduersus eosdem Manichæos disputantis) *in sermone aliquo ornato atque composito, si consideremus singulas syllabas, vel etiam singulas litteras, quæ cùm sonuerint statim transeunt, non inuenimus quid delectet atque laudandum sit. Totus enim ille sermo, non de singulis syllabis aut litteris, sed de omnibus pulcher est. Quod si Manichæi considerarent* (inquit) *laudarent vniuersitatis autorem & conditorem Deum: & quod eos, propter conditionem nostræ mortalitatis, in parte offendit, redigerent ad vniuersi pulchritudinem; & viderent quemadmodum Deus fecerit omnia, non solùm bona, sed etiam bona valde.* Hæc Augustinus.

Eodemque faciunt plures aliæ eiusdem S. Doctoris similitudines: vt illa libro 1. de Ordine, ex eo petita, qui in vermiculato pauimento vnum aliquem tessellę modulum considerans, fatuè vituperaret artificem, velut ordinationis aut compositionis ignarum. Quando, velut ait rem eandem explicans in libro de Vera Religione: *Nec in ædificio laudando, vnum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro, solos capillos* &c.

Cap. 1.

Cap. 40.

Eccli. 24. v. 12. Quibus affinia sunt illa Cardinalis Cusani; qui ad illa verba: *& dixit mihi creator omnium: Dicit, omnium* (inquit) *littera; quia non potest Sapientia creata videri, nisi simul omnia videantur. Sicut non possum magisterium statuarij videre, nisi totam simul concipiam statuam: Si enim seorsum pedes aut manum video, & non totam statuam simul colligo in mentem, neque ordinem, neque proportionem, neque pulchritudinem aut magisterium video.*

Sed iuuat hunc locum ipsis Hipponensis Præsulis verbis, & in hanc ipsam rem sapienti præcepto, concludere. Sic igitur libro 12. de Ciuitate Dei cap 4. *Cæterùm vitia pecorum & arborum aliarumq; rerum mutabilium, vel sensu, vel vitâ omnino carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare, ridiculum est. Cùm ista creaturæ eum modum nutu*

tu Conditoris acceperint, vt cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum, in genere suo istius mundi partibus congruentem. Cuius ordinis decus propterea nos non delectat, quoniam parti eius pro conditione nostræ mortalitatis intexti, Vniuersum, cui particulæ, quæ nos offendunt, satis aptè decenterq́ conueniunt, sentire non possumus. Vnde nobis, in quibus eam contemplari minùs idonei sumus, rectissimè credenda proponitur prouidentia conditoris, ne tanti artificis opus in aliquo reprehendere, vanitate humanæ temeritatis, audeamus. Hactenus Augustinus.

Quibus etiam similia iam antea video tradidisse Plotinum Enneadis tertiæ lib 2 qui est de Prouidentia: vbi multis contendit, nihil esse in mundi opere quod culpari dignum sit; negatque ex eius particulis de ipsius pulchritudine esse dijudicandum; atque sic ait inter cætera. *Quisquis igitur in partibus vituperat totum, stultè vituperat. Siquidem, tum partes ad ipsum comparando, decet considerare num consonent accommodenturq́ toti; tum ipsum totum considerando, ad minimas quasque particulas nequaquam decet aspicere. Alioqui id non foret hominis mundum vituperantis, sed quasdam mundi partes ab alijs seorsum accipientis.* Cap. 3.

Quod ipsum declarat exemplo eius, qui ex hominis pilo vel digitulo pedis, ipsius velit pulchritudinem cognoscere: rursumque, qui in animali partes omnes velit esse oculos, aut in pictura colores omnes æquè floridos, cùm vmbras inesse necesse sit.

Ad extremum; *Quisnam* (inquit) *comœdiam tragœdiamq́ vituperet, quòd omnes in eâ non sint heroës, sed intersit & seruus & rusticus aliquis rudiori voce pronuntians? Poëma tamen non erit pulchrum, siquis inde tollat deteriores.*

Ex quibus vides etiam à Plotino, mundum poëmati, sed dramatico & personis constanti, comparari.

CAPVT

CAPVT XIII.

Rerum labentium amore improuidè teneri mortales; earumq́ abscessu, aut subtractione, etiam stultè cruciari.

ET hoc rursum non minùs vtile ex antedictis esto praeceptum: Magnae & insignis esse insipientiae, in rebus hisce fluxis & labentibus animum suum atque affectum figere; cumque subtrahi contigerit, earum abscessum aut absentiam grauiter impatienterque ferre.

Eccl. 3. v. 1. Vt enim rectè monet Sapiens: *omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.* Et, velut iam antè ostensum est, in isto rerum inuicem decedentium ac succedentium ordinato decursu atque transitu, huius Vniuersi harmonia, & artis diuinae decor ac pulchritudo consistit. Quemadmodum igitur stolidè & iniquè faceret, qui in carmine aut cantico modulatissimo, syllabam aliquam sibi complacitam, aut tonum aliquem sibi iucundum, vellet esse perpetuum; cùm ex artis legibus, illam & illum transire oporteat, vt ex variorum modulorum ac vocum attemperatione, consurgat harmoniae decor, & carminis suauitas: ita qui alicui rerum istarum, quae mundi cursum ordinatissimè constituunt, inordinato amore adhaerescit, eamque, praeter diuinę prouidentiae ordinem, & dictata supremę Sapientiae, sibi retinere, cursumque rerum impedire & interrumpere contendit; is non frustra modò, sed stolidè facit atque improbè. Perturbat siquidem (quantum in se est) supremi ac sapientissimi modulatoris carmen, ac semetipsum frustra conturbat: procedet enim in cantu suo diuinus artifex; sibi quippe canens ac suę ineffabili sapientiae; non autem, quid cuique auditorum placeat, aut displiceat, attendens. Quae etiam ratio de mente est S. Augustini, tum alijs

Cap. 22. locis infrà notandis, tum nominatim in libro de vera religione: vbi eos homines, qui (vt ipse ait) *temporalia diligunt, conditricem verò ac moderatricem temporum diuinam prouidentiam non requirunt, atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant*; tam scilicet esse dicit absurdos, *quàm si quisquam in recitatione praeclari carminis vnam aliquam syllabam solam perpetuò vellet audire.*

Quam

Quam item hominum imprudentium ſtoliditatem, præclarè, & (quantum apparet) ad Auguſtini ſenſa reſpiciens, expreſſit Guigo Carthuſianus, eius Ordinis Generalis quintus, in ſua quadam meditatione. In qua illud aſſumens de Auguſtini ſenſu : *Quod ſyllaba in carmine, hoc loci aut temporis obtinet vnaquaque res in mundano diſcurſu*; ita ſubinde philoſophatur: *Vni ex ſyllabis magni carminis adhæſiſti. Ideo turbaris, cùm canendo procedit cantor ſapientiſſimus. Subtrahitur enim tibi ſyllaba quam ſolam amabas, & ſuccedunt aliæ ordine ſuo. Non enim canit tibi ſoli, nec tuæ voluntati, ſed ſuæ. Quæ autem ſuccedunt ſyllabæ, ob hoc tibi contrariæ ſunt, quia impellunt eam quam malè amabas. Ideo ergo cruciaberis, quia deterioribus inhæſiſti, & ſuo ordine tranſeunt tanquam ſyllabæ in carmine.* Sic ille. Medit. c. 4.

Auguſtinus porrò Deum alloquens in ſuis Confeſſionibus: *Quaquauerſum* (inquit) *ſe vertit anima, ad dolores figitur, præterquam in te. Tametſi figitur in pulchris extra te; quæ oriuntur & occidunt, & quò magis creſcunt vt ſint, eò magis feſtinant vt non ſint. Sic eſt modus eorum. Tantum dediſti eis, quia partes ſunt rerum quæ non ſunt omnes ſimul, ſed decedendo ac ſuccedendo agunt hoc Vniuerſum.* Ex quibus infert neceſſe eſſe; vt cùm amantur, eiſque infigitur anima, conſcindant eam deſiderijs peſtilentioſis: quoniam ipſa requieſcere amat in illis, nec tamen poteſt, quia non ſtant, ſed fugiunt. L. 4. c. 10.

Quo modo etiam S. Gregorius homiliâ quadam de ſtulto mundi amore agens: *Fugientem* (ait) *ſequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur quem labentem tenemus.* Hom. 28. in Euang.

Porrò qui eas res, quę, ita ordinante prouidentiâ, pulcherrimum illum ſæculorum curſum velut partes componunt, nolit deficere, ſed quò ſuis votis ac cupiditati magis ſeruiant, ſubſiſtere eas velit ac retinere, mirabiliter eſſe dementem; aliâ quadam ratione declarat S. Auguſtinus, in libris quos ſcripſit de Libero arbitrio. Vbi iſtis pręmiſſis, quę alibi dictis ab eodem S. Doctore paria ſunt: *Quapropter omnia temporalia, quæ in hoc ordine rerum ita locata ſunt, vt niſi deficiant, non poſſint præteritis futura ſuccedere, vt tota temporum in ſuo genere pulchritudo peragatur, abſurdiſſimè dicimus non debere deficere*; eam abſurditatem vt magis ponat ſub oculos, iſta conſequenter adijcit: *Qui enim dolet ea deficere, ſermonem ſuum oportet attendat. Cuius ſermonis, quod ad ſonum attinet, ſiquis vnam particulam* L. 3. c. 15.

culam diligat, nec eam velit cæteris deficiendo locum dare, mirabilis dementia indicabitur. Hæc S. Doctor.

Idem videlicet iudicandum nobis relinquens, de ipsa serię cursuque rerum labentium; qui instar habeat temporalis cuiusdam sermonis, quo ipsa nobis, in peregrinatione ista, sese aperit, atque (quod suprà dictum) quasi loquitur sapientia Dei. In potestate equidem habens, & verbo vno semper stante, neque partibus sensim deficiente, sensa sua; quę vellet, pandere: attamen id non est præsentis temporis, sed ipsi, vt dicam, reseruatur æternitati.

Sapiens ergo est & felix animus, qui nullo tenetur amore rerum transeuntium, neque priuatim illis adhæret, vt temporum stillis, aut magni carminis syllabis, sed in illarum fluxu atque decursu ordinatissimo, decorem aspicit amatque supremę sapientiæ, & solâ arte modulatoris sapientissimi, quęcunque tandem sit rerum transeuntium varietas, vnicè atque iucundè oblectatur. Hunc quippe nullus conturbabit abscessus successusue rerum, huius mundi carmen ordine suo componentium: quia non tenetur syllabis ipsis transeuntibus, sed in arte Dei semper manente, fixus, immotus, imperturbatus, acquiescit. Quacunque igitur rerum varietate pulsabitur, ipsam in omnibus exosculabitur prouidentiam, & ipsi assentiens alludensque Sapientiæ, diuino carmini libens seruiet, & tali fortassis se ipse cogitatione solabitur. Fluant sæcula, voluantur anni, oriantur soles & occidant, & (vti sunt leges diuini carminis) rebus nascentibus, denascentibus, aliæ succedant atque aliæ, dum numeris suis absoluatur, & modulis suis peragatur Vniuersitas. Nos ipsi cum rebus cæteris, ceu Vniuersi particula, & tanquam syllaba magni carminis, nostris spatijs transeamus; & siue nos breuem, seu longam syllabam esse voluerit sapientissimus modulator; quacunque nos parte carminis, quocunque pede stare, magnus poëta constituerit; ei perinde acquiescentes, pro modulo nostro respondeamus, & diuinis auribus, immo cordi, gustui, voluptati obsecundemus.

Non discordemus diffideamusque à naturæ totius consonantiâ, neque chorum istum amabilem, & tanquam concentum Vniuersitatis, ineruditis absurdisue motibus, aut absonâ voce, interturbemus. Vides enim vt natura reliqua, factori suo, dicto audiens, quocunque seu loco seu tempore huius Vniuersitatis constituta, eiusdem nutibus absque detrectatione con-

consentit? Stellæ ipsæ, quæ ordinatâ motione illum cæli concentum efficiunt, & choragâ diuinâ sapientiâ, modulatissimis conuersionibus & tanquam choreis, cursum peragunt sæculorum; si Barucho Prophetæ credimus, cum quodam quasi voluptatis sensu id faciunt, lætantes in custodijs suis; in ea videlicet statione, cui quamque Imperator suus, pro voluntate, aut occultis legibus sapientiæ suæ, imposuit. Atque id equidem summâ parendi indifferentiâ, siue easdem autor suus primæ magnitudinis esse voluerit, siue secundæ, aut tertiæ, siue nebulosas, atque obscuras; & siue illas in capite Tauri, siue in caudâ Vrsæ, siue vbi vbi collocandas censuerit. Quid enim interest; dum pro suo quæque modulo enarrent conditoris gloriam, & quâ luce possunt, iucundè obsequantur ei qui fecit illas? C. 3. v. 34. 35.

Has imitemur: & quacunque nos Deus locarit statione temporis, quaslibet vitæ moras dederit, quacunque nos seu luce fulgere, seu aduersitate obscurari, voluerit; id omne perinde de eius amabili prouidentiâ accipientes, vnum id agamus in quo sunt omnia; vt eius scilicet diuino numini, honori, gloriæ, quantum ipse dederit, obsecundare studeamus; dum spatijs suis ista percransit mortalis vita.

Veniet aliquando æterna dies, quâ sæculorum orbe completo, & complicatis voluminibus temporum, atque momento vno semper stante conclusis, absque vllâ rerum motuumúe vicissitudine, adhærebimus veritati incommutabili; diuinę (quoad fas homini) participes effecti sapientiæ, & beatæ consortes æternitatis.

Iam enim *Tempus non erit ampliùs*; neque per multiplices, atque (vt appellat S. Augustinus) *volubiles cogitationes* ipsam venabimur Sapientiam, siqua illius deprehendamus vestigia; sed vnico tanquam ictu mentis, in vno Verbo comprehendemus vniuersa. *Sublatis namque orientibus & occidentibus verbis*, ex Gregorij Magni sententiâ, *quasi quidam sonus æternæ prædicationis fit ipsa imago internæ visionis.* Apoc. 10. v. 6. Lib. 15. de Trin. c. 16. L. 30. Mor. c. 7.

Sed placet iam dicta, Nicolai Cusani Cardinalis opportuno sermone, concludere. Is enim in libro de Filiatione Dei: *Tali quadam similitudine admonemur*, inquit, *nos qui ad Filiationem Dei aspiramus, non inhærere sensibilibus, quæ sunt ænigmatica signa veri; sed ipsis, ob infirmitatem nostram, absque adhæsione coinquinationis ita vti, quasi per ipsa nobis loquatur*

 magister

magister veritatis, & libri sint mentis eius expressionem continentes. Et tunc in sensibilibus contemplabimur intellectualia, & ascendemus quadam improportionali proportione, de transitorijs & fluidis temporalibus, quorum esse est in instabili fluxu, ad æterna, vbi rapta est omnis successio in fixam quietis permanentiam, & vacabimus circa speculationem veræ iustitiæ, & gaudiosæ vitæ. Sic ibi.

CAPVT XIV.

Quouis cursu rerum, diuinam adorandam prouidentiam, & siue prospera, siue aduersa obuenerint, eidem pariter acquiescendum esse.

AT res iam postulare videbatur, quò etiam inclinabat animus, vt istis omissis, tametsi perutilibus, moratæ disciplinæ præceptis, id quod huic parti propositum videtur exequerer; atque ex ijs quæ modò dicta sunt, in hoc mundi templo, præcipuâ quadam ratione, conspicuam mortalium oculis apparere Dei Sapientiam, ipsumque adeò Vniuersum, Sapientię ędem censendum appellandumque colligerem. Videlicet, ne (quod erat procliue) longâ talium disputatione diuersus legentis animus, destinati nostri nos, aut suspicetur immemores, aut credat sanè incuriosos. Verùm cùm alia quædam occurrant, iam dictis subnexa ac consequentia, tanquam dictata cælestis Sapientiæ, quæ ab hinc diuelli minùs patitur incepta tractatio; excusabit lector id agentem vtilitatis suæ gratiâ, neque adeò ac videri poterat, extra chorum saltantem, aut à suscepti argumenti ratione abludentem.

Nam etsi huic Parti secundę nostri tractatus, titulum prætendamus allegoricam anagogicamúe contemplationem templi Sapientiæ; id equidem (vt quod res est dicam) prętendimus potiùs; quàm intendimus, aut agimus. Quandoquidem huius instituti, principalis scopus ac finis est; per hanc occasionem,
Ep. 72. mentem cælestis disciplinę studiosam, ac (Senecæ verbo) Sapientiæ iam alludentem, quibusdam exinde deductis imbuere
L. 2. de cons. phil. pros. 1. præceptis diuinę Sapientiæ, atque (vt est apud Boëtium) de eius adyto prolatis informare sententijs; vt illud quod agi prętenditur, occasio dicendis & obtentus sit; verus autem finis, ipsa præceptorum exinde deductorum vtilitas.

Qui-

Quibus proinde dum studiosiùs operosiusque insistimus, non iam deerramus à proposito, sed quod nobis in primis potissimumque propositum est, id verò reipsa persequimur: &, si non iam templum, at scholam tamen Sapientiæ aperimus.

Ex ijs igitur quæ superiùs disputata sunt, & illud præceptum deducitur, opportunum admodum & conducibile humanæ vitæ: quod duobus hisce, tanquam cardinibus, nititur.

Primum est; hoc nobis persuasissimum esse debere: ita videlicet constitutum esse diuinæ sapientię legibus, id summæ prouidentiæ placitum; vt quemadmodum sæculorum cursum, & ipsam quasi Vniuersi vitam, voluit ex quibusdam (quod suprà dixit Augustinus) tanquam antithetis constare; & contrariorum oppositione componi atque figurari, ipsam sæculi pulchritudinem: ita singulorum mortalium vitam, eiusûe cursum ac seriem, quibusdam amet quasi antithetis exornare, rebus inquam partim felicibus, partim aduersis constituere. Quoniam ita sit conueniens, siue ad quandam demonstrationem ineffabilis suæ sapientiæ, siue ad certiorem electorum salutem: *quos* (vt in rem præsentem appositissimè Chrysostomus) *misericors Deus neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas; sed tum de aduersis, tum ex prosperis, iustorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* *Hom. 8. in Matth.*

Alterum, quod nostrarum est partium: vt id nimirum intelligamus; sapientis esse, ei certissimæ iustissimæque sapientissimi dispositoris, ac (si eâ rectè vti nouerimus) apprime nobis conducibili prouidentię, omnes animi sensus ac motus promptè accommodare; in eoque ponendum omne studium, vt quouis cursu rerum, supremam prouidentiam adorantes, nullâ offendamur ipsius parte; sed, siue prosperum, siue aduersum quidquam accidat, velut ab eâdem benignissimâ manu profectum, eâdem constitutum forti suauique prouidentiâ, eodem amore felicitatis nostræ impensum, pari animi sensu accipiamus.

Quod equidem sapientis esse, vel illa confirmet Plutarchi Philosophi, iam antè à nobis laudata, sed huic præsertim loco opportuna, sententia: Vitam vtique nostram, arti seu musicę, seu grammaticę, comparantis, quarum illa grauibus acutisque constare debeat, hæc litteris vocalibus & mutis. Eum autem artificem esse, non qui alterutris eorum offendatur, sed *L. de animi tranq.*

 qui

qui vtrisque vti, eaque inter se appositè componere nouerit. Similiter igitur, illum censendum sapienter instituisse vitam, qui contrarios rerum euentus, scitè miscere didicerit, & tristia lætis, aduersis prospera, nullâ vtrorumuis offensione, compensare.

Verùm potiùs exaudiatur hoc loco vox illa diuini Spiritus, mentem sapientię studiosam seriò grauiterque apud Ecclesia-
Eccl.7.v.13. sten in hunc modum commonefacientis: *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Quasi diceret: cùm vita mortalium, ita sapienter atque benignè disponente prouidentiâ, bonis atque malis diebus, siue prosperis atque aduersis rerum euenribus, necessariò constet; sapientis esse, ad vtraque rite atque accommodè comparare se; atque adeò cùm læta obuenerint, ijs eâ animi moderatione frui, vt simul aduersa illis successuta prouideat, eaque velut cautione sese contra illorum aduentum obarmet; demum in vtrisque Dei approbare atque exosculari prouidentiam, qui summâ arte atque amore vtraque illa sic commiscuit; vt qui horum inter se ad fines suos conuenientiam responsumque perspectum habuerit, non inueniat, quo de rerum omnium dispositore Deo iustè conqueri possit.

S. Augustinus in sexto libro de Musica, illum commeditans
Cap. 11. lege æternâ naturis inditum rationabilibus ordinem, quo, velut medium locum obtinentes inter extremas, congruenter eas oporteat, superioribus subesse, præesse inferioribus: *Non ergo inuideamus*, inquit, *inferioribus quàm nos sumus, nosq́ ipsos inter illa quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo & Domino nostro opitulante, ordinemus, vt inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur.* Tum deinde subdit, mentis suę magis explicandę gratiâ: *Quæ verò superiora sunt, nisi illa in quibus summa, inconcussa, incommutabilis & æterna manet æqualitas? Vbi nullum est tempus, quia nulla mutabilitas est, & vnde tempora fabricantur & ordinantur & modificantur, æternitatem imitantia, dum cæli conuersio ad idem redit, & cælestia corpora ad idem reuocat, diebusq́ & mensibus & annis & lustris, certisq́ siderum ordinibus, legibusq́ æqualitatis, & vnitatis, & ordinationis, obtemperat.*

Demum & hîc illam insinuans sibi perfamiliarem cogitationem, quâ sæculi cursum numeroso carmini comparat, consequenter

quenter & ista subijcit; quorum huic loco valde subseruit extrema clausula: *Ita cælestibus terrena subiecta, orbes temporum suorum numerosâ successione, quasi carmini Vniuersitatis consociant. In quibus multa nobis videntur inordinata & perturbata, quia eorum ordini pro nostris meritis assueti sumus, nescientes quid de nobis diuina prouidentia pulchrum gerat.* Ita perscitè magnus Doctor: postremis illis nos admonens; non esse quòd vllus rerum euentus, aut vlla nos lætorum ac tristium vicissitudo perturbet: sed in re qualibet assentiendum nobis esse atque acquiescendum sapientissimo consilio ac dispositioni supremæ prouidentiæ, ex hac ipsâ rerum varietate, pulcherrimum nobis felicissimumque vitæ nostræ cursum ordinantis atque attemperantis: etsi eius rei rationem ac modum nondum possimus intelligere.

Cui non absimilem cogitationem inuenies etiam apud Plinium in Panegyrico Traiano dicto, verbis relatu dignis expressam: *Habet* (inquit) *has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumq; causa, sub diuersa specie latent.* Ita ibi.

CAPVT XV.

Eiusdem præcepti pertractatio. Vtrisuis rebus rectè vtendum, vtrisuis philosophandum, Sapienti.

SEd discamus licet, etiam ab Ariano Principe, quo tenore nobis, inter has lætorum tristiumque vicissitudines, vita decurrenda sit.

De Theodorico Gothorum in Gallia Rege, per pomeridianas remissiones, tesseras tractante, ita pulchrè scribit S. Sidonius Apollinaris: *In bonis iactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in vtrisque philosophatur. Putes illum & in calculis arma tractare.* Ep. 2. Quæ nobis licebit ad eam transferre philosophiam, quò hinc admoneri nos sentiamus: quando, ex verbo veteri; *ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris*; quicunque iactus, hoc est euentus rerum, incidat, & siue prospera seu improspera obijciantur; neque rebus secundis efferendum, neque aduersis deijciendum, sed vtrisque sapienter, Ter. Adelp. Act. 4. scen. 7.

id est

id est moderatè, vsurum esse, sapientem. Quod quidem etiam apud Platonem animaduerto, maximè Socraticum esse præceptum. Quippe qui dialogo 10. de Rep. in persona Socratis, de ratione disputans qua Sapiens aduersa toleret, id illi seruandum primo loco præcipit, his verbis: *Consultare inquam circa ea quæ acciderunt in primis oportet, & tanquam, in talorum iactu, prout cecidit, quomodocunque ratio melius rem habere dicat, ita negotia disponere.* Quo nimirum fiat, vt sortis humanæ infelicitatem, quoad licebit, emendet sapientia; & quod malè cecidit, in bonum vertat rectè vtenti.

Quod item Platonis pronuntiatum vberiùs proponit Plutarchus libro de animi tranquillitate. Vbi postquam illum huc facientem prisci Poëtæ versum laudauit: *Bene erit huic qui rebus obtingentibus rectè vtitur*: *Ludo enim* (subdit) *tesserarum Plato vitam comparabat; vbi & iaciendum, quod est commodum, & iactu quod cecidit, rectè vsurpandum. Ac iacere quidem, in nostra non est potestate: si verò rectè sapimus, penes nos est, quod fortuna obtulit conuenienter accipere, & suo quodque disponere loco, vbi & propria maximè conducant, & quæ præter voluntatem eueniunt, minimè offendant. Alioqui eos, qui vitam nullâ arte adhibitâ, nullâ prudentiâ degunt, cum res secundæ supra suam extollunt sortem, tum aduersæ deijciunt.* Sic illi: atque ad vitę vsum perquam accommodatè.

Nam velut periti gubernatores, etiam ventis aduersis, &, si sibi sinantur, aut in contraria, aut in diuersa ferentibus, sic quandoque vtuntur, vt illis nonnihil obsecundantes, & certum in morem obliquatis velorum sinibus, eorum afflatum excipientes, eosdem denique cursui suo obsequentes habeant; eoque subinde feliciùs portum teneant, quò aut impotentiùs iactati fuerint, aut impulsi vehementiùs. Ita vir sapiens omnium quasi temporum homo est; & quæcunque aura successerit aut impulerit, cursum suum tenet, & aduersis iuxtà atque secundis, suæ velificatur felicitati. Et profectò, siquis eâ vti rectè nouerit, opportunissima saluti via est aduersitas; & multos eorum quos transuersos agebat sua felicitas, hos reflans fortuna ad exitus perduxit optatos.

Quod quidem præclarè obseruatum habes à Beato Augustino, initio libri quem de Vitâ beatâ scripsit, ad Theodorum Manlium; vbi tradit, *multos tempestate aliqua* (*quæ stultis*, inquit, *aduersa videtur*) *in optatissimam terram nescientes errantesq́; compingi.*

Tum

Tum de ijs agens qui voluptarum honorumque fallacissimâ specie in altum incautè abripiuntur: *His profectò* (subdit) *quid aliud optandum est, quàm quædam in rebus illis, à quibus iactati excipiantur, improspera, & si parum est, sæuiens omnino tempestas, contrarieq́ flans ventus, qui eos ad certa & solida gaudia, vel flentes gementesq́ perducat?*

Archytæ Tarentini, Philosophi Pythagorici, &, (teste Tullio) Platonis in geometria magistri, hæc præclara fertur, & ad propositum appositissima oratio, ex libro excerpta, quem de Viro bono & beato scripserit: *Aio virum bonum eum esse, qui rebus ac temporibus magnis rectè vtatur; qui quidem & felicitatem possit & infelicitatem ferre, ac tum rebus bonis dignum se præbeat; tum rebus mutatis, rectè, quod euenit, ferat: qui denique qualicunque tempore rectè pro re natâ se gerat, nec sese solum, sed & alios sibi fidentes ac rerum socios ità componat.* L.3.de orat.

Atque ille quidem hæc cedro digna locutus est, eo in tractatu, cùm de viro bono atque beato disputaret; apertè significans, hanc animi humani, ad vtriusvis fortunæ casus perinde facti, comparationem, ad bene beateque viuendum omnino esse necessariam, eandemque per se conducere, ad mentis statum omnis perturbationis expertem, ipsamque adeò (siqua esse potest in vita mortalibus) vniuerso hominum generi, tanto studio atque opere, desideratam felicitatem.

Cui prorsus similis est quædam Isocratis in Panatheniaco à Clemente in quinto Stromatum celebrata sententia: *Sapientes esse, qui rectè vtuntur ijs quæ quotidie accidunt, & occasiones modumq́ rerum prudenter animaduertunt; qui voluptatibus quidem temperant, & eis sunt superiores, non vincuntur autem aduersis, sed in eis strenuè se gerunt, & pro dignitate naturæ cuius sunt participes.* Cap. 5.

Porrò in hoc quod aiebat Archytas: virum bonum esse, *qui & felicitatem ferre possit & infelicitatem*; obseruanda est verbi proprietas, & latens eruenda hominis acuti philosophia. Vt qui verbis istis lectori suo insinuet, quod eodem tractatu hac expresserat sententiâ: *Non infelicitatem rectè, quàm felicitatem ferre, difficilius est*: quasi ingens onus sit, id quod felicitatem mortales appellamus, & maioris artis ac facultatis sit, inter prospera sibi constare, & blandientem alludentemque, quàm aduersam ferre fortunam. Cui sententiæ affinis videtur

Seneca ep. 5. vox illa Romani Philosophi : *Infirmi animi est, pati non posse diuitias.* Simillima autem & maximè gemina istæc eiusdem :
Ep. 66. *Eâdem ratione fit, vt aliquis felicitatem bene, & calamitatem fortiter ferat.*

De prouid. c. 4. Qui & alibi dicens : *Periculosissimam esse felicitatis intemperantiam* ; satis indicat, quod tantò antè edixit ille Tarentinus : difficile admodum & paucorum esse, magnam ferre aut concoquere felicitatem. Plures quippe rupit illius pondus, quàm incumbens fregerit infelicitas. Quò iam minùs miremur, ex Christianæ sapientiæ decreto certissimo ; ærumnas atque aduersitates, huius sæculi felicitati, vt vitæ magistras, modestiæ altrices, omnisque virtutis conciliatrices, anteferri ; quando ipsi quoque peruidere Gentiles Philosophi : non facilè virtuti & felicitati conuenire ; procliuius autem esse sapientię cum infelici-
Ep. 94. tate commercium. *Nam quasi ista inter se contraria sint, bona fortuna & mens bona : ita meliùs in malis sapimus* ; velut idem
De breuit. vit. c. 14. Annæus præclarè. Vnde alibi rursum meritò exclamat : *O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas !* Per quam nimirum fit, vt iste beatulus, quasi dulci suâ fortunâ ebrius, humanæque oblitus fragilitatis, iam Dei suique nescius viuat : cùm è contrà, hominem ad se reuocet, & Dei tacitè increpantis erudientisque solerter admoneat, de cælo immissa tribulatio.
Isa. 26. v. 16. Quemadmodum scriptum est : *In tribulatione murmuris do-*
Thren. 1. v. 13. *ctrina tua eis.* Et rursum : *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.*

Quò sanè verissima videatur, licet ad vulgarem mortalium sensum perabsurda, illa inter cæteras Guigonis Carthusiani, veluti cuiusdam Epicteti Christiani, perbreuis ac fortis sententia : *Quandoquidem solâ voluptate caperis, sola delectabilia sunt*
Medit. c. 14. *cauenda. Nusquam ergo secura est anima Christiana, nisi in aduersis.* Qui proinde alio in loco, Augustini sensa, sed ab eo diuersam allegoriæ rationem secutus ; velut ex istius Sancti Doctoris mente vidimus, ijs qui nimiùm aurâ secundâ efferantur, optandum esse ventum contrarium, quo ad portum veræ felicitatis peruehantur : ita ipse Guigo, huic mundo, quem (etsi decrepitum) velut puerum stultum considerat, adesse optat sapientem nutricem (piam scilicet Dei prouidentiam) quæ ei subtrahat quæ noxia sunt & causæ dolorum, falsam videlicet præsentis sæculi felicitatem. Verba Guigonis sunt
Ibid. c. 4. ista. *O quis dabit decrepito puero, & tamen stulto, id est humano*

generi,

generi, toto orbe diffuso, quandam magnam, quandam sapientissimam nutricem, quæ tali curâ ac solicitudine subtrahat ei, vel reuocet eum à gaudijs, quæ futurorum semina sunt dolorum! Quod etiam, mortalium bono, tametsi id minùs agnoscentium, passim facere Prouidentiam, subdit his verbis: *Hæc nutrix pijssima ac potentissima nunquam cessat, siue per semetipsam, seu aliter, humano generi causas dolorum, id est temporalia, auferre aut non dare.* Nimirum puero etiam inuito ac lacrymanti, ea quæ nocere possint, auferre, piç matris ac bonç nutricis, necessarium officium est. Quale sibi impensum à Prouidentia, gratus agnoscit Augustinus in suis Confessionibus; in quibus describit, fidelem Dei misericordiam circumuolantem se, & in omnibus quæ peccaret se flagellantem, atque amaris offensionibus aspergentem omnes illicitas iucunditates suas, vt ita quæreret sine offensione iucundari. L. 3. c. 3. & l. 2. c. 2.

Cui simile quiddam inuenies apud B. Catharinam Genuensem, pulchrè istud Amoris diuini tanquam stratagema describentem; qui animam humanam cupiens sibi subijcere, occultis quibusdam rationibus, sed amicâ fraude, doloque non malo, ei subtrahit quæcunque amat, quò denique nuda amore rerum transeuntium, totam se sancto amori tradat. Vit. c. 41.

Verùm vtcunque hæc se habeant; istud ex dictis accipiamus oportet: siue magna est ferenda calamitas, siue cum magna felicitate luctandum est, vtrisvis euentibus philosophandum esse sapienti; ita videlicet, vt fortunâ quauis, arte & ratione vtamur, & (quod de viro probo dixit Archytas) magnis seu rebus seu temporibus, parem animum adferamus. Magni quippe refert in quæ tempora cuiusque virtus inciderit: eoque gratulabitur magnus animus eas sibi occasiones offerri, quibus & seipsum experiri valeat, & ostendere mundo, quantum aut facere, aut pati, Dei causâ possit. Et vide, amabo, si non his quoque consonantem Romanam Porticum habemus. *Rerum conditionem* (inquit Annæus) *mutare non possumus: id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo pariter fortuita patiamur & naturæ consentiamus.* Ep. 107.

Quâ postremâ voce, eam item disciplinam insinuat: vt ad eas leges quas naturç indidit impressitque Prouidentia, libenter accommodemus animum, & (quod ipse ait) *sine querela, mortalitatis tributa pendamus.* Quid enim miramur conquerimurue, si orta occidant, si pugnantibus compacta soluantur, si tempori

 subiecta,

subiecta, ipso tempore consumpta intereant? Qua meditatione, vbi res ferret, exerceri solitum deprehendo etiam magnum Augustinum: qui, Wandalis Africam summâ crudelitate atque atrocitate vastantibus, *se inter hæc mala* (vt in eius
Cap. 28. Vitâ Possidius) *cuiusdam sapientis sententiâ consolabatur, dicens: Non erit magnus, magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.*

Quod quidem quid esse dixero, nisi stare inter cadentia, aut (quo ferè modo de Catone suo Seneca) rectum consistere inter ruinas generis humanæ? Quanquam quas nos clades, quas ruinas vulgò dicimus, has ille in alta constitutus arce Sapientiæ, vt lusus aspicit prouidentiæ, artisque diuinæ, per eas rerum humanarum vicissitudines, ad destinatos sibi fines, nullo labore, ordine summo, contendentis.

De prouid. c. 2. De const. sap. c. 2.

Similibus in rebus, si aduertimus, etiam arti humanæ sui lusus sunt. Murum nonnemo eo extruxit artificio, vt cadenti similis semper consistat. Arci alius, turriue prælatæ impositum verticem, ita diuertit in partem alteram, vt spectantium oculis imponat, specie reipsa labentis. Quidam nauim ita composuit, vt subito motu, dissolutâ compage, dehisceret, eoque vectores ex imperantis voto perderet: sæuitiæ inuentum, sed artis tamen stratagema.

Ita quæ ruinæ videntur esse, casus, infortunia mortalibus; sapientiæ in Orbe ludentis, artisque æternæ sunt facinora: quæ cùm esse iniqua non possit, sanctè ac iustè temperat omnia, atque in omnibus, mirabili nobis ac pæne suspectâ, sed sibi complacitâ, semperque decorâ ratione, electorum saluti operatur.

Neque aliâ mente fuisse credam disertissimum Philonem, in libro, *Quod Deus sit immutabilis*, ita philosophantem: *Verbum diuinum in orbem choreas ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat.* Quasi contempletur æternam Dei sapientiam, quam
Eccli. 24. v. 8. de se prædicantem audimus; quod gyrum cæli sola circumierit, penetrarit abyssos, fluctus maris obambulauerit &c. velut in orbem ludibundam choros ducere, & prout diuersè se commouerit, aut inflexerit, eas vicissitudines rebus adferre, eam prosperorum improsperorumque varietatem, quam vulgus fortunam appellitet; sapientes autem, non, quam isti fingunt fortunæ rotam, sed gyros artesque agnoscant æternæ sapientiæ, & diuino inuentam ingenio, diuinâ perfectam atque attemperatam industriâ,

induſtriâ, (eoque pulcherrimam atque omni ex parte admirabilem, & tum Vniuerſo, tum ipſi adeò hominum generi congruentiſſimam) eorum omnium, quæ velut particulæ quædam, ſæculorum corpori intexta cernuntur, diſpoſitionem.

CAPVT XVI.

Impoſitum rebus à ſummâ prouidentiâ ordinem, omni ex parte vitari non poſſe; ſed qui à primo eius ordine proteruè diſcedat, hunc in alium quendam infeliciter incidere.

ENimuerò ad humanum animum, in ipſo rationis officio, & plenâ ſub Deo ſubiectione continendum, abunde ſufficere deberet, certiſſima illa atque vnicuique naturaliter inſita, perſuaſio: hunc eſſe, ſeu legis æternæ præſcriptione conſtitutum, ſeu ipſius rerum conditoris iuſtiſſimâ voluntate, ipſi Vniuerſo impoſitum ordinem, vt eorum quæ mundo continentur, inferiora quidem ſubiecta ſint ſuperioribus, vniuerſa autem ſuo plenè ſubſint atque obſequantur autori: idque præ cæteris expectari ab humanâ naturâ; vt quæ ordinem illum ſibi ſpeciatim impoſitum intelligat, atque eò propriè ſui arbitrij ac libertatis effecta ſit, vt ſe autori ſuo ſponte liberâ ſubijciens, euidentiùs ſeruiat eius gloriæ, & nobiliùs feliciuſque (eiuſdem ſui conditoris beneficio) ad finem ſe ſuum ipſa proferat ac promoueat.

Quàm enim abſurdum alioqui, quamque abhorrens id fuerit: ſi, cùm inferior omnis natura, quâ conſtat hic mundus aſpectabilis, ſummâ ratione atque ordine adminiſtretur, & perfectè ſubiecta legibus diuinæ prouidentiæ, eos fines, ad quos ab autore ſuo ordinata eſt, aſſequatur ratione certiſſimâ; ſola hominum natio, princeps portio diuinorum operum, & cuius gratiâ res iſtæ reliquæ, aut vitæ, aut ſenſus aut denique rationis expertes, arte diuinâ excogitatæ, diuinaque potentiâ conditę ſunt, ipſum peruertens rerum ordinem, ſuo ipſa ſubdi nolit autori; & per eam ipſam rationis & arbitrij vſuram, quam Dei munere, & quadam ſummæ rationis & arbitrij participatione, acceperit, ſupremæ mentis atque omnipotentis Sapientiæ leges ſubterfugiat, eludat prouidentiam; & cùm in natu-

ris infimis ordo ſpectetur admirabilis, in ſummis regnet confuſio, & temeritas aut anarchia dominetur.

Quod ſi quondam B. Martinus, cùm ſerpentem, fluuium ſecantem, & ad ripam, in qua vir ſanctus cum ſuis conſtiterat, adnatantem, in Dei nomine redire iuſſiſſet, atque is repentè paruiſſet, fertur altiùs ingemuiſſe; quòd ſerpentes quidem ſe audirent, homines non audirent; quantò iuſtiùs quereretur ſuprema illa Prouidentia; quòd, cùm reliqua natura rerum, conſtitutum ſibi ordinem ſeruet, eamque ad omne quod imperarit, dicto audientem atque obſequentem habeat; atque etiam ipſi ſerpentes, draconeſque deſerti, ad ſui conditoris gloriam (quod ipſe quodammodo apud Iſaiam gloriari videtur) quod conferre poſſunt, contribuant; ſolus homo, cui mentem indiderit rationis compotem, & quem præ cæteris oporteat ex ordine cęleſti, ſapientięque diuinæ legibus, aptum ſubiectúmque pendere, ipſum (quod in ſe eſt) peruertat Vniuerſi ordinem; malitque ſibi quàm autori ſuo atque factori viuere, ſuoque adeò genio obſequi, quàm ei, cui vt pareant, viuunt omnia; & cui perfectè eſſe ſubiectam, vti primum ac ſummum debitum eſt, ita ſola & certa rationalis naturæ felicitas.

Lib. 3. Vit.

Cap. 43. v. 20.

Nam, etſi verum ſit; reliquam naturam inferiorem, non libero motu, quo careat, ſed iniectâ ſibi, autori ſuo, neceſſitate parere: non ideo tamen abſurdum non eſt, ſi id munus diuinum, quo (vti dicebam) eâ gratiâ donati ſumus, quò perfectiùs nobiliuſque ſubſeruiamus conditoris gloriæ, in ipſius detorqueamus offenſam; &, quod bono noſtro accepimus, in noſtrum potiùs opprobrium, infelicitatemque conuertamus. At, quod monſtri inſtar eſſe deberet, hoc humanis moribus paſſim receptum, & omnibus ſeu locis ſeu temporibus inductum eſt; neque iam admirationem habet, quia ſolenne, familiare, perpetuum. Ea igitur noſtra eſt, cæcitas dicam, an vecordia? vt cùm mundus iſte quantus quantus eſt, & ingens illa rerum machina, ipſaque labentium ſæculorum longiſſima ſeries, ſupremæ mentis leges ſecuta, ſummo ordine regatur ac ſapientiâ, & res iſtæ, quanquam ſenſus expertes, prouidentię ductum tamen ſentiant, cui niſi ad nutum obſequerentur, iam non ſubſiſteret Vniuerſitas: nos, qui ſoli mentem habemus, animumque capacem ſapientiæ, ſoli tamen expertes ordinis, ſine conſilio, ratione, ſapientiâ, hoc eſt ſine corde ac mente viuamus, & (quantum in nobis eſt) diuinæ arti ac prouidentiæ

dentiæ nos subducentes, cæcæ cupiditati, stultæ temeritati tradamus.

Neque aduertimus (quod deinceps nobis paulò pluribus demonstrandum est) quidquid agitemus obnitamurúe, non posse à nobis omni ex parte vitari ordinem, quem ratio fixit omnipotentis prouidentiæ: quia quod ad extremum de nobis illa constituerit, nullo nostro conatu frustrari potest, sed suaui quidem, at forti, & tandem efficaci, dispositione fiet.

Nobis quidem arbitrij libertas, sed suis terminis circumscripta, concessa est: quando intra gyrum prouidentiæ sic constringimur, vt intra illum huc illuc vagari liceat, quoad illa permiserit, at illam omnino exire atque effugere, siue, quod efficaciter de nobis ipsa statuerit, frustrari, nemini vni concessum sit. Tu quidem peruersa animo tuo obsequendi libidine, non vis subijci supremæ Dei iustissimæque voluntati; at de te fiet Dei voluntas; quæ etsi te sinit parumper agi tuis motibus, at retrahet te tandem, sibique subdet, aut misericordiâ ad pœnitentiam, aut iudicio ad pœnam.

Hinc enim illa sunt S. Augustini, in sexto libro de Musica: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit; quæ cùm in illâ, non modò æqualitatem, sed etiam ordinem diligat, amisit ipsa ordinem suum, nec tamen excessit ordinem rerum: quandoquidem ibi est, & ita est, vbi esse & quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud enim est tenere ordinem, aliud ordine teneri.* Et alibi ait, idcirco miseriam pœnalem diuinâ institutam sapientiâ: vt pœna ordinet animam peccantem, *vbi talem esse non turpe sit, & decori vniuersitatis congruere cogat; vt peccati dedecus emendet pœna peccati.* Vt proinde, *quodlibet elegerit, semper pulchra sit vniuersitas, decentissimis partibus ordinata.* Cap. 14. L. 3. de lib. arb. c. 9.

Nam si præstantes artifices, subinde in opere faciendo, occurrentia materiæ vitia emendare norunt, & in operis decus venustatemúe ita vertere, vt quod vitium erat, iam putetur ars, & quod casu incidit, studio quæsitum existimetur: quantò certiùs opportuniusque omnium artifex Prouidentia, bene vtetur nostris vitijs, & nostras etiam ab ipso fine aberrationes, ad fines sibi præstitutos, supremæ artis omnipotentiâ, conuertet? Nam cùm ei nihil improuisum accidat in suo opere, possitque, si ita placuerit, arti suæ subiectam materiam (vt in cœptâ pergam allegoriâ) per omnia sibi habere obsequentem: ex recepto S. Augustini effato, mala in rebus esse non Enchir. c. 11. & 27.

sineret,

sineret, nisi hęc sapientissimè ordinare, siue ex malis bona sibi destinata, efficaci suæ prouidentiæ consilio, elicere & educere posset.

Duriusculum putabis, quod verè dicam: *Etiam mala, Deo bona sunt.* Quod ne prius culpes, quàm summum virum audieris, Seuerinum Boëtium, in hanc non modò sententiam, sed in hęc ipsa, quæ produxi, verba, pronuntiantem: *Sola est diuina vis, inquit, cui mala quoque bona sunt; cùm eis competenter vtendo, alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur: vt quod ab assignatâ ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen ordinem, relabatur; nequid in regno prouedentiæ liceat temeritati.* Sic ille appositissimè.

L. 4. de consol. pros. 6.

Hoc enim illud est ex intimâ desumptum Theologiâ pronuntiatum: Qui à primo ordine diuinę voluntatis, quo, exempli causâ, illum Dei bonitas ad felicitatem sempiternam, si bene viuendo ei se aptare voluisset, quantum est de se, destinauerat, per vecordiam proteruiamúe discesserit; hunc necesse esse in secundum ordinem relabi, vt de eo fiat denique, quod de talibus demum ipsa iustissima Dei voluntas constituit. Hoc est, vt qui vti paratâ ipsius misericordiâ, eiusque glorię sponte seruire, noluerit; eidem gloriæ nolens seruiat, diuinæ subiectus iustitię, eiusque decorem commendans, incredibilium experięntiâ, ac commonstratione suppliciorum.

Ordo enim quidam cuncta complectitur; vt post Augustinum suprà dixit Christianus Philosophus; vt hęc ipsa quoque quę inordinatè geruntur à peccantibus, vel hoc saltem modo ordini seruiant; dum æterni ordinis decor, & à diuina Mente præstituta rebus dispositio, quę aliquousque perturbari infuscarique videntur per culpam, redintegrantur restituunturque per pœnam.

Quò etiam fiat, vt neque suprema absolutaque Dei voluntas vnquam vincatur à peccantibus; neque (quod ille dixit) in regno prouidentiæ, quicquam liceat temeritati.

Obseruandum quippe facilioris intelligentię gratiâ, duplicem hic ex Scholæ placito, post Sanctos Chrysostomum, Damascenum & alios, in Deo distingui voluntatem; antecedentem vnam, alteram consequentem. Atque ad antecedentem v. g. illa pertinet, quâ censetur velle, quantum in ipso est, omnem hominem ad agnitionem veritatis atque salutem peruenire: consequens verò ea dicitur, quâ pręsciens quid quis-

que

que reipsa in vita, pro sua libertate, facturus sit, probo gloriam, improbo pœnam, pro operum cuiusque merito ac dignitate, decernit.

Iam igitur hoc est quod dicimus: qui ab antecedente Dei voluntate, quam necesse non est omni ex parte esse efficacem, per insipientiam desciuerit, atque ex hoc ordine, quo per Dei gratiam ad æternam salutem vocabatur, vitio suo exciderit: in hoc oportere nihilominus consequentem illam absolutamque Dei voluntatem impleri, eumque proinde in ordinem alium, quo iam merito suo ad supplicium destinatur, incidere; adeoque quidquid moliatur, subterfugere non posse vsquequaque diuinum ordinem, sed huic vel illi parti consequentis prouidentiæ, summâ suâ, vel felicitate, vel infelitate, intexi.

Doctorem Angelicum audire licet, eo in articulo primæ partis, quo disputat [*Vtrùm voluntas Dei semper impleatur.*] eâ super re sic differentem: *Cùm igitur voluntas Dei sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est quod diuina voluntas suum effectum non consequatur. Vnde quod recedere videtur à diuina voluntate secundum vnum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum est in se recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per iustitiam punitur.* Et alio tractatu: *Ita qui à primo ordine diuinæ voluntatis deficiunt, in secundum labuntur; & dum Dei voluntatem non faciunt, impletur in eis nihilominus voluntas Dei.* 1. p. q. 19. art. 6. Q. 23. de Verit. art. 2.

Hæc S. Thomas; quibus imitatur quod antè scripserat S. Augustinus, Enchiridij cap. 100. vbi de peccantibus loquens: *Quantum enim ad ipsos attinet* (inquit) *quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius.* Et copiosiùs in libro de spiritu & litterâ: *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes iustissimè iudicentur. Quod cùm sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, dum eius Euangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt: verùm fraudant seipsos magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper inuicta est: vinceretur autem, si non inueniret, quid de contem-* Cap. 33.

ptoribus faceret, aut vllo modo possent euadere; quod de talibus ille constituit. Hæc Augustinus.

Sed rem omnem concludo breuissimo eiusdem & peracuto

L. 3. de lib. arb. c. 15. dicto: *Nemo superat leges omnipotentis creatoris: quia si non reddit quod ei debet faciendo iustitiam; reddet, patiendo miseriam.*

Ex quibus profectò cordato cuiuis manifestum sit: quàm meritò sapientem pronuntiemus eum, qui suam diuinæ, rationem rationi, libertatem libertati subnectens, ducentem Deum sponte sequitur, eique animo verè liberali seruiens, & ipsius obsequitur gloriæ, & suæ velificatur felicitati. Contrà, insipientem atque insanum, qui vltra quàm sinat ingenita nobis & ingenua sub Deo autore subiectio, sui iuris esse atque arbitrij contendens, verâ excidit libertate filiorum Dei: quando, qui feliciter subdi noluit honesta ac iusta præcipienti, iudicanti demum ac punienti infeliciter subdendus sit; & qui sibi ipsi placere studens, Deo displicere maluit, non Deo duntaxat iusto iudici, sed & ipse sibi æternum in pœnis displiciturus. Secun-

In psal. 49. dùm quod, ore Augustini, seuerè minatur offensus Deus: *Quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi; mihi, cùm iudicaberis; tibi, cùm ardebis.*

Sed quando ea res tanti momenti esse apparet, eidem ampliùs illustrandæ subseruient, quæ proximo capite subijcimus.

CAPVT XVII.

Sapientis esse, constitutæ Dei prouidentiæ potiùs obsequi, eâ re Deo placiturum; quàm ei frustra renitendo, malum effici & pœnâ dignum.

QVamobrem olim iam adolescentem me delectauit, & merito suo adhuc delectat, perscita quædam Epicteti Philosophi, &, si vocum duntaxat Iouis & Fati peregrinitatem excipias, etiam Christiano sapiente digna, sententia, ita admo-

Cap. 66. nentis Enchiridio suo extremo: *In quouis incepto*, inquit, *hæc optanda sunt: Duc me, ô Iuppiter, & tu, ô Fatum; quò sum à vobis destinatus. Sequar enim alacriter. Quod si noluero, & malus ero, & sequar tamen.*

Cuius Stoicę gnomæ, Græcis versiculis apud Epictetum comprehensæ,

prehensæ, Cleanthem autorem facit Seneca; eosdemque versus, sententiam magis quàm verba secutus, ita conuertit: *Ep. 107.*

> *Duc me parens, celsiq́; dominator poli,*
> *Quocunque placuit, nulla parendi mora est.*
> *Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens,*
> *Malusq́; patiar, quod pati licuit bono.*
> *Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.*

Quanquam versum istum, quem tum sententiæ rationem, tum Augustini exemplum secuti, extremo loco reposuimus, insititium Iustus Lipsius, & aliunde intrusum existimat; propterea quòd in Græcis non habeatur. Sed siue illum fortè Seneca apud Cleanthem inuenerit, siue ipse de suo, velut dicti totius compendiosam comprehensionem adiecerit: apparet iam æuo Augustini in ipso Seneca ita lectum fuisse.

Quippe is S. Doctor in quinto de Ciuitate Dei, de Stoicorum fato verba faciens, cùm illud dixisset: quandoquidem ij fati nomine constitutum diuinâ prouidentiâ ordinem intelligant, non multum cum eis de verbi controuersiâ laborandum atque certandum esse; tum, illos refert Senecæ versus, quibus explicandis ita subijcit: *Nempe euidentissimè hoc vltimo versu ea fata appellauit, quam supra dixerat summi Patris voluntatem; cui se paratum obedire dicit, vt volens ducatur, ne nolens trahatur; quoniam scilicet: Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* *Cap. 8.*

Hæc Augustinus. Vbi item obseruo, versum penultimum, qui apud Senecam vltimo loco ita legitur: *Malusq́; patiar, quod pati licuit bono*; aliter legi apud Augustinum, & (ni valde fallor) maiore emphasi, altioreque sensu, atque ad rem ipsam appositiore, hoc modo: *Malusq́; patiar, facere quod licuit bono.* Vt nempe ea sit illo versu inter *facere* & *pati*, quę versu vltimo inter *duci* & *trahi*, differentia; illudque detur intelligi: cùm immissas cęlitus ærumnas animo libenti perferimus, has perinde nobis ad virtutem, atque promeritum, laudemúe apud Deum proficere, ac si propriâ sponte eædem à nobis essent susceptæ: tum illas exinde fortassis, tantò leniores tolerabilioresque futuras, quantò minùs acerba esse solent, quę propriâ animi inductione facimus, quàm ad quæ inuiti reluctantesque trahimur.

Ad quem etiam locum reduci poteſt, quod ſcripſiſſe fertur Bacconius in Fortunæ fabro : ei videlicet, qui in tanta rerum euentorumque varietate, velit pacatè tranquilleque viuere, enitendum eſſe, *vt rotas ſua voluntatis faciat rotis fortunæ concentricas*; vt nempe quò fortuna ducit volens ſequatur, ne alioqui nolens trahatur : quod equidem ſine vi, atque hinc adeò ſine certâ mentis perturbatione, fieri non poteſt. Quod idem religioſiùs dicemus de Dei prouidentia : quando in hoc præſertim ſita eſt hominis Chriſtiani perfectio, vt rotam voluntatis ſuę faciat rotę diuinæ voluntatis concentricam ; ita vt vtraque circa idem centrum verſetur, hoc eſt, idem velit nolitue, & ſecun-
Cap. 1. v. 16. dum quod vidit Ezechiel, ſit rota in medio rotæ, id eſt hominis voluntas intra ambitum concludatur diuinę prouidentiæ, neque motu proprio quoquam feratur, aut tantillum ab ea exorbitet.

Verè igitur ſapiens, qui in quolibet rerum euentu volens libenſque ſupremæ obſequitur prouidentię; hoc ipſo probus, Deoque acceptus, atque inde denique glorioſus, beatuſque futurus : cui ſi è contrà inſipienter obluctetur, ac ſequi refugiat, adeoque frangi quàm flecti malit; eò iam improbus, Deoque aduerſus, futurus ſit, neque tamen ipſam ſubterfugiat Vniuerſi rectricem prouidentiam, ſed ad id quod illa abſolutè demum atque efficaciter de talibus ſtatuerit, infeliciter ſit abiecteque
De vit. beat. c. 15. trahendus *Quæ autem dementia eſt*, inquit Seneca, *potiùs trahi, quàm ſequi?*

Quare, vt idem loco antè laudato infit; *impigri atque bilares excipiamus* (prouidentię mundi gubernatricis) *imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui quiquid patimur intextum eſt.*

Neque adeò nos quicquam in hac Sapientiæ ſchola profeciſſe exiſtimemus, niſi cùm altè demiſerimus in animum, Deo parendum eſſe per omnia, atque in rem ipſam vſumque noſtrum contulerimus, vt ducenti nos diuinæ voluntati ac prouidentię, etiam aduerſis in rebus, aſperis, impatibilibus, non modò libenter aſſentiamus, ſed velut ſupremæ imperatrici, totâ animi propenſione, ſeruiamus.

Nam (vt id obiter hîc admoneam) animoſa illa & fortis vox, quam velut ex mente Demetrij, laudatiſſimi eodem æuo Philoſophi, apud ipſum Senecam audimus in libro de Proui-
Cap. 5. dentia. [*Nihil cogor, nihil patior inuitus : nec ſeruio Deo, ſed aſſen-*

assentio] etsi reipsa proba esse possit, si id duntaxat ad quod adfertur significet: non se scilicet more seruili diuinis imperijs obtemperare, sed (quod Cleanthæis illis versibus approbauimus) ingenio liberali, libentique animo, supremæ voluntati obsecundare, cuius adeò nutus etiam occupaturus sit, si priùs compertum habere posset, quid æterna de se prouidentia constituerit: attamen ipsâ loquendi formâ, nescio quid præfert, vt molliter dicam, Stoicæ confidentiæ; & illam redolet αὐτάρκειαν, qua sapientem dictitabant, in his quæ animum spectarent, sibi sufficere, & Deo quasi parem esse, neque proinde eâ causâ, Deo quicquam, sed sibi, debere; eundem denique *semetipso, & ex se nascentibus bonis* (quæ Senecæ verba sunt) *contentum esse.* Ep. 20.

Verùm hanc superbam vanitatem vel illa retundit, hominis secundùm cor Dei, eoque demissè & humiliter de se sentientis, longè sapientior oratio: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum.* Neque ratio ipsa dictet, vt supremæ illi Menti, à nobis duntaxat velut pari assentiendum putemus, & non etiam, vt modis omnibus nimium quantum superiori, altissimâ animi demissione seruiendum: cùm potiùs è contrà ea censenda sit, humanæ naturæ summa laus atque felicitas, vt de tanti Domini fidelissimâ ac sincerissimâ seruitute glorietur. *Quandoquidem sic facta est* (inquit Augustinus) *vt ei subditam esse sit vtile; perniciosum autem, suam, non eius à quo condita est, facere voluntatem.* Psal. 61. v. 1. L. 14. de Ciu. c. 12.

Sed nimirum fide destituta, humana sapientia, in multis deficiat necesse est. Imbecillum enim ac pertenue, ad ea etiam quæ in sensus incurrunt peruidenda, rationis lumen est; multò autem minùs erit ad diuina sufficiens: ad quæ proinde exploranda contrectandaque, quisquis per seipsum, & nullo supremæ veritatis, aut diuinæ ductu autoritatis accesserit; ne is in errores infelices ac cæcos semet impinget, inque labyrinthos atque ambages induet inextricabiles.

Quæ quidem hoc loco per occasionem indicasse suffecerit. Nam huic amoliendo periculo (quæ est ipsius rei grauitas) opportuna nonnulla, in Parte tertiâ magis ex professo suggeremus.

CAPVT XVIII.

Ad illud reditur quod fuit initio propositum. Demonstraturq́ͅ specialius, qua ratione in hoc mundi Templo, sese præ cæteris agnoscendam adorandamq́ͅ exhibeat Sapientia Dei.

IAm vt ab excursu paulò liberiore se reuocet, & velut in suum se gyrum cogat oratio: ex his tandem id licebit efficere, cui concludendo reliqua ista præmissa sunt.

Nam si, quemadmodum huius secundæ Partis primo capite, ex Sapientum sententiâ diximus; mundus iste quem incolimus, aspiciendus nobis est, vt templum quoddam summæ diuinitatis; atque, vti reliquis deinceps capitibus multifariam ostensum est, ipsa se præsertim in Vniuerso manifestat Dei sapientia, ipsa se in primis noscendam, colendam, adorandam exhibet, ipsa denique mundum istum ingredienti prima se offert, tanquam in eo prostans spectatissima effigies, ac simulacrum diuinę mentis: continuò apparet, non absque ratione nos dicere, mundum ipsum quoddam Sapientiæ diuinæ templum esse.

Quam itidem in rem nonnulla deinceps adijciam, si tamen hoc capite quiddam pręmisero, menti nostræ ampliùs ac luculentiùs exponendæ.

Neque enim negare est animus, quod cuiuis etiam mediocriter erudito notum sit; tria illa in primis spectabilia naturæ diuinę attributa decora, potentiam inquam, sapientiam, bonitatem, suo quamque modo in diuinis operibus, etiam eximiè relucere. Quod quidem mirum est, inter profanos præclarè, & tantùm non Christianè, expressisse Galenum, eo loco quem suprà laudauimus. Vbi aduersus quosdam diuinorum operum reprehensores: *Ego (inquit) conditoris nostri verum hymnum compono. Existimoq́ͅ in hoc veram esse pietatem, non si taurorum hecatombas ei plurimas sacrificauerim, & casias aliaq́ͅ sexcenta odoramenta & vnguenta suffumigauerim; sed si nouerim ipse primus, deinde & alijs exposuerim, quænam sit ipsius Sapientia, quæ Virtus, quæ Bonitas. Quod enim cultu conuenientte exornare omnia, nihilq́ͅ suis beneficijs priuatum esse voluerit, id perfectissimæ bo-*

L. 3. de vsu part. hum. corp. c. 10.

nitatis specimen esse statuo; & hac quidem ratione, eius bonitas hymnis nobis est celebranda. Hoc autem omne inuenisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur, summæ sapientiæ est. Effecisse autem omnia quæ voluit, virtutis est inuictæ & insuperabilis. Ista Galenus. Qui in eo quod ait de taurorum hecatombis &c. sibi, inter alios, præeuntem habuit Philonem, qui quodam loco ita loquitur: *Omnis virtus sancta est: gratitudo verò, sanctissima. Quam non legitimè Deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificijs, donarijs, sacrificijs. Nam ne totus quidem mundus ad templum in honorem eius sufficerit. Sed præstat eum laudibus hymnisq́ colere, non decantatis voce sonorâ & tinnulâ, verum modulatis in animo puro* &c. Et ista Philo. *De plant. Noë.*

Eodem facit & Ambrosij locus de mundi à Deo effectione disserentis; eò notabilis, quòd tribus verbis tria illa quæ modò in Galeni sermone commendabamus, complexus est: *Fecit* (dicens) *quasi bonus, quod foret vtile; quasi sapiens, quod optimum iudicabat; quasi omnipotens, quod amplissimum præuidebat.* Sic ille. *L. 1. hexaëm. c. 5.*

Neque verò non meminisse possum, siue eius quod de Dei virtute Romanis scripsit Apostolus; sempiternam scilicet Dei virtutem, per ea quæ facta sunt, intellectam conspici; siue quod de eiusdem bonitate Areopagita Dionysius; in rebus omnibus diuinæ bonitatis imaginem quandam atque resonantiam inesse. *Rom. 1. v. 20.* *De diu. nom. c. 4.*

At assero tamen, in eo trium tanquam diuinarum Charitum choro, quod ad nos attinet, primas quodammodo tenere Dei sapientiam, illam primam apetire se, primam in sensus ac mentem spectantium incurrere; cæteras velut magis latentes, & quasi obtectas spatio, non nisi præeunte & manuducente sapientiâ, in theatrum ipsum hominumq́ue conspectus venire. Quam rem quâ ratione mihi figurem, aut animo mecum ipse concipiam; in hunc modum enitar exponere.

Non paucas equidem nobis suggerunt in schola Philosophi, Theologiq́ue vias, ad summæ vnius Diuinitatis, seu primi rerum vniuersarum principij, notitiam perueniendi. Sed inter omnes, vt doctis indoctisue primùm obuia, ita omnium facillima & communissima est ea, quę sumitur è pulchritudine, varietate, nexu, concordiâ, ordine, colligatione & quasi cognatione, rerum Vniuersi; quâ nempe, & per se singulæ pulcherrimâ partium, facultatum, actuum proportione consistant, &

inter

inter se comparatæ, tametsi nonnullæ sibi pugnantes videantur, tamen bellissimè conspirent atque consentiant, & attemperatè ad finem optimum efficaci quadam suauitate dirigantur.

Vt si faciamus quempiam repentè velut ex humo, hominem perfectum existere, mente sagaci, curioso ingenio, solitarium, nullâ disciplinâ, nullis de Deo mundiúe parente anticipatis informatum notionibus; atque vbi primùm ab eo stupore, in quem ipso tantæ nouitatis miraculo coniectus sit, se collegerit aliquantum, tum demum seipsum ac domicilium in quod inductus sit circumspicere, atque præ summa admiratione secum disquirere curiosiùs; vnde ipse tandem, vnde ista moles admirabilis, vnde tanta rerum seu multitudo, seu varietas, seu pulchritudo, seu ad suos cuiusque fines aptissima dispositio, emerserit; quo autore existat tanta machina, quo rectore perstent tam æquabiles atque constantes, immobilique lege contentæ, cælorum ac siderum conuersiones, stata illa dierum atque noctium vicissitudo, perennis propagatio rerum, & ipsis indita seminum vis admirabilis, tempestatum annuarum successio, imbrium cæterarumque opportunitatum tempestiuitas, & innumera huiusmodi: continuò sanè illi succurrat, suspicari primùm, tum verò pro certo credere; inesse mundo mentem aliquam ipso mundo superiorem, & rerum omnium Vniuersi factitatricem, digestricem, præsidem, moderatricem, arbitram: quam omnes Deum dicimus. Deprehendet enim aliquando, vt eum fecimus solerti esse ingenio, tam præstans opus tamque admirabile, neque forte aut casu extitisse, neque cæcâ quadam temeritate ferri, neque à seipso ortum aut existentiam habere. Siquidem neque absque arte aut consilio esse posse opus tam exquisitum, tamque elegans, tantaque partium varietate compositum; neque artem absque mente aliquâ, quę sapientiâ & consilio prædita sit; neque demum mentem Vniuersi totius architectatricem, absque aliquo diuino Numine, quod & ipso mundo sit præstantius, & ipsum sibi per se sufficiens, neque ortum suum essentiamúe cuiquam debeat, aut quidquam mendicet ab alio, cùm ipsum primum sit (quemadmodum aliquod esse oportet) & primordiale rerum vniuersarum principium.

Sic enim (vt nostros interim omittam) etiam Trismegistus sermone quodam ad Tatium filium, aliįque passim Philosophi,

phi, ex ipso opere deprehenderunt artificem, & ex relucente, in ipsâ Vniuersi harmoniâ, summâ sapientiâ conditoris, dari Numen aliquod, cuius iste mundus & potestate contineatur, & gubernetur arbitrio, efficaciter comprobauerunt. *Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamq; perspicuum* (inquit in Octauio Minutius) *cum oculos in cælum sustuleris, & quæ sunt infrà circaq; lustraueris, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur?*

Quibus, aliijsque quæ ibidem subijcit, imitari visus est, quæ pluribus hoc de argumento disputat Tullius in persona Balbi, in secundo de natura Deorum.

Porrò petantiquus Locrensium legislator Zaleucus, hoc legum suarum proœmium, & velut fundamentum posuit, ita referente Ioanne Stobæo: *Omnes qui vrbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet existimareq; Deos esse. Quod manifestum fit, ex cæli & totius mundi inspectione, rerumq; in ipsis dispositione pulcherrimâ & ordine: haud enim fortuita, aut humana, eiusmodi opera putare conuenit.* Quæ item commendat & pluribus proponit Diodorus Siculus historię suę libro 12. *Serm. de legib. & consuet.*

At expressè ad id quod modò contendimus, Plutarchus, libro 1 de placitis Philosophorum cap. 6. *Notionem Dei (inquit) suggessit primum conspecta eorum quæ in mundo sunt pulchritudo. Nihil enim pulchri temerè & fortuitò nascitur.* Obserua quod ait: Dei notionem exinde primùm esse suggestam. Cui simile quiddam dixerat Plato in Philebo, & libro decimo de Legibus.

E Nostris autem Eusebius libro 7. de Præparatione Euangelicâ cap. 2. de Hebręorum Theologia agens, hac ipsâ ratione eos ostendit in supremi Numinis cognitionem deuenisse. *Deinde (inquit) quoniam neque à lapidibus casu vnquam sine artifice domus ædificari, nec pannus absque texente fieri, nec nauis sine gubernatore nauigare potest: cùm animalibus rationalibus atque irrationalibus, & substantijs animatis atque inanimatis plenum hunc mundum viderent, non absque sapientiâ Dei hæc omnia facta putantes, à magnitudine atque pulchritudine creaturarum, puritate mentis, creatorem omnium immortalem agnouerunt.*

Prętermissis autem Patrum plurimis, qui simili huic argumenti formâ vsi sunt; nonnullorum tantum verba producam, huic loco specialiter opportuna. Ex Latinis S. Ambrosius, opus diei primæ pertractans, cùm dixisset præclara opera, *etiam* *L. 1. hexaëm. c. 5.*

tacente artifice peritiam eius ostendere, vt operatori operis sui testimonium suffragetur: Similiter hic mundus (subdit) *diuinæ maiestatis insigne est; vt per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta, simul & ad inuisibilia oculos mentis attollens, ait: Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.* In quibus vides, non vtcunque per sapientiam in opere mundi relucentem facilè cognosci Deum; sed eò propriè mundum conditum, quò per ipsum Dei sapientia manifestetur.

Eccl. 3. v. 14. Hieronymus autem ad illa verba Ecclesiastę: *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere* &c. ita loquitur pro re nostrâ: *Idcirco Deus certâ ratione cuncta moderatus est, & iussit humanis vsibus elementa seruire, vt homines hæc videntes intelligant esse prouidentiam, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atque constantiâ, intelligunt Creatorem.*

Ex Gręcis porrò S. Athanasius oratione 3 contra Arianos: *Eâdem ratione* (inquit) *etiam operibus indita est sapientiæ effigies, vt mundus per eam cognosceret sui Demiurgum,* (siue opifex) *Verbum, & per Verbum Patrem.* Et postea ad illud respiciens, quòd Prou. 8. dicitur sapientia, principium seu initium viarum Domini, ex versione Septuaginta: *Principium autem viarum appellat* (inquit) *quia ista imitatitia sapientia* (siue, quæ typicè in rebus creatis elucet) *est velut rudimentum, elementumq́ ad cognoscendum Deum. Huic enim viæ aliquis insistens, & magis ac magis animo ascendens, animaduertensq́ opificem sapientiam, tandem eò peruenit, vt in eâ Patrem deprehendat.* Sic ille appositissimè.

Ex Hebræis deniquè pulchrè Rabbi Leui Ben Gherson, ad illud
Prou. 1. v. 20. è Salomonis Prouerbijs: *Sapientia in plateis dat vocem suam:* Hæc omnia eò *spectant* (infit) *vt diuina sapientia in rebus patefiat, admirabili quadam euidentiâ: cùm animaduertitur incredibilis Sapientiæ ratio, qua in rebus condendis est vsus. Hæc ergo planè diuina Sapientia mortales sublimi voce vocat, quando in illorum animos incurrit* &c.

Quod omne isto breui dicto confirmat Doctor Angelicus:
1. p. q. 36. art. 2. *In ordine creaturarum productarum decor diuinæ Sapientiæ manifestatur.*

Verùm ipsum ordinem creaturarum, non quomodocunque diuinam sapientiam manifestare, sed eundem primum occurrere

rere creaturas consideranti, atque contemplatorem suum in notitiam inducere supremi rerum autoris ac moderatoris, sub expressâ notione supremæ Sapientiæ, apertè significant subiecta eiusdem S. Doctoris verba, ad illa Iobi 12. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Hoc ergo ostenditur* (inquit S. Thomas) *quòd omnia confitentur se esse à Deo facta. Tunc autem creaturas interrogat, quando eas diligenter considerat: sed tunc interrogatæ respondent, quando per considerationem ipsarum homo percipit, quòd tanta ordinatio & conuenientia, quæ inuenitur in ordine partium Vniuersi, nullo modo esse potest, nisi ab aliquâ superiori Sapientiâ dispensante.* Hæc S. Thomas. v. 7. & 8.

At facere non possum quin extremo loco proferam sanctæ cuiusdam sapientisque virginis, memoratu dignam, atque hactenus dictis congruentem, Philosophiam. B. Macrinæ videlicet; quam ipsius germanus S. Gregorius Nyssenus, hæc ipsa illius sensa referens, libro de anima & resurrectione, non aliter ferè toto tractatu, quàm *Magistram* appellat. Aiebat igitur illa inprimis; rationem Deum inueniendi, hanc videri maximè obuiam, *quam creatura rerum, per ea quæ in eâ sunt miracula explicat & enarrat; cuius creaturæ auditor est oculus, per ea quæ apparent, resonante in corde, sapiente & artifice verbo. Creaturam enim quodam quasi clamore palam indicare factorem; ipsis cælis (vt inquit Propheta) ineffabilibus vocibus gloriam Dei enarrantibus.* Et verò fieri non posse, *vt quis intuens & animaduertens harmoniam cælestium & terrestrium miraculorum; & quemadmodum, exempli causâ, elementa, naturâ inter se contraria, ineffabili atque occultâ quadam societate atque communione, ad eundem omnia scopum, ad rerum scilicet Vniuersi conseruationem, consociantur atque conspirant &c. non manifestè doceatur, inesse mundo diuinam vim artificiosam ac sapientem; quæ in vniuersis rebus apparens, per omnia pertinens atque infusa, partes toti, totumq; partibus attemperet, vt vna quadam vi contineatur rerum Vniuersitas.* Tum verò quasi rem ipsam compendio concludens, subiungit hoc breue dictum & commemorabile: *Oculus nobis existit interpres omnipotentis sapientiæ, quæ in rerum vniuersitate cernitur.* Ita illa præclarè.

CAPVT XIX.

Appendix; & conclusio proximè dictorum.

QVod ergo ostendere cæperamus: ex primo cæli seu mundi conspectu (si ad id, quod per se fieri amat attendenimus) non illico elucet Conditoris bonitas aut potentia; cùm iam nondum constet, autoremne aliquem atque opificem mundus habeat, an ortum suum sibi debeat Vniuersitas, nullius mentis vi ac consilio in lucem educta, sed vel fortuito nescio quorum corpusculorum, tanquam mundi seminum, in se incursu atque concursu coalita, vel cæcâ quapiam ac brutâ naturæ necessitate, consistens.

At postquam ex arte deprehenderis artificem, mentem supremam, primordiale rerum omnium principium, primam essentiam, ens entium, & causam causarum; eamque deinde ad opus suum magis otiosâ animi reflexione comparaueris: iam admiraberis exosculaberisque bonitatem eius, quòd cùm esset sibi summè sufficiens, sua pax, quies, beatitudo, solius indolis ad benefaciendum pronę incitatione, Vniuersum hoc condiderit, illudque tot rerum ac naturarum multitudine, varietate, perfectione exornauerit; vt esset quidpiam quod supremæ suæ essentiæ, pro cuiusque captu atque modulo, particeps fieret, & in quo prolixè opes ac diuitias suæ bonitatis ostenderet. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti*; vt dicitur
Cap.11.v.15. in libro Sapientiæ.

Exinde progressus vlteriùs, admiraberis item veneraberisque eiusdem Numinis supremam potentiam; quòd vniuersam hanc mundi molem, idque (postulat ratio primi & infiniti principij) è nihilo, nullâ materiâ præiacente, nullo extrinsecus adminiculante, è fæcundę mentis æternis ideis, solo nutu, seu verbo, eduxerit; quòd (vt cum Scripturâ, ista dicam) cælum sicut pellem, hoc est instar tentorij, extenderit, terram firmarit super aquas, mari terminos, procellis legem posuerit; quòd denique molem Vniuersi, velut tribus digitis appensam, nullo labore sustineat, portetque omnia verbo virtutis suæ, auriga & currus cælestis orbis atque terrestris. Qua equidem

dem figurâ sermonis, non tantùm Scriptura diuina, sed vsus etiam est Seneca, quadam epistolâ ita scribens: *Deus ille maximus potentissimusq́, ipse vehit omnia.* Ep. 31.

Ita, quod exponendum susceperam, relucent quidem in Vniuerso summa Conditoris bonitas atque potentia; sed prima se prodit atque explicat eo in opere infinita eius sapientia; eaque quasi manuducente, Dei bonitas atque potentia videntur in notitiam nostram, & tanquam conspectum venire.

Demum id proprium esse diuinæ sapientiæ, præ cæteris Dei attributis, & in ipsius opere relucentibus; vt spectatorem suum ad conditoris notitiam, ipsiusque supremi Numinis venerationem ac cultum adducat; manifestè, ni fallor, ostendit Apostolus, illis epistolæ ad Corinthios prioris, verbis: *Nam quia in Dei Sapientia* (hoc est, in ipso opere mundi, vt infrà) *non cognouit mundus Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Cuius loci vim & energiam, quoniam exactiùs postea ponderaturi sumus, hoc loco sufficiat indicasse. Cap. 1. v. 21.

Veruntamen demum adiungenda est, grauissimi viri Hugonis de S. Victore, prorsus huc faciens, atque antè dictis consentanea planè sententia. Quippe qui tractatu quodam, *de ascensu mentis per visibilia ad inuisibilia Dei* (in quem fortuitò demum incidi, postquam Opus hoc meum typis mandandum transmiseram) cùm illud in primis, cap 1. posuisset: Tria esse inuisibilia Dei, quæ cognoscuntur per ea quæ facta sunt; potentiam, sapientiam, benignitatem. Et potentiam quidem manifestari, per creaturarum immensitatem, siue multitudinem & magnitudinem: sapientiam, per earum decorem, dispositionem, ordinem: benignitatem denique, per earundem vtilitatem. Exinde decimo sexto capite, expreßè inquirens quodnam ex his tribus inuisibilibus Dei, primùm occurrat creaturas contemplantibus; disertissimè respondet Sapientiam, primam occurrere. Quia (vt ipse ait) illud inuisibile Dei priùs in eâ contemplatione comprehenditur, quod in suo visibili simulacro expressiùs & manifestiùs declaratur. Hoc autem est Sapientia: quia scilicet simulacrum eius, quod est creaturarum decor, euidentius est, ac priùs occurrit, quàm aut immensitas, aut vtilitas, quæ sunt visibilia simulacra potentiæ & benignitatis. Quod quidem postremum nonnullis confirmat rationibus, quæ apud ipsum videri possunt.

Nec difficile foret, si id quidem esset tanti, eam quoque rem ex ipsius etiam Platonis doctrinâ affirmare. Videri potest Marsilius Ficinus ita differens, in compendio dialogi Platonis vndecimi de legibus. *Vbi verò ait (scilicet Plato) Palladem, Vulcanumq́, & Martem artibus præsidere; ex multis Platonis mysterijs alibi atque alibi traditis, collige: Ioui summo mundi architecto, trinitatem quandam numinum, quam opificiam Platonicè nominamus, semper adstare. In qua quidem trinitate, prima sit Pallas, secundus autem Vulcanus, Mars verò tertius. Sed quemadmodum trinitas tota ad Iouem ipsum, à quo est, refertur: ita ferme Vulcanus & Mars referuntur ad Palladem.*

Addit autem in Marte potentiam, in Pallade sapientiam, in Vulcano igneum Spiritum (siue, ad rem nostram, bonitatis atque amoris vim) ex Platonis mente adumbrari.

In qua sanè philosophandi ratione, manifestum est Dei sapientiam in rerum molitione, primas præ bonitate atque potentiâ obtinere; eodem fortassis alludente Lyrico Poëtâ, qui etiam Palladem Ioui proximam facit, ita canens:

L.1.Ode 12.

Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

Apud Eusebium, Suidam &c. Tanquam si Moses ille atticissans (quo modo Platonem Numenius appellat Pythagoreus Philosophus) sub suæ Palladis schemate, quam Ioui intimè adstantem facit, velut primariam diuinorum operum administram, idipsum efferre tentauerit, quod antea expresserat Salomon: qui mente subingressus cæli Regiam, Sapientiam istîc agnouit, diuinarum sedium assestricem, consiliorum participem, machinatricem & architectam operum; quam proinde roget ad se demitti de cælis, vt sicuti Deo mundum condenti adfuisset, eundemq́ue nunc gubernanti assisteret; ita illam ipse in regno prouidè administrando sibi assistentem & collaborantem haberet.

Gnarus absque illâ nihil rectè geri ab hominibus: ipsam porrò libenter ad vsus nostros descendere; & per omnia vitæ officia, actuosam vbique & impigram, in eodem nobiscum sole, puluereq́ue versari. Verùm hoc postea.

CAPVT XX.

Ad extremum concluditur: Mundum hunc, vt proprium Sapientiæ Dei Templum, à nobis habendum & obseruandum esse.

SEd enim auellamur hinc denique; & ad quod per has circuitiones & tanquam anfractus deuenire contendimus, extremâ hac deductione conclusum aliquando relinquamus.

Nam si (quod hactenus multiplici viâ, ac ratione monstratum est) magnam hanc mundi domum à se constructam, instructam, ornatam proprio quodam iure inhabitat Dei sapientia; si, prę cęteris Deo attributis virtutibus, in eâ sese eruditis mentibus clarè conspiciendam, agnoscendam, adorandamque prębet; si quamuis in partem huius Vniuersi te conuerteris, vbique agnoscas impressa rebus sapientiæ vestigia, immo expressa quodammodo simulacra; si creatæ res omnes, totidem voces sunt, & tanquam oracula sapientiæ, ad pietatem verissimam, sanctissimamque summi Numinis religionem, gentem humanam informantis ac manuducentis: nihil sanè est cur dubitemus, ipsum Vniuersum Ædem appellare supremæ Dei sapientiæ. Cuius nos proinde vbique præsentis, & in omnibus apparentis, reuerentiâ, oporteat in mundo circumspectè, castè, sancteque degere, sensus omnes ac motus animi ad æternæ leges sapientiæ, atque instituta, exigere, neque manum pedemue quoquam, ac ne vocem quidem, nisi ex illius disciplinâ, proferre.

Sic enim habendum constituendumque solerti amatori sapientiæ: hunc denique fore totius istius inquisitionis, studijque fructum pulcherrimum; si inde condiscat, solicitè sibi vtendum esse tam promptè oblato atque obuio magisterio diuinæ sapientiæ, eiusque ductum, in omnibus quæ ipse agitet moliaturúe, attentâ curâ esse sequendum.

Quando & id facilè animaduertet; in disputatione præsenti, non illam à nobis commemorari commendariúe sapientiam (si tamen sapientia dicenda est) curioso otio, ac sterili rerum humanarum, diuinarumque, contemplatione contentam, aut inani etiam ac superuacuâ subtilitate laborantem; sed, qualem

lem suprà describere cæpimus, & prout Virtutem alicubi pingit Seneca, efficacem atque exercitam, arenę, pulueri, soli, sudori assuetam, artus coloratos, manusque habentem opere faciendo callosas. Quò etiam rectè obseruat Philo, in libro de Perfugis: *Sapientiam atque Virtutem, nomen fœmininum, robur verò masculum habere.* Vt illas intelligas, non vitæ molli, aut inerti otio natas, sed suapte indole ad pulchros labores, & facta grandia comparatas.

De vit. beat. c. 7.

Neque verò regum ille sapientissimus, ad mentis duntaxat exercitationem; ornamentumue, aut solatium, oblectationemque vitę; sapientiam deuocabat è cælo: sed *vt mecum sit*, inquit, *& mecum laboret*; atque (vt nonnulli ex Græcæ vocis vi colligunt) ipsi quoque meo labori præsit; ac velut operæ pensum exigat; *vt* denique *sciam*, (atque adeò exequar) *quid acceptum sit apud te.*

Sap 9. v. 10.

Nam, velut etiam Parte primâ de sacro agentes tabernaculo admonuimus; non tantùm vt numen quod in mundano templo colatur, spectanda venit suprema Dei Sapientia; sed, per quandam quasi prosopopœiam, attendenda etiam vt princeps eâ in æde diuinitatis administra, cultores amatoresque suos, veluti ministros inferiores, suo magisterio ad summi Numinis notitiam, amorem, venerationem informans, diuinarum virtutum seu perfectionum (vt vocant) vim aperiens, latentis in mundo prouidentiæ arcana pandens, quo cultu Deus, quibus victimis, quibus hymnis, quâ morum gratiâ venerandus, diligenter edocens. *Doctrix est enim disciplinæ Dei* (ait Sapiens) *& electrix*, seu, vt alij vertunt, *ponderatrix*, *operum illius.* Quem etiam locum, cùm in Græco textu, pro *doctrix*, *mystis* habeatur, nonnulli ita vertêre: *Scientiæ Dei sacerdos est, & operum eius antistes.* Perinde atque si (quod dicebamus) ipsum mundi opus, Dei templum sit, cui ipsa præsideat sapientia, vt propria sacerdos, atque suprema ædis antistes ac præses.

Sap 8. v. 4.

Quanquam huic itidem commentationi, qua mundum spectamus vt ædem propriam diuinę Sapientię, fauent Hebręi in libro Sanhedrin, vbi (vt testatur Galatinus) illa Prouerbiorum verba: *Sapientia ædificauit sibi domum*; de ipso Vniuerso accipiunt; septemque columnas, septem primæuos orbis conditi dies interpretantur. Quorum numero accensendus est Salomon Isacides ab Antonio Giggeio editus. Eosdemque etiam è Chri-

L. 3. de arc. fid. c. 3.

stianis

ſtianis ſcriptoribus ſecutus Potho Prumienſis presbyter, libro quem inſcripſit, de magna domo ſapientiæ: *Sapientia Dei eſt,* inquit, *quæ ædificauit hanc domum, excidit columnas ſeptem. Sex igitur dies quibus in principio mundi Deus operabatur, & ſeptima in qua requieuiſſe Deum ab operibus ſuis ſacra Scriptura teſtatur, ſeptem ſunt columnæ, quibus mundi fabrica, quæ eſt domus ſapientiæ, ſuſtentatur.* Quas deinde dies fuſiùs exponens, ſingulas myſticè conſtituit, aſſignatis ijſdem ſigillatim ſpecialibus quibuſdam operationibus, ſeu donis (vt vocant) Spiritus ſancti: prout videre eſt in ipſo autore, tomo 12. Bibliothecę magnę Sanctorum Patrum.

Ad extremum hiſce confirmandis etiam conducere videtur, quod à Chriſto ſeſe accepiſſe ſcribit S. Birgitta; videlicet ab ipſo principio nomen mundi fuiſſe diuinam ſapientiam. Quod quidni liceat hac ratione intelligere, vt dicatur hic mundus, Dei ſapientia, tanquam ædes nimirum ac templum ſapientiæ? quemadmodum paſſim videmus vſu receptum, vt templum S. Petri, S. Petrus, S. Ioannis S. Ioannes appelletur. Quod autem ſubditur in eadem reuelatione: mundum nunc potiùs appellari debere ſapientiam humanam; non ſic accipiemus, quaſi ſpectatus in ſeipſo mundus; aut ſecundum quod ab ſuo opifice Deo prodijt, nomen aliud mereatur: ſed hoc ita dicitur per reſpectum quendam ad ipſos mundi habitatores, qui nempe principio Deum in opere ſuo conſiderantes, ad diuinæ ſcita ſapientiæ, cuius euidentes in ipſo mundo notas recognoſcebant, vitam omnem ac mores componerent; at temporis lapſu, à Dei defecerint ſapientiâ; vt iam ſolis mundanæ ſapientiæ; humanæque prudentię legibus omnia metiantur, ipſeque mundus, aut gens humana, diuerſam à primâ mereri videatur appellationem. Hoc etenim volunt verba illa Saluatoris ad ſponſam: *Nomen mundi fuit diuina ſapientia; quia principio mundus hoc nomen habuit, quòd erat factus in diuina ſapientia. Hoc nomen venerabatur ab omnibus; & laudabatur Deus à creaturâ ſuâ in ſapientiâ ſuâ, & mirabiliter prædicabatur. Nunc autem inhonoratum eſt nomen ciuitatis* (hoc eſt, mundi) *& immutatum, & acceſſit nouum nomen, id eſt ſapientia humana. Iudices enim, qui prius iudicabant in iuſtitia & in timore Domini, nunc conuerſi ſunt ad ſuperbiam, & homines ſimplices ſupplantant* &c. *Hæc ſapientia nunc diligitur, mea autem data eſt obliuioni.* L. 6. c. 55.

X Denique

Denique hunc mundum ſapientiam Dei appellandum; & ex Cardinale Cuſano, alijſque ſuprà diximus, & ex præclaris Apoſtoli verbis, quæ modò exponam, efficaciùs approbabitur.

CAPVT XXI.

Rerum à nobis antè dictarum plenior ex Apoſtoli verbis confirmatio atque illuſtratio.

PRoducendus eſt modò in rem noſtram Apoſtoli Pauli locus egregius; cuius expoſitionem propterea in hunc locum diſtulimus, quòd non modò cuncta quę docuimus bellè confirmet, ſed ipſam etiam diuinæ prouidentiæ rationem, in huius Vniuerſi conſtitutione, hominumque ſalute procurandâ (quam in pauca recollectam proponere eſt animus) contemplationi noſtræ ſubijciat.

Verſ. 21. Sic igitur ſcribit Doctor Gentium prioris ad Corinthios primo capite. *Nam quia in Dei ſapientiâ non cognouit mundus per ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.*

Quid eſt autem in Dei ſapientiâ? quærit ibidem Chryſoſtomus. Et reſpondet de eâ agi ſapientiâ, *quæ apparet per opera, per quæ voluit cognoſci. Propterea enim*, inquit, *& ea quæ ſunt, eiuſmodi conſtruxit, vt conuenienter ex ijs quæ cernuntur, in admiratione haberetur effector.*

Cùm igitur mundus, ſiue huius mundi homines, in ipſa Dei ſapientia, quatenus relucet in huius Vniuerſi opere (ſiue, vt ibi Guilielmus Eſtius, in Dei ſapientiâ metonymicè acceptâ pro ipſo mundi opificio) eâ ipsâ rerum mundanarum cognitione (prout poterant, eratque conditoris conſilium) ſapienter vſi, Deum non cognouerunt: placuit Deo, aliâ prorſus tentatâ viâ, per Sapientiæ ſuæ ſtultitiam, hoc eſt per Verbi ſui incarnationem, mortem, ac crucem (quę myſteria *ſtultum*, ſeu ſtultitiam *Dei* ibidem appellàt Apoſtolus) homines ad ſui notitiam, atque ſalutem adducere, & non iam per rationem, ſed per fidem, eorum ſibi mentes voluntateſque ſubijcere. Sic enim Ioannes Chryſoſtomus: *Quoniam ergo per hanc ſapientiam*, quę ſcilicet apparet in diuinis operibus, *noluit* (mundus) *Deum cognoſcere*;

cere; persuasit per stultitiam quæ esse videtur prædicationis, non per rationem, sed per fidem &c.

Quod item aduersus Marcionem ita expressit Tertullianus: *Igitur quia homo in sapientiâ non cognouit Deum, & Iudæus in sapientiâ Scripturarum, & omnis gens in sapientiâ operum: ideo Deus idem, qui in sapientia sua non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitiâ repercutere, saluos faciendo credentes quosque, in stultam crucis prædicationem.* Ista Tertullianus. L. 5. c. 5.

At eundem Apostoli locum præclarè interpretans S. Anselmus; aut potiùs Hervæus: *Propterea*, inquit, *placuit Deo saluos facere credentes per stultitiam prædicationis, hoc est, per rem prædicatam quæ stulta videtur; id est per incarnationem & humilitatem Filij sui. Verbum quippe Dei, sapientia est. Sed stultitia huius sapientiæ dicta est caro Verbi. Vt quia carnales quique, per carnis suæ prudentiam, pertingere non valebant ad sapientiam; per stultitiam prædicationis, hoc est, per carnem Verbi prædicatam, sanarentur. Et hoc est: Quia in sapientia non cognouit* &c. *ac si dicatur: Cùm Deum, qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inueniret; placuit, vt Deum hominem factum, per humilitatis stulta cognosceret; quatenus eius sapientia ad nostra stulta descenderet, & lucem supernæ prouidentiæ, luto carnis suæ illuminata, nostra cæcitas videret: sicut ille cæcus, qui luto super oculos accepto, illuminatus est.* Hæc omnia ille, quisquis est autor.

Nec minùs acutè Guarricus Abbas: *Quia*, inquit, *in sapientia sua non cognouit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili, eadem sapientia Dei se stultitiam fecit; vt quamlibet idiotis & hebetibus se disscibilem præberet, & per stultitiam prædicationis saluos faceret credentes. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus & prudentibus, & reuelasti eam paruulis.* Rectè quippe is autor hæc Domini verba cum illis Apostolicis, tanquam affinia & sibi cognata, componit: quando & qui modò sapientes dicuntur atque prudentes, istìc expressi sunt mundi nomine; & qui hîc paruuli, ibi credentes sunt appellati. Serm. 5. de Natiu. Matth. 11. v. 25.

Hoc enim illud est grande arcanum, & adoranda magis quàm inuestiganda, ratio cælestis prouidentiæ: vt simplices quidem atque paruuli, Euangelicæ prædicationi, isti inquam Dei stultitiæ, aurem ac mentem accommodantes, per humilitatem in ipsa secreta ac potentias Domini introierint, salu-

temque adeò consecuti sint. Vbi sapientes atque prudentes huius sæculi, neque inuisibilia Dei, in Mundi sapientiâ, per cordis sui vanitatem, intellexerunt; & incarnati Verbi mysterium, crucisque sapientissimam stultitiam, per superbiam contempserunt, ac propterea perierunt.

Verùm huic seu Patrum expositioni, seu menti nostræ ampliùs firmandæ, Angelici Doctoris verba pluscula, at in rem præsentem (meo iudicio) appositissima, clausulæ loco referamus. Is igitur eundem locum, in quo nunc versamur, exponens:

1. Cor. 1. lect. 3. *Assignat rationem* (inquit) *quare per prædicationis stultitiam saluentur fideles Et hoc ideo quia mundus, hoc est mundani, non cognouerunt Deum per sapientiam ex rebus mundi acceptam, & hoc in Dei sapientiâ. Diuina enim sapientia faciens mundum sua indicia in rebus mundi instruit; secundum illud Eccli 1. Effudit illam super omnia opera sua: ita quod creaturæ per sapientiam Dei factæ, se habent ad Dei sapientiam cuius indicia gerunt; sicut verba hominis ad sapientiam eius, quam significant. Et sicut discipulus peruenit ad cognoscendum Magistri sapientiam, per verba quæ ab ipso audit: ita homo poterat ad cognoscendam Dei sapientiam, per creaturas ab ipso factas, inspiciendo peruenire; secundum illud Rom. 1. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sed homo propter cordis sui vanitatem a rectitudine diuinæ cognitionis variauit. Vnde dicitur Ioan 1. In mundo erat; & mundus per ipsum factus, & mundus eum non cognouit. Et ideo Deus per quadam alia ad sui cognitionem salutiferam fideles adduxit, quæ in ipsis rationibus creaturarum non inueniuntur; propter quod à mundanis hominibus, qui solas humanarum rerum considerant rationes, reputantur stulta. Et huiusmodi sunt fidei mysteria. Et est simile, sicut si aliquis Magister considerans sensum suum ab auditoribus non percipi per verba quæ protulit, studet alijs verbis vti, per quæ possit manifestare quæ habet in corde.* Hactenus summus Doctor.

CAPVT XXII.

Diuini consilij ratio, in mundo condendo, mittendo Filio, homine ad salutem adducendo, in pauca colligitur; sibiq; per omnia bellè consentiens ostenditur.

PORrò Apostolicis verbis in istam sententiam productis atque expositis; nobis iam liceat diuini consilij rationem, ac prouidentiæ ordinem vniuersum, in pauca collectum attentiùs recognoscere.

Primùm quippe Deus, cùm præ infinitę perfectionis exuberantiâ, sese extra se diffundere, & quasi producere, vellet, atque res aliquas demum extare, essentiæ suæ bonitatisque participes; mundum verbo suo & sapientiâ ita condidit, vt cùm res singulæ, tum ipsum potissimùm Vniuersum, impressos præferrent artis suæ diuinæ characteres certissimos, & vbique sparsa sapientiæ vestigia, quorum contemplatione informatus humanus animus (cuius nempe gratiâ, reliqua omnia condita sint) ad mundi artificis atque parentis, suique itidem conditoris, notitiam, admirationem, cultum, amorem, ipsâ subleuante ac conducente prouidentiâ, haud sanè difficulter adduceretur. Suam etenim sapientiam Deus (vt cum Siracide dixit modò laudatus S. Thomas) *effudit super omnia opera sua*: vt sicut lucem hanc solarem (quam meritò colorum reginam appellat S. Augustinus) omnibus affusam corporibus, eorumque colores suscitantem atque animantem, eâdem intentione visus attingit, quâ colores ipsos intuetur: ita sapientiæ Dei splendorem, rebus omnibus non tam affusum extrinsecus, quàm infusum atque imbibitum, discernere possit atque debeat humana mens, dum rerum istarum aspectu ac contemplatione occupatur. Vt qui in hanc domum & tanquam templum diuinę sapientię intromissus, atque hanc ipsam Dei sapientiam, tot rerum visibilium formis vestitam, factamque quodammodo sensibilem, ac per vniuersæ naturæ voces sibi loquentem, Deique omnium conditoris notitiam ac gloriam sibi ingerentem, non attenderit, neque exaudierit, etiam autore diuinâ Scripturâ, meritò dicatur, & verò sit, inexcusabilis.

L. 10. Conf. c. 34.

Rom. 1. v. 20.

Sed contra euênit quàm sperabatur. Mundus quippe seu

mundani homines, capti atque decepti rerum istarum externâ specie, solis intenderunt visibilibus; earumque insano amore obscuratum habentes intellectum, & similes facti iumentis insipientibus, non Deum in istis suis operibus agnouere, sed extremâ ducti insipientiâ ac vecordiâ, ipsa Dei opera, ipsas inquam vmbras atque extrema vestigia diuinitatis, Dei nomine nuncupauerunt & venerati sunt; & cùm artificem in ijs possent atque deberent recognoscere, ijsdem è contrà ad factoris contemptum atque contumeliam abusi sunt. Quod siqui Gentium sapientes, ex huius mundi contemplatione, ad autoris Dei cognitionem velut theoreticam, & merè contemplatiuam, per-

Rom. 1. v. 21. uenerint: attamen hi (quod ait Apostolus) *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis* &c. Adeò vt vniuersè verum sit, quod eâdem cum Paulo antea à nobis exposito mente, de Dei Verbo scripsit Ioannes: cùm esset in mundo, vtique vt in

Ioan. 1. v. 10. opere suo (quia mundus per ipsum factus est) eoque in opere, per impressas artis atque sapientiæ suæ notas, diuinam suam præsentiam satis apertè manifestaret; mundum tamen, ipsum non cognouisse.

Ergo vt ipsa nobis magis sensibilis & quasi palpabilis fieret Dei sapientia, perque eam nobis propinquiorem, & generi nostro veluti cognatam effectam, via facilior ac compendiosior ad salutarem Dei notitiam humanæ menti pararetur; misit Deus vnigenitum suum in similitudinem hominum factum, & habitu inuentum vt hominem; quò iam aliam sibi ædificante domum Sapientiâ, Verbum ipsum in nobis habitans, nobis quasi contubernalis fieret; & carnem induta Sapientia, non iam per mutæ naturæ voces, neque per vmbras & ænigmata, sed palàm ore suo loqueretur; & quam latentem in corde Patris, & à sensu nostro longè submotam, omnino nequibamus attingere, neque in suis se prodentem operibus satis perspexeramus; nobis concorporatam ac concarnatam, eoque humanis sensibus propiorem ac familiariorem redditam, demum agnoscere, contrectare, & tanquam gustare, possemus.

Quam in rem, vti ingeniosa, ita mihi sanè perquam suauis olim visa est, quædam B. Augustini commentatio: Verbum idcirco carnem factum, vt nobis paruulis lactesceret, sapientia Dei, & cibus ille Angelorum, cui capiendo per infantiam haud eramus idonei, humanitate nostrâ temperatus, & trans-

formatus

formatus quodammodo, ad nostrum paruulorum captum atque gustatum accommodaretur. Quam cogitationem suspicari possumus etiam autorem suum delectasse, quando hanc ille sæpiùs scriptis suis interposuit.

Etenim in primis, Confessionum suarum libro 7. *Et quærebam* (inquit) *viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, & non inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, vocantem & dicentem: Ego sum via, veritas, & vita; & cibum, cui capiendo inualidus eram, miscentem carni, vt infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua per quam creasti omnia.* Et alio in loco: *Hoc credimus de forma serui, quod possumus capere, dum adhuc sumus serui. Hoc est enim illud lac paruulorum, quod temperauit, panem traijciens per carnem. Nam panis ille Angelorum in principio erat Verbum.* Quibus ille quidem suauissimè commentatur, vt dicebamus: Dei Sapientiam eo consilio nostrâ carne commixtam, vt nobis lac esset, seu velut cibus infantium: quando neque ipsam vt in se purè subsistentem, seu prout in cælo manducatur ab Angelis, gustare poteramus; neque verò sub istis oblata, naturę rerum quasi ferculis, visa est admodum facere ad gustum nostrum.

Cap. 18.

In ps. 109.

Expressiùs autem, ac luculentiùs, scribens in Psalmum 30. *Enutries me* (ait) *vt validus sim ad manducandam escam qua pascis Angelos. Hic enim lacte nos nutriuit, qui nobis cælestem cibum promisit, & vsus est maternâ misericordiâ. Sicut enim mater lactans, eandem escam, cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem traijcit, & lac infundit: sic Dominus, sapientiam vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* Postremò commentans in Psalmum 33. concione 1. etiam pluribus idem repetit; pulchrè inter cætera incarnandi nomine ad eam rem ampliùs adsignificandam abutens. Ita enim loquitur: *Quis autem homo potest ad illum cibum?* (hoc est, Verbum Dei, quod manducant Angeli, & saginantur) *Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos pertineret. Vnde autem cibus fit lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos Sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Hæc omnia Augustinus.

Hæc

Hæc igitur tandem diuini consilij ratio, hominibus ad Deum adducendis, efficax & idonea inuenta est: qui nempe occulta & incerta diuinæ sapientiæ, non iam in paginis elementorum, & voluminibus temporum (velut suprà loquentem audiuimus B. Prosperum) sed in tenerâ virgineæ carnis tanquam membranâ, familiariùs, & ad captum suum accommodatiùs, descripta legentes, intellexerunt denique & adamarunt: atque stultâ factâ sapientiâ huius mundi, per stultitiam Dei (vti loquitur Apostolus) hoc est, per Verbi carnem & crucem, reipsâ sapientes atque felices effecti sunt: *Quia quod stultum est Dei (* inquit ille *) sapientius est hominibus.* Neque in alio magis opere, quàm eo quod stultum videbatur, & Deum ipsum parum condecens, elucere visa est excelsa & supereminens sapientia Dei: amans videlicet cum ingenijs ludere, sensibusque mortalium, & per ea etiam quæ rebus ipsis incongruentia videantur, ad fines suos fortiter suauiterque peruenire.

CAPVT XXIII.

Argumenti, capite superiore cœpti, executio.

VEruntamen & ipsi rerum ordini conuenientissimum fuisse, vt eadem ipsa Sapientia Dei quæ mundum condiderat, cælo delapsa conuersaretur inter homines, eisque ad Deum reducendis, verbo exemploque salutis viam ostenderet; idem Cap. 35. Augustinus sapienter obseruat libro 1. de consensu Euangelistarum, vbi ita loquitur: *Quapropter cùm sit ipse Christus sapientia Patris, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationabiles, nisi participatione ipsius sapientes fiant: consultum est diuinâ prouidentiâ mortalibus, vt eadem ipsa Dei Sapientia ad vnitatem personæ suæ homine assumpto, congrua saluti nostræ dicendo & faciendo, patiendo & sustinendo, fieret hominibus exemplum redeundi* &c.

Sed ne adueniente in terras Dei Sapientiâ, & carne se nostrâ obuoluente, nostrisque proinde obtutibus sese iam familiariùs præsentante, ad rem tam insuetam, atque adeò primo aspectu stultam, ipsâ tanti operis nouitate, miraculoque perculsi, obstupescerent sensus mortalium; ad id illi sensim ac variè;

riè, nec lapſu temporis exiguo, diſponendi & comparandi fuere. Ergo in qua gente ſedem fixura, & olim in carne apparitura, erat ſapientia, huic tantò antè in ducem datur ac præſidem, vt paulò quàm antea familiariùs cum ea conuerſans, ac tum ipſi populo ſub vmbris varijs ac figurarum integumentis, tum Moyſi alijſque Prophetis ſub humanę carnis effigie manifeſtiùs apparens, ſuo aliquando in carnem aduentui proluderet, atque ita ſenſim hominum animos ad ſui notitiam, cultum, amorem, deſiderium conciliaret. *Oportebat enim* (inquit loco citato Auguſtinus) *vt aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diu per vnam gentem promittebatur.*

Itaque quæ primùm in huius mundi templo, per impreſſos in natura rerum artis ſuæ diuinæ ac præſentiæ characteres, ſeſe ipſi mundo ſpectabilem fruſtra fecerat; iam in manufacto tabernaculo temploúe, propiorem ſeſe ac pręſentiorem oſtendit; tanquam in figurâ templi illius animati, quod olim ſibi ſine manibus, in vtero Virginis ædificaret: dum ſeipſam denique in templo gloriæ, apertâ facie & clarâ luce, velut in ſe eſt manifeſtet, amatoreſque ſuos, ſui poſſeſſione, æternùm beatos efficiat.

Ita, non dubiâ diuini conſilij ratione, & certâ ſtabilique prouidẽtiâ, per omnia peruadentem, omnes partes agentem, vbique vigentem atque regnantem, habemus Dei ſapientiam: ac primùm quidem, Orbem condentem, adminiſtrantem; curſum ſæculorum, mundique ſtatum digerentem; tum populum Dei ſibi dilectum, peculiari nomine regentem atque procurantem, & ſeu lege datâ, ſeu ſuis per arcam oraculis, ſeu Sanctorum Prophetarum vocibus, ſeu multiplicibus miriſque prodigijs, eundem ad bona olim promiſſa diſponentem; tandem aſſumptâ carne mortali, noſtræ informationi, redemptioni, ſaluti, admirabili ratione laborantem; ad extremum completo ordine curſuque rerum, poſſeſſores ſuos claro ſui conſpectu ſatiantem atque beantem.

Vt in hunc ſenſum iam intelligam, quod de eâ à Sapiente ſcriptum eſt: *Attingit ergo* (ſiue protendit & exporrigit ſe) *à fine vſque ad finem fortiter*; (hoc eſt, ab extremis primiſque rerum initijs, ad fines vſque complementumque ſæculorum) *& diſponit omnia ſuauiter.* Quò item reſpicit egregia quædam in libro de Diuinis Nominibus Magni Areopagitæ ſententia, vbi, cùm illud nobilem dixiſſet, Dei ſapientiam, in omnibus & Sap. 8. v. 1. Cap. 7.

ex

ex omnibus agnoſcendam : *Hæc enim* (ſubdit) *iuxta Scripturam, eſt omnium artifex, & ſemper omnia componit, eſtq́; cauſa indiſſolubilis cohærentiæ & ordinis rerum, fineſq́; priorum cum ſequentium principijs ſemper connectit, & vnam Vniuerſi conſpirationem concentumq́; pulcherrimè efficit.* Iſta Dionyſius.

Atque iſti affinem ordinem rerum, progreſſumq́ue diuinæ prouidentiæ, inuenio item quodammodo ſecutum Magnum Athanaſium, dum tractatu de Verbi Incarnatione in hunc ferè modum philoſophatur.

Ante omnia autem illud ſtatuit: cùm homo ex conditione ſuâ, ſibi inditam accepiſſet, impreſſamq́ue menti haberet, ſummę diuinitatis imaginem, in diuinę rationis & arbitrij luculentâ participatione conſiſtentem (vt enim idem alibi loquitur: *Orat. 3. contra Arianos.* *Sicut noſtra ratio Verbi ſimulacrum exiſtimandum eſt, ita ſapientia noſtra eius ſapientiæ imago*) potuiſſe ex eâ, ac debuiſſe, ipſam diuinitatem agnoſcere, & ex ſibi inſculptis intrinſecus diuinæ rationis ac ſapientiæ characteribus, & expreſſis quaſi diuini vultus lineamentis, ipſum inuenire ſuæ conditionis autorem. Sed poſtquam primæuæ labis vitio, non ratione, ſed ſenſu duci; neque iam ad ſeſe reſpicere, aut in mentis ſuę penetrali recognoſcere diuinitatis imaginem, ſed totus effundi extra ſe, & rebus iſtis viſibilibus vnicè teneri cæpit: reſtabat, vt ſaltem in his ſapientiæ operibus, quæ illum adeò delectarent, niſi cæcus planè & excors eſſet, ipſum deprehenderet artificem, atque ex Apoſtoli ſenſu, per viſibilia quæ fecit, ad inuiſibilia ipſius intelligenda deueniret. At illa nimirum occupabant ſenſus, non erudiebant animum; & corruptæ naturæ infirmitati, peccandi potiùs materiam, quàm cæleſtis cuiuſdam philoſophiæ argumenta, ſuppeditabant.

Submiſſi igitur tum Prophetæ ſunt, qui non iam muto eloquio, aut occultis quaſi hieroglyphicis ipſi naturæ rerum inſculptis, ſed excelsâ quadam ac manifeſtâ prædicatione, populum electum ad veri ſummiq́ue Numinis notitiam, fidem, venerationem, ipsâ ducę Dei Sapientiâ, nec ſine portentis ſignisúe monſtrificis, informarent; & quibus legibus inſtitutisúe ſeruandis, quàm caſtis religionibus, quâ in vniuerſum ſanctitate morum, is coli ſe vellet, edocerent. Veruntamen & his minùs ex voto ſuccedentibus; oportuit denique velut extremo diuinę artis & bonitatis conatu, ipſam de cælo demitti Dei Sapientiam, quæ noſtrâ ſuſceptâ humanitate, viſibilem ſe

nobis & quasi tractabilem faceret; & modis ad nostram, siue proteruiam reprimendam, siue infirmitatem roborandam aptissimis, se nobis viam, veritatem, & vitam proponeret, & diuinâ in nobis imagine reformatâ, sibi fide ac dilectione coniunctos, æternâ denique sui consortione bearet.

Quæ quidem ex Athanasij sensu, non item verbis, retulimus; sed quæ ille paucis indicauerit, hac dicendi formâ conuestita, in rem præsentem adaptauimus.

CAPVT XXIV.

Cælestem Ierusalem, seu Cælum, Beatorum sedem, Templum Dei augustissimum esse.

PORrò iam, vt ab Allegoriâ, in quâ præ materiæ vbertate, diurulè immorati sumus, ad sensum (quem vocant) Anagogicum paucioribus exequendum transeamus; demonstrandum nobis est hoc loco, quod minùs fortassis operosum erit efficere, cælestem illam ac diuinam domum, habitationem Sanctorum felicissimam, proprio quodam suo iure, templum diuinæ sapientię esse.

In primis igitur, cęlum hoc, quod oculis mortales spectamus, apud veteres præsertim poëtas, templi nomine esse appellatum, notius est, quàm vt multis probari necesse sit. Hinc enim & apud Lucretium atque Ennium, *lucida*, aut *cærula cæli templa*; & apud Varronem, *magna cæli templa commista stellis splendidis* &c. *L.6. de ling. Lat.*

Verùm cælum illud secretum à mortalium oculis, Angelorum hominumque beatorum sedem æternam, & in qua Deus specialiter habitare dicitur, templum esse Dei sanctissimum ac diuinissimum, & persuadet ratio, & diuinior conuincit autoritas. Siquidem in Psalmis & alibi passim eius appellationis occurrunt exempla: vt cùm Psalmo 10. v. 5. dicitur: *Dominus in templo sancto suo; Dominus in cælo sedes eius.* Ad quæ verba Magnus Gregorius: *Templum etenim Dei superna patria est; de qua etiam per Prophetam dicitur: Dominus in templo sancto suo; Dominus in cælo &c.* *Int. Reg. c. 2.*

Nisi fortè quisquam, non istic cælum templi, sed è contrà templum cæli nomine venire putet; quod & illud Deus vt

domum propriam inhabitaret; & suæ ibidem præsentiæ ac gloriæ illustria signa atque effectus proderet; dicente etiam
L. 3. antiq. c. 6. Iosepho Iudæo, *tertiam templi partem sacerdotibus inaccessam* (hoc est, Sancta sanctorum) *cælum Dei quodammodo repræsentasse*. Quæ tamen ratio, siquid efficit, è conuerso ostendit, sicut Dei templum cęlum quoddam est, ita cælum quoddam Dei templum esse; idque hoc augustius atque sanctius, quòd & in eo Dei præsentia multo atque immenso fit illustrior, & locus ab omni labe purior, & sanctiores ministri, & altare diuinius, & sacrificia acceptiora.

Simile est illud è Deuteronomio: *Respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo.* Vbi coniunctionem & esse exegeticam, siue membri prioris expositiuam; ex Hebræo ap-
C. 26. v. 15. paret, vbi legitur. *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ, de cælo ipso.*

Verùm in Ioannis Apocalypsi, cælestis illa Dei sanctorumque habitatio, non semel designatur templi nomine: vt cùm capite 11. v. 19. dicitur: *Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti eius, in templo eius.* Et cap. 7. v. 15. *seruiunt ei die ac nocte in templo eius:* & alibi.

Nec refert quod Euangelista, describens postea ciuitatem sanctam Ierusalem, illam scilicet nouam atque cælestem, dicat se templum non vidisse in eâ.

Cap. 21. v. 22. Hoc enim duntaxat eo sensu accipiendum est; vt neget, se in eâ vidisse locum aliquem specialiter destinatum diuino cultui: quemadmodum in terrenis vrbibus, earum pars aut regio aliqua, templo istic erecto, ad sacros vsus & diuina sacrificia deputatur. Nam cùm ipsa per se Diuinitas vniuersam cælestem Ierusalem numine suo atque gloriâ, maiestate ac sanctitate, æquè impleat, & vbique sese perinde videndam adorandamque prębeat; nihil opus erat partem eius aliquam priuatim dedicari Diuinitati; quando ipsa ciuitas quanta quanta, nihil nisi templum est: immo ipse Deus, in quo Beati illi arcano quodam modo inhabitant, ijsdem pro templo esse possit. Secundùm quod ibidem subditur; *Dominus enim Deus om-*
C. 3. lect. 3. *nipotens templum illius est, & Agnus.* Vnde & S. Thomas scribens in priorem ad Corinthios, sic ait: *Omne illud in quo Deus habitat, potest dici templum. Habitat autem Deus principaliter in seipso, quia ipse solus se comprehendit. Vnde & ipse Deus templum Dei dicitur. Apoc. 21. Dominus Deus omnipotens templum illius est.*

Ex

Ex quibus potiùs confirmabitur, quod dicebamus; cęlestem nimirum Ierusalem, summæ Diuinitatis maximè proprium atque intimum templum esse.

Obseruentur denique Apostoli verba ad Hebręos capite 9. v. 24. in hunc modum scribentis: *Non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis.* Ex his enim manifestè habemus; vetera illa atque typica Sancta sanctorum, exemplaria seu (vt est in Græco) antitypa fuisse sanctuarij cælestis; hocque fuisse verum ac proprium Dei templum, in quod Pontifex noster IESVS CHRISTVS introierit, vt appareat vultui Dei pro nobis: quemadmodum Pontifices Aaronici Sancta illa sanctorum manufacta ingrediebantur, preces & hostias pro vniuerso populo oblaturi.

Quamobrem si quis coniecturam recipiat Parte primâ à nobis propositam, de Salomonis templo supremæ Dei Sapientiæ propriè ac speciatim dedicato; ei pronum fuerit, & de templo cælesti (cuius istud vmbra atque figura fuit) quiddam simile dicere: quemadmodum è contrà si de templo cælesti id in præsenti docuerimus; indicio erit, idipsum & de templo Salomonico non immeritò dici posse: cùm necesse sit, vmbram corpori, figuram veritati, proportione respondere.

CAPVT XXV.

Patriam cælestem; sedem esse propriam, regionem, regnum atque adeò templum, Sapientiæ diuinæ.

VEruntamen istud, quod modò faciendum suscepimus, argumentis huic loco proprijs, quoad consequi possumus, efficiamus.

Atque eò ferè argumenti vis in præsentiâ reuoluitur; vt, seu autoritate, seu ratione doceamus: Patriam cælestem, sedem esse propriam, regionem, regnum, æternę Dei Sapientię; huic illam sedi specialiter præsidere, ibi conspici, coli, regnare; proindeque templi illius diuinissimi (quale cęlum esse modò dictum est) hanc propriè pręsidem atque Dominędiam esse.

Cui cogitationi in primis fauentem habemus Aurelium Pru-

dentium, eo poëmate, quod Pſychomachiam inſcripſit: vbi cùm animam Chriſtianam in hoc ſæculo militantem, repugnantemque ſuis cupiditatibus, vnaque Virtutum Chriſtianarum de oppoſitis Vitijs, poſt acrem conflictum, victorias ac palmas deſcripſiſſet; tum ipſam inducit Sapientiam, quę hoſtibus omnibus, Virtutum ſibi militantium ope, ſubactis, in animam ſanctam ac Deo iam perfectè ſubditam, velut in ciuitatem cęleſti Ieroſolymæ ęmulam (quippe iiſdem gemmis, quibus illa cæleſtis, Fide & Concordiâ ædificante conſtructam, & ad Portas duodecim, totidem nominibus Apoſtolorum Agni inſcriptam) triumphanti ſimilis inuecta, ibidem in Æde ſeptem columnis cryſtallinis ſubnixâ, pacato iam regno præſideat. Quam in rem ſic canit, inter cętera.

Hoc reſidet ſolio pollens Sapientia, & omne
Conſilium, regni celsâ diſponit ab aulâ,
Tutandiq; hominis leges ſub corde retractat.

Pòſt verò à regno, quod in corde iuſtorum ſibi in hac vita conſtituit ipſa Sapientia, ad æternum eius in cælo regnum, gradum faciens, ad extremum orat, plenam ſibi concedi de ſuis vitijs, cupiditatibuſque victoriam:

Donec præſidio Chriſtus Deus adſit, & omnes
Virtutum gemmas componat, ſede piatâ.
Atque vbi peccatum regnauerat, aurea templi
Atria conſtituens, texat ſpectamine morum
Ornamenta animæ, quibus oblectata, decoro
Æternum ſolio diues Sapientia regnet.

Quod non niſi in illa cæleſti beatitudine futurum eſt; vbi tum ciuitatem, tum ciues ipſos Sapientia, pro regno ac templo ſempiterno, eſt habitura.

Cap. 10. S. Auguſtinus libro 9. Confeſſionum, illud commemorans diuinum ac dulce colloquium, quod cum Matre ſua S. Monica, paulò ante eius mortem habuit ad Oſtia Tiberina; vbi (vt ait) remoti à turbis colloquebantur ſoli valde dulciter, & per ſcalam rerum creatarum ad Deum aſcendentes, attigerunt denique deguſtaruntque modicè, & tanquam rapidâ cogitatione, futuram æternę vitæ iucunditatem; de eâ ſic ait inter cætera: *Et venimus in*

mentes

mentes nostras, & transiuimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi pascis Israël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt &c.

In quibus obserues ex Augustini mente, vitam æternam aliud non esse, quàm supremam quandam atque beatam participationem diuinę Sapientiæ, illamque proinde regionem vbertatis indeficientis, meritò sedem, ædem, ac regnum sapientię appellari.

Quò item facit, quod alibi ait idem S. Doctor: *Regnum cælorum esse perfecta summaq; sapientia animæ rationalis.* Item: *regnum cælorum desiderandum esse propter sapientiam & vitam æternam.* Qui rursum in Psalmum 58. ad ipsum regnum cælorum respiciens; *Est quædam* (inquit) *origo fonsq; virtutis; est quædam radix sapientiæ, est quædam* (*vt ita dicam*) *regio incommutabilis veritatis.* Lib. 1. de Serm. in Monte c. 4. Serm. 74. de temp. c. 9.

Et alio in loco, hoc est libro 3. de Libero arbitrio cap 25. ipsam beatorum felicissimam vitam describens, ait: *Tanta est iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis & sapientiæ, vt etsi non liceret* &c. At libro 2. cap. 13 multis inculcat, beatam vitam, in luce veritatis, & participatione summæ sapientiæ esse collocandam; atque hæc inter cætera: *Et quid beatius* (inquit) *eo, qui fruitur inconcussâ & incommutabili & excellentissimâ veritate!* Et rursum: *Immo verò quoniam in veritate cognoscitur & tenetur summum bonum, eaq; veritas sapientia est; cernamus in eâ; teneamusq; summum bonum, eoq; perfruamur.*

Expressissimè autem S. Bernardus, sermone 3. de Ascensione: *Rediȷt* (inquit) *ad regionem sapientiæ, Sapientia Dei.* Sanctus autem Gregorius Nyssenus, quodam loco dicens; *Sapientiam in superis partibus, quasi in arce, præsidere rerum vniuersitati*; apertè ostendit, ipsum cælum, sedem, aulam, regiam sapientiæ esse. De anim. & resurr.

Et meritò regio, regnum, ac templum sapientiæ; vbi non iam in paginis elementorum, libris cęlorum, voluminibus temporum, vmbris figurarum, ænigmatibus Scripturarum, inuolucris Sacramentorum, laboriosè quæritur, tardè deprehenditur, obscurè attingitur Sapientia Dei; sed in clarâ luce, vti in se est, seipsam exhibens, & Sanctorum animis intimè illapsa, eorum mentes ita possidet, vt nihil iam intelligere possint,

nihil

nihil amare, nihil velle, nisi secundùm supremam Dei Sapientiam, cuius participatione beati sunt. Vbi eadem Dei Sapientia (teste Augustino) ipsis vita est, vbi cibus, vbi potus, vbi sagina mentis, & totius hominis satietas.

Sic enim in Psalmum 49. scribens hic S. Doctor: *Panis noster (ait) ibi iustitia est, potus noster ibi sapientia est.* Et libro citato

Cap. 3. Confessionum, de amico suo Nebridio defuncto loquens: *Iam* (inquit) *non ponit aurem suam ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam, pro aviditate suâ, sine fine felix.* Eoque felix videlicet, quòd in ipso fonte iam bibat Dei Sapientiam, quæ est ipsa Sanctorum felicitas.

Vnde etiam ad illa verba Psalmi 62. *Sitiuit tibi anima mea: Sitienda est ergo sapientia* (inquit) *sitienda est iustitia. Non eâ satiabimur, non eâ implebimur, nisi fuerit finita vita ista, & ad illud venerimus, quod promisit Deus. Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum: & modò Angeli non sitiunt, quomodo nos, non esuriunt, quomodo nos; sed habent saginam veritatis, saginam lucis immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt.* Et rursus in alio Psalmo,

Psal. 127. consolans animam Deum amantem, & præ illius desiderio gementem, atque interim se pane lacrymarum pascentem: *Veniet* (infit) *Deus tuus, & ipse pro pane lacrymarum succedet, & te in æternum saginabit; quia erit tecum Verbum Dei, quo pascuntur Angeli.*

Quibus paria habes apud Magnum Gregorium, in caput 2. Cantici Canticorum: vbi postquam dixit per cellam vinariam, nihil congruentiùs, quàm ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipi: *In hac æternitate* (subdit) *Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur.*

Atque hoc illud est, opiparum, splendidum, magnificum

De diligendo Deo. æternumque conuiuium; quod (vt quodam tractatu commentatur S. Bernardus) in cælis adornat ac celebrat Dei Sapientia, & ad quod inuitat amicos suos dicens: *Venite, bibite, & inebriamini, charissimi;* vbi & transiens ministrabit illis, immo & seipsam in cibum ac potum sempiternum apponens. Expressiùs porrò Doctor Angelicus libro 3. contra Gentes cap. 51. *Lucæ 22.* (inquit) *Dominus dicit: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Quod quidem de corporali cibo vel potu non potest intelligi: sed de eo qui in mensâ sapientiæ sumitur;* de quo à

Sapientia

Sapientia dicitur., Prou. 9. Comedite panes meos, & bibite vinum, quod miscui vobis. Super mensam ergo Dei manducant; quia eâdem felicitate fruuntur, quâ Deus felix est; videntes eum eo modo, quo ipse videt seipsum. Hæc egregiè S. Thomas.

Rectè autem illa mensa cælestis instrui dicitur & adornari à Dei sapientiâ; quòd immortali illius luce satientur, & (Augustini verbo) saginentur, beatæ illæ mentes, atque ideo beatæ sint. *Beata quippe vita* (vt pronuntiat ista confirmans idem Doctor excellentissimus) *gaudium est de veritate.* *L. 10. Conf. c. 23.*

Ex quibus ad extremum elucet; quàm meritò dicamus, cælestem illam Ierusalem, esse domum, sedem, ædemque propriam supremę Dei Sapientiæ; idque multò magis, quàm id de hoc mundo inferiore pronuntiauimus: quando illic suis cultoribus, longè manifestiorem, augustiorem, venerabiliorem sese exhibet Sapientia, eorumque mentibus, & potentiùs, & intimiùs, & dulciùs, & feliciùs allabitur; vt quorum vita est, ipsa immortalitas Sapientiæ; gloria, claritas Dei; beatitudo, summa & incommutabilis veritas.

CAPVT XXVI.

Ita conuersandum nobis in hoc sæculo, quasi in atrijs cælestis Ierusalem, æternique templi Sapientiæ, versemur.

EX hac anagogica templi Sapientiæ contemplatione, operæ pretium fuerit, de more nostro nonnulla colligere, Christianæ vitæ informationi profutura.

Quorum primum illud sit: Sic nos animo affectos conformatosque esse debere; vt ita nobis intelligamus conuersandum in hoc sæculo, quasi in atrijs versemur æterni templi Sapientiæ, siue Ierosolymæ cælestis; ad loci illius felicitatem aspirantes perenni desiderio, ei nos aptare morum nostrorum sanctitate satagentes, &, quoad eius fieri poterit, eiusdem æternæ festiuitatis ac iucunditatis beata gaudia, anticipatâ quadam delibatione, velut è propinquo pręcipientes.

Nam etsi, quod suprà demonstrauimus, etiam hic mundus inferior quoddam templum sit diuinæ Sapientiæ; ita tamen ille huius ædes est, vt eius verissimum sacrarium, sedesque penetralis, non nisi in cælo reperiatur.

Cui sensui meo illustrando proferri potest elegans quædam Philonis Hebræi commentatio; qui verba illa è Cantico Mosis, Exodi cap. 15. v. 17. *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ*; de mundo isto sensibili accipiens, ait illud dici sanctuarium Dei, veluti splendorem (Græcè ἀπαύγασμα, quasi dicas, relucentiam) Sanctorum cælestium, & tanquam imitamentum Sanctuarij archetypi; eò quòd omnia quę in hoc mundo pulchra videntur, non nisi imagines sint eorum quæ sunt in mundo intelligibili. Ita enim loquitur Philo ex recepta

De plantat. Noe. versione: *Idem carmen*, inquit, *cum his consonat, quæ dudum de mundo dicta sunt; eum esse instructissimam Dei domum sensibilem, eamq́ factam, non increatam, vt quidam existimant. Sanctuarium autem, quasi splendorem è Sanctis redditum, exemplaris imaginem. Nam quæ sensui pulchra sunt, intellectui pulchrorum imagines sunt.* Ita ille.

Nisi illud magis lubeat dicere: Mundum hunc, non tam Sapientię templum, aut velut fixam domum esse, quàm eius temporarium tabernaculum; eò quòd in hoc sæculo nobiscum quasi

In ps. 26. peregrinetur Sapientia, sole decolor, fusca, puluerulenta (*Tabernaculum* enim, Augustino teste, *peregrinantium*) ipsum verò cælum, propria sedes sit atque mansura summę Sapientiæ, & certa regio incommutabilis Veritatis. De qua proinde Veri-

Apolog. c. 1. tate siue Sapientiâ agens Tertullianus aduersus Gentes: *Scit enim* (inquit) *se peregrinam in terris agere: cæterùm, genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere.*

Quapropter neque sic teneri debemus, occupariúe, vocibus illis tametsi prædulcibus, per res huius mundi inferioris nobis, loquentis Sapientię; quin subinde aure magis arrectâ, quoddam aduertamus excipiamusúe tanquam ἀπήχημα, siue extremum, vt aliàs diximus, quasi tinnitum aut repercussum cælestis symphoniæ, de illo supremo penetrali Sapientię, quanquam subobscurè & velut è longinquo, resonantem, atque ad nos tanquam in atrijs aut vestibulo templi cælestis constitutos, pertinentem. Cuius vtique soni dulcedine affecti atque recreati, erigamus tristem ac languentem animam nostram; atque inter huius exilij tædia, gustum aliquem accipiamus dilectę patriæ; eiusque ineffabilis voluptatis, quâ cultores suos amatoresque istîc inebriat diua Sapientia, particulam aliquam, solatij gratiâ delibemus.

Quâ item ratione videlicet, ex S. Augustini sententiâ, mærorem

rorem animæ suæ, gemitusque ac lacrymas, solabatur Propheta, cùm diceret: *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam* Ps. 41. v. 5.
meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei: in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis; siue (vt ipse legit Augustinus) *soni festiuitatem celebrantis*. Quibus continuò subiungit Propheta: *Quare tristis es anima mea* &c.

Vbi quanquam, secundùm litteram, videri possit ipse Propheta pro eodem sumpsisse *locum tabernaculi*, & *domum Dei*; quando & alioqui ex diuinâ Scripturâ compertum est, ipsum tabernaculum non raro dici domum Dei, immò & templum; Iudic. c. 18. v. 31.
attamen S Augustinus ad vsus suos illa distinguens, tabernaculi nomine præsentis temporis Ecclesiam, domus Dei nomine cæleste templum, siue futuram Sanctorum habitationem, 1. Reg. 1. v. 7. &c.
intelligit.

Atque (quod ad nostram eruditionem in re præsenti facere potest) piè atque dulciter commentatur: Sanctum illum Regem, ambulantem in isto tabernaculo, & opera Dei, quæ etiam in præsenti sæculo, electorum suorum gratiâ exhibet, admirantem, tandem peruenisse vsque ad domum Dei; sensim inquam inductum ad præcipienda delibandaûe cælestis Sionis festa gaudia, dum illi quasi ad aurem cordis, de illâ cælesti festiuitate appellit canorum & dulce nescio quid; quam ille dulcedinem, studiosæ mentis auiditate quadam secutus, demum peruenerit ad eius dulcedinis fontem, ipsam inquam æternam domum Dei: vbi nempe solenne conuiuium palàm exhibet Sapientia, non sine voce exultationis ineffabilis, & cantu qui deceat epulas tantę Principis, sempiternam illam festiuitatem cum amicis suis celebrantis.

Ita, quod etiam in superioribus admonuimus, à præsentis sæculi tabernaculo, facilis est transitus ad domum Dei; atque ex operum diuinorum contemplatione, quandoque assurgit, immo rapitur, anima ad gustum quendam sensumque cælestis dulcedinis, atque ad insolita quædam gaudia, ijs ignota quibus mundus iste dulcis est, quique infectum habent palatum cordis, amore pestifero rerum istarum terrenarum.

Veruntamen quædam S. Doctoris præclara verba (vt est in hoc genere suauissimus) operæ pretij spiritualis gratiâ ponamus.

Ecce iste (inquit) *dum miratur membra tabernaculi, perductus* In Ps. 41.
est

est ad domum Dei. Percepit nescio quam dulcedinem, tanquam de domo Dei sonaret suauiter aliquod organum. Et cùm ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiori sono, ductus dulcedine sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis & sanguinis, peruenit vsque ad domum Dei. In voce, inquit, exultationis & confessionis, soni festiuitatem celebrantis. Et infrà: *De illâ æternâ & perpetuâ festiuitate, sonat nescio quid canorum & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc admirabili tabernaculo Dei, & miracula Dei in redemptione fidelium consideranti, mulcet aures sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarum.*

Rursus, illud demonstrans, quomodo idem Propheta, præceptâ illâ cælesti dulcedine, inde solaretur ærumnas suas, & quasi increparet huius peregrinationis tædio tristem animam suam: *Etenim ceruus iste* (inquit) *manducans die ac nocte lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, ad interiorem scilicet dulcedinem Dei, effundens super se animam suam, vt tangeret quod est super animam, ambulans in loco tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, & ita ductus interioris & intelligibilis soni iucunditate, vt omnia exteriora contemneret, & in interiora raperetur: adhuc tamen homo est, adhuc hic gemit, adhuc carnem fragilem portat, adhuc inter scandala huius mundi periclitatur. Respexit ergo ad se tanquam inde veniens, & ait sibi constituto inter has tristitias, & comparans hæc illis ad quæ videnda ingressus est, & post quæ visa egressus est: Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ecce iam quadam interiore dulcedine lætati sumus; ecce acie mentis aliquid incommutabile superstrictim & raptim videre potuimus: quare adhuc conturbas me?* & quæ sequuntur.

Huius igitur Prophetæ sancti, immo & ipsius S. Augusti-
L. 10. Conf. c. 40. ni, (cuius hac in parte certum de seipso testimonium alio iam loco memorauimus) aliorumque, præclaro exemplo, studeamus & nos, quoad possumus, mentem nostram ab his infimis rebus auellere, & (vti mox dicam) regnaturę in corde nostro diuinæ Sapientię, sedem mundam, & tanquam solium condignum & condecorum aptare; illius quandoque, etiam inter huius vitę tædia, experturi delitias ineffabiles, atque intimâ aure cordis percepturi sonum festiuitatis sempiternæ dulcissimum, *sed si non perstrepat mundus.*

In Ps. 130. *Nihil est dulcius* (inquit alibi S. Augustinus) *immortalite Sapientia:*

pientiæ: sed nimirum siquem iam non delectat caro & sanguis. Qui autem supra hæc, & supra seipsum paulùm erectus, cælestis Sionis festa cantica aure cordis vel strictim attingere, eorumque capi dulcedine, ac sensu teneti cæperit; is, facilè contemptâ fastiditaque rerum transeuntium pestiferâ dulcedine, ad ipsum vnicè aspirabit ac deueniet fontem degustatæ suauitatis, summum suppliciorum reputans, vel ipsâ duntaxat lucis æternæ iucunditate priuari. De quo rursum idem summus Doctor: *Qui dulcedinem Sapientiæ & veritatis vtcunque sentire cœperunt, nouerint quod dico; quanta pœna est, tantummodo à facie Dei separari.* In ps. 49.

CAPVT XXVII.

Æternum regnum diuinæ Sapientiæ, vel ex hac vitâ in nobis inchoandum esse.

IAm verò cùm suprà diximus, Ierusalem cælestem, non domum templumúe duntaxat, verùm etiam regnum aut regiam esse Sapientiæ, vbi illa sui amatores omnino ita possideat, ita illos agat, moueat, in illis dominetur, vt non nisi ex eius imperio atque dictatis, quicquam siue velle, siue agitare valeant: æquum sanè fuerit, ab his qui se studeant clientes haberi Sapientiæ cælestis, eius item regni imaginem, quoad mortalis fert infirmitas, in semetipsis, expressam repræsentare. Qua ratione videlicet, in Sancti Doctoris Augustini mente, tanquam in templo suo, regnasse Dei Sapientiam, ex eo quòd illi vita, cibus, requies, omnisque voluptas Deus esset; testatur S. Prosper ijs versibus, quos infrà opportuniùs referemus.

Regnet igitur in hominis mente, atque (ex suprà laudatâ Aurelij Prudentij commentatione) aulam cordis teneat Dei Sapientia, itaque in eius dominetur affectibus; vt, cùm sibi planè persuaserit, constitueritque, deinceps non nisi conuenienter æternis rationibus viuere, extincto in sese peccati regno, eius membra omnia ac sensus omnes, iustitiæ militent, seruiant Sapientiæ cælesti.

Quam in rem & illa accommodari potest Origenis Adamantij commentatio: qui nimirum ea, quæ Matthæi vigesimo quinto capite, de quinque fatuis virginibus & quinque prudentibus Hom. 32. in Matth.

 dicuntur,

dicuntur, morali ratione transfert ad quinque ſenſus humani corporis; quos, vt virgines illas prudentes repræſentent, ait vniuerſos & ſingulos oportere agitari, regi, illuminari Verbo Dei, & tanquam inſtrumenta eſſe diuinæ Sapientiæ: quia, vti loquitur eo loco; *Vbicunque minus fuerit vnus de ſenſibus ſecundum rectam doctrinam; ibi omnino & omnes ſenſus, quaſi fraudati à Verbo ſapientiæ infatuantur.* Et mox de ipſo Verbo diuino loquens: *Si vnum* (inquit) *de ſenſibus fecerit ſapientem, vt virgo conſtituatur; neceſſe eſt vt in alijs ſenſibus ſapientiam ſuam effundat.* Quia videlicet ad perfectam ſapientiæ rationem minus eſt, ſiquis odoratum guſtumue cohibeat, tactui autem fræna laxet; aut ſi tactum coërcens fæda loquatur, vel oculos ſuos ab illecebroſis non auertat aſpectibus.

Quiſquis igitur eâ ratione ſapientię regnum in ſe tuetur, eique ſenſus ſuos omnes, tum inferiores, tum exteriores ita permittit, vt ab eâ regantur, ei militent, ei ſtudioſiùs obtemperent; is ſapientiæ cliens effectus admittitur in eius atria, nondum tamen in domum intimam: quia, vt ſcribit idem
Hom. 2. in ps. 38. Origenes: *In ipſâ ſapientiæ imagine, & nondum in ipſâ ſapientiâ ambulamus; quia nondum reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculamur.*

Veruntamen dictis affine quiddam apud B. Hieronymum inuenire eſt: quippe qui etiam in ſenſu morali exponens illa
Iſ. 19. v. 18. Iſaiæ: *In die illâ erunt quinque ciuitates loquentes linguâ Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum;* ait, per illas quinque ciuitates à pleriſque ſenſus noſtros intelligi.

Itaque (inquit) quando videmus mulierem ad concupiſcendum, viſus noſter loquitur linguâ Ægyptiâ. Similiter ſi ea audiamus, quæ non oporret, ſi viuimus in delitijs, & primis vngimur vnguentis, quando venter noſter Deus eſt, aut ſi iungamur meretrici: auditus noſter & ſenſus reliqui loquuntur linguâ Ægyptiâ. Sin autem è contrario leuauerimus oculos ad eum qui habitat in cælis; ſi circunciderimus aures noſtras; ſi Chriſti bonus odor ſumus in omni loco; ſi guſtauerimus, quoniam ſuauis eſt Dominus; ſi manus noſtræ contrectent verbum vitæ: tunc viſus noſter, auditus, & ſenſus alij loquuntur linguâ Chananitide. Quæ à nobis compendio præſtricta, pluribus ille perſequitur.

Porrò lingua Ægyptia, lingua mundi eſt; quam linguam

alienam

alienam & barbaram appellat Augustinus, in Psalmum 136. ita scribens: *Canticum delectationis saeculi huius, lingua aliena, lingua barbara est, quam in captiuitate didicimus.* Lingua autem Chanaan, eo quidem loco, lingua sancta est, & lingua sapientiae caelestis. Quam vtique sonabunt sensus nostri, si illorum actus sapientiae consentanei sint, & foris ostendant, quâ ex scatebra, fonteúe interiore proficiscantur.

Beatus verò, quem hac ratione, etiam in hoc exilio totum possederit sapientia caelestis: vt cuius iam vita, imago quaedam sit futurae beatitudinis, vsurpatio pacis aeternae; atque regni Dei, quod vt adueniat, quotidianâ prece petimus, in hominis mente inchoata praeformatio.

Hoc enim illud est *regnum Dei*, quod (vt Romanis scribit Apostolus) *non est esca aut potus*, neque diuitiae, opes, potestas huius saeculi; *sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.* c.14. v. 17. Iustitia inquam perfectissima, in omnium, quae in homine sunt, aequabili responsu iustissimoque temperamento consistens; cùm nimirum, vti dicebamus, ipsa mens Deo plenè subiecta, in omnibus agitur regiturque legibus sapientiae; atque huius potestas ac dominatus, ab ipsâ regiâ, siue mente humanâ, ad vniuersos regni fines, hoc est etiam ad corporis sensus atque affectus, protenditur; ita vt vndique existat pax suauissima, nullâ cupiditate aduersus mentem rebellante. De quo regno S. Augustinus libro 1. de libero arbitrio cap. 9. *Eos* (inquit) *sapientes vocari veritas iubet, qui regno mentis, omni libidinis subiugatione pacati sunt:* qui rursum initio capitis 10. expressiùs docet, regnum mentis humanae, Sapientiam esse.

Demum in hoc ipso interiore regno mentis humanae, simulacrum quoddam atque imitamentum elucet summi illius ac sempiterni beatissimique regni, quo Deus secum, atque intra se, ab aeterno regnat, & regnabit aeternùm. Etsi enim Deus, ingens extra se regnum habeat, quo pro arbitrio rebus vniuersis, quas ipse condidit, dominatur; illudque praesertim, quo in suorum electorum cordibus, & modò regnat per gratiam, & aeternùm regnabit per gloriam: attamen idem seipso fruens, seque ipsum perfectè possidens, ipse sibi, absque principio, intimum quoddam, imperturbatum, atque beatissimum regnum est: de quo ad extremum audire licet antiquum Christianum poëtam Claudium Marium Victorem (quem nolim in vnum

confundas

confundas cum vestutiore Mario Victorino Afro, quem suprà memorauimus) libro 1. in Genesim, ita canentem:

Regnabatq́; potens in maiestate creandi, (ante mundum videlicet)
Iam res, & causas rerum, casusq́; futuros:
Et facienda videns, gignendaq́; mente capaci
Sacula dispiciens, & quidquid tempora volunt;
Præsens semper habens; immensum mole beatâ
Regnum erat ipse suum &c.

Verùm quibus artibus ad veram aspirare Sapientiam, eiusque in nobis quoddam veluti sacrarium, sedem, regnum valeamus constituere, postremus iam sermo magis ex professo demonstrabit.

TEMPLI SAPIENTIÆ

PARS III.

Tropologica Templi Sapientiæ, & morum nostrorum ſanctitatem propiùs ſpectans, expoſitio.

CAPVT I.

Etiam cuiuſque noſtrûm animam, inhabitantis Sapientiæ Dei, templum efficiendam.

IAM, ad Tropologicum, ſiue Moralem, ſenſum quod attinet; id nobis denique hac extremâ Parte oſtendendum eſt: præcipuo quodam nobis ſtudio connitendum eſſe, vt noſtrum etiam cuiuſque mentem, ad exemplum cæleſtis Ieroſolymæ, inhabitet, gubernet, poſſideat Dei Sapientia: in eoque (vti partim diximus in præcedentibus) demum ſitam eſſe, ſupremam, quæ in hac mortali vita haberi poſſit, rationalis animæ felicitatem.

Atque, vt inde rem ordiar: Sanctiſſimam Chriſti humanitatem, propter diuinum Verbum, ſubſtantialiter, & (vt Apoſtolo Paulo loqui viſum eſt) corporaliter in eâ inhabitans, propriâ ratione templum fuiſſe diuinæ Sapientiæ, ſuprà Parte primâ indicauimus. Idque magno conſenſu tradunt SS. Patres; qui idcirco verba illa Salomonis: *Sapientia ædificauit ſibi domum*; paſſim ac libenter de Vnigenito Dei exponunt, in vtero Virginis ſibi corpus humanum ædificante.

S. Auguſtinus libro ſeptimo-decimo de Ciuitate Dei, locum illum Salomonicum ex verſione Septuaginta Interpretum, de ipſo Chriſto in hunc modum exponit. *Miſit ſeruos ſuos (Sapientia) cum excelsâ prædicatione ad craterem, dicens: Qui eſt inſipiens, diuertat ad me. Et inopibus ſenſu dicit: Venite, manducate* Cap. 20.

cate de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis. Hîc certè agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum, in vtero virginali domum sibi ædificasse, corpus humanum: & huic tanquam capiti membra, subiunxisse Ecclesiam, martyrum victimas immolasse, mensam in vino & panibus præparasse; vbi etiam apparet sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.

Ad quem etiam locum alludens in suis Confessionibus in
L. 7. c. 18. hunc modum Deum alloquitur: *Verbum enim tuum æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam: in inferioribus autem, ædificauit sibi humilem domum de luto nostro; per quem subdendos deprimeret à seipsis, & ad se traijceret; sanans tumorem, & nutriens amorem.*

Ep. 13. Leo Magnus in quadam epistolâ: *Sacramentum reconciliationis nostræ, nullæ implebant figuræ; quia nondum superuenerat Spiritus Sanctus in Virginem, vt & intra intemerata viscera ædificante sibi Sapientiâ domum, Verbum caro fieret* &c.

L. 33. c. 21. S. Gregorius in Moralibus. *Vnde bene per Salomonem dicitur; Sapientia ædificauit sibi domum. Sapientia quippe domum sibi condidit, cùm Vnigenitus Dei Filius in semetipso intra vterum Virginis, mediante animâ humanum sibi corpus creauit. Sic quippe corpus Vnigeniti, Domus Dei dicitur; sicut etiam templum vocatur.* Pro quo videri potest Tertullianus libro 3 contra Marcionem cap. 21. vbi ait: *Christum esse Catholicum Dei templum, in quo Deus colitur, constitutum super omnes eminentias Virtutum & Potestatum* &c.

Rupertus Abbas libro 1. in Cantica, de B. Virgine loquens: *Vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis nouem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei*
L. 9. de glorif. Trin. c. 12. &c. *Sapientia domum æternam sibimet ædificaret.* Et alio in loco docens, domum ædificatam à Sapientia, esse domum non manu-
Serm. 256. de temp. factam, templum Dominici corporis; adiungit (consentaneè S. Augustino sermone quodam) eam quidem fuisse ædificatam in Incarnatione, sed dedicatam in Resurrectione. Quibus paria habet Potho Prumiensis libro de Magna domo Sapientiæ, sub finem.

Alij plures videri possunt apud istius loci Interpretes.

Simili de causâ Mariam Virginem dictam intelligimus sedem ac templum Sapientiæ, quòd Verbum Dei, tum spiritaliter in eius mente, tum mensibus nouem in eius vtero corporaliter inhabitarit: quam ob causam dixit S. Thomas: *Dei Filium,*

Filium, qui (inquit) *est Dei sapientia, singulari modo in ipsa habitasse.* 3. p. q. 27. art. 4.

Eandem Bernardus appellat *Domum Sapientiæ*. Alij autem plures *tabernaculum Dei*: quippe qui de eâ intelligant, quod in Psalmo dicitur: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Ita Athanasius, Hieronymus, Damascenus &c. Serm. 9. ex paruis. Ps. 45. v. 5.

Ambrosius ad illud Apocalypsis: *Et apertum est templum Dei in cælo: Possumus*, inquit, *per templum Dei, Mariam intelligere; per arcam verò testamenti, Christum, qui ex ea carnem assumpsit.* Quò etiam facit, quod apud S. Birgittam, eandem inuenimus, templo Salomonis præclarè comparatam. Cap. 11. v. 19. L. 3. c. 29.

Tandem Patres Basileenses, de conceptione agentes gloriosæ Virginis, *quæ* (vt aiunt) *ipsam Patris sapientiam, Dei Filium æternum, in vtero pertulit*; subiungunt, eâ de re agi, *quæ sanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo ante sæcula, antequam terra fieret, & ab æterno, sibi mansionem ordinauit prima & æterna veritas.* Sess. 36.

Cæterùm & mentem cuiusque iusti, atque illius potissimùm, qui non modò virtute, quâ sibi, sed insigni etiam sapientiâ, quâ alijs prosit, excellat; templum Sapientiæ censendam atque appellandam esse, quiuis facilè colligat.

S. Doctorem Augustinum laudans S. Prosper in carmine de Ingratis, ita de eo canit inter cætera.

——— Nam cibus illi,
Et vita & requies Deus est, omnisq; voluptas,
Vnus amor Christi est, vnus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, sit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat Sapientia templo.

Aurelius porrò Prudentius ita canit Hymno de S. Romano martyre: Peri steph. hymn. 14.

Ædem sibi ipse mente in hominis condidit,
Viuam, perennem, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis inlitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresq; primas virgo custodit Fides, &c.

Quibus illam ædem omnino videtur describere, quam in hominis mente ipsa sibi condit Sapientia; cuius tum æditua, tum mystis, Fides sit, siue Religio, reliquarum comitatu cincta virtutum.

Idem alio in loco ita Deum inducit loquentem, vt templum se dignum dicat esse mentem hominis, ei affine quod sua gloria, sua lux siue sapientia, ipsum inquam diuinum Verbum, in humanâ carne sibimet olim ædificauit. Huc pertinent hi versus, aduersus Symmachum scribentis:

Templum mentis amo, non marmoris.———
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno cælestiq; hospite digna.
Nec nouus hic locus est; fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei, Deus, illustrauit alumnam
Materiem, corpusq; Parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito vt possit requiescere templo.

Hæc Prudentius.

L. 5. de inst. c. 8. In eundem sensum disputans Lactantius Firmianus: *Cuius templum*, (scilicet Dei) *non lapides aut lutum*, inquit, *sed homo ipse, qui figuram Dei gestat. Quod templum, non auro & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur.* Et alibi rursum. *L. 1. de falsa relig. c. 20.* *Firmius & incorruptibilius templum est pectus humanum. Hoc potius ornetur, hoc veris illis numinibus* (virtutibus inquam) *impleatur.*

Quod autem ait, *pectus humanum*; in mentem reuocat quod de martyre Leonide, Origenis Adamantij patre, accepimus: eum scilicet in Origene suo adhuc puero, diuinitus indita cælestis cuiusdam sapientiæ semina demirantem, dormientis pectus sæpenumero denudasse, *atque* (vt ait, eam' rem narrans *Lib. 6. hist. c. 2.* Eusebius) *illud perinde ac si sacer Dei Spiritus idem ipsum sibi tanquam templum consecrasset, reuerenter osculatum esse.*

Serm. 3. de Adu. Demum S. Bernardus sermone quodam: *Beatus* (inquit) *in quo sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima, quæ sedes est sapientiæ; anima vtique iusti. Templum enim* *Medit. 6.* *sanctum est Deo* (vt idem alibi) *mens pia, & altare optimum cor eius.* Quod iam olim dictum à Sixto, non Martyre, sed Philosopho, ijsdem ferè verbis extat apud Augustinum libro de natura & gratia cap. 64.

Neque verò id tantùm nostris hominibus, sed inter externos etiam Hierocli Pythagorico Philosopho, compertum fuisse animaduertet, qui apud eum legerit: *illum solum nosse, Deum honorare, qui per Sapientiam atque virtutem, animum suum, diuinum simulacrum faciens, mentem quoque suam, ad diuini luminis susceptionem, templum Deo ipsi construit.* *In carm. Pythag.*

A quâ etiam mente non abludit Philo Iudæus in libro de Cherubim; vbi cùm quæsisset: *Regi regum, & huius vniuersi mundi rectori Deo, comitatis atque humanitatis causâ dignato suam creaturam inuisere, qualem tandem domum oportet instrui? Etiamsi tota terra* (respondet) *aurum, aut siquid auro pretiosius repentè fieret, moxq; per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesq; sacras impenderetur, ne scabellum quidem eius pedibus posset fieri. Dignum tamen eo domicilium anima est, si sit idonea.*

Pergit autem Philo deinceps ostendere, quibus illa rebus ad id munus idonea reddatur. In primis siquidem requiri generosam indolem, institutionemque præclaram, quibus virtutes honestæque actiones superstruantur. Atque ex virtutibus, earumque actionibus, munimentum firmum accedere ædificio: his tamen etiam orbem doctrinæ, humanarumque disciplinarum encyclopediam adiungendam.

A disciplinis enim encyclicis pendere totum ornatum animæ: hasque esse velut picturas, tabellas, marmoratas incrustationes, quæ vt ad firmitatem nihil conferant, at afferant tamen delectationem. Atque ad taliter instructam domum, aduenturas à cælo Virtutes seu Potentias, leges (vt inquit) iuraque ferentes; vteam consecrent, iuxta Patris ipsarum iussa ac voluntatem.

Verùm nos, quibus præsertim artibus, anima iusti sese comparet, conformetque in ædem ac sacrarium Sapientiæ; quibus item vijs, decus illud suum exornet atque tueatur; magis è Christianæ Philosophiæ, regulâ, veteræque sicitis sapientiæ, agere tradamus.

CAPVT II.

Rectam indolem sincerumq; animum, ad Sapientiæ disciplinam, eiusq; in nobis ædem excitandam, adferendum.

QVam in rem in primis ponendum est, id abhorrens non esse à Christianâ philosophiâ pronuntiatum. Quippe cùm Sap. 1. v. 4. notum sit istud è diuinis Oraculis: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quod quidem licebit, rei nostræ gratiâ, triplici viâ, seu sensu, exponere.

Et primùm quidem vniuersè ac generaliter; vt, qui diuinæ Sapientiæ candidatus sit, sibi intelligat ab omni noxa atque peccato esse cauendum.

Deinde, vti speciatim nominatimque admoneamur; non posse quenquam Sapientię templum effici, qui impuritate consceleratum animum, & luxuriæ sordibus tanquam pollutum atque incestum, habuerit.

Postremò, vt hoc quoque sensu dictum putemus, non habitaturam Sapientiam in corpore subdito, seu obnoxio, peccatis; quòd ipsa etiam sapientia corpus requirat bene compositum, atque ad virtutem quodammodo factum atque propensum, indolem felicem, rectam, sedatam, neque vllis vitijs, seu grauioribus animi motibus ac perturbationibus obnoxiam.

Atque, vt de singulis horum dicturus, ab eo quod postremum posui, quodque huius capitis proprium est, incipiam: Satis compertum est inter omnes, præclaram indolem, & eminens quidem, sed naturâ sedatum ingenium; plurimum scilicet ad insignem sapientiam, plurimum ad excellentis virtutis decus, præsidij atque opis adferre. Neque enim peruersa indoles, aut suopte ingenio quodammodo in vitium propensa, facilè admittit disciplinam sapientię; aut diuinę lucis imaginem bellè recipit ac reddit animus varijs commotus affectionibus, neque pacatè secum consistens; sed huc illucúe irrequietè, prout illum sua natura impulerit, perpetuò distractus atque dispersus

Superiùs à nobis laudatus Philo, præstantem ac lætam indolem,

dolem, velut pro fundamento constituit, cui inædificatæ atque superstructæ virtutes, in hominis animâ Deo dignum templum efficiant.

Eâdemque gratiâ Deo sibique gratulabatur Rex sapiens, quòd ad sapientię satus admittendos, bene fuisset à naturâ composi- Sap 8. v. 19. 20.
tus, & tum *sortitus animam bonam*, tum etiam *corpus incoinquinatum*, purum inquam à vitiosis affectionibus, bene constitutum, & cum animâ præclarè consentiens.

Atque olim quidem existimauere nonnulli, de cælo demissas grandes animas, pro sua quasi magnitudine, congruens sibi domicilium aptare, & siue venturas in corpus, dignum priùs Lat. pacat. in panegyr.
metari hospitium, siue cùm venerint, habitaculum fingere pro habitu suo. Vbi nos magis Christianè dixerimus, insertam ipsi mundo mentem, diuinam inquam prouidentiam, quos ad magna quædam speciali curâ destinet, his ad fines suos opportuna aptare instrumenta, ipsaque corpora ad destinatæ virtutis laudem (tanquam si ea meliore ex luto argillaue componeret) bellè attemperare. Eosque adeò, quos sibi futuros sapientiæ mystas, sacrosue ministros, constituerit, ijs etiam indolem ad id idoneam, conspirantemque corporis habitum, ab ipso conceptu conciliare. Quò illud pertinet Græcum verbum, cuius veritatem sanctitatemque apud Boëtium ipsa commendat Philosophia: Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι: hoc est, *Viri sacri corpus* L.4 de consol. pros. 6.
Virtutes ædificant. Virtutes autem, Græcè δυνάμεις, hoc est *Potestates*. Siue eâ voce vim ipsam diuinam intelligamus, aut facultatem quamuis Deo propriam: quasi ipsa Dei sapientia, potentia, bonitas, in hominis sacri, Deoque in templum ædificandi, componendo corpore, speciali quadam prouidentiâ allaborent. Siue Dei ministras potestates Angelicas; quibus id studij curæque incumbat, humanos conceptus (eosque maximè quos ad munia præstantiora destinari constiterit) ad diuinę rationes prouidentię, modulari, & suis quemque finibus peridoneum instructumque reddere. Huc enim facit vetustum illud Tertulliani pronuntiatum: *omnem hominis in vtero serendi,* De anima c. 37.
struendi, fingendi paraturam, aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur, quamcunque illam rationem agitare sortita. Quo ille nomine, potestatem Angelicam intelligit. Etenim sequitur: *Nos officia diuina, Angelos dicimus.* Ita Tertullianus.

Neque tamen, si eâ in parte quisquam minùs benignam atque

atque fauentem naturam expertus ſit, continuò eſt illi ſapientię poſſeſſio deſperanda. Quanquam enim proba atque facilis indoles, auctoris naturę proprium ac ſpeciale donum ſit; nec verò cuiquam ſit integrum, in ortu ſuo qualem maluerit naturæ conditionem adoptare: attamen indolis minùs felicis ac naturæ vitia emendare poteſt; tum ſancta parentum accurataque educatio, ſeueriorque iam à teneris diſciplina; tum ipſius quoque, qui ſeſe nonnullo cæleſtis ſapientiæ deſiderio incendi ſenſerit, adoleſcentis, eò acrius atque contentius egregiarum artium, & aduerſus improbos animi motus, priuſquam conualeſcant, ſedula & conſtans atque pertinax decertatio; ſuper omnia autem, frequens ad Deum, Patrem luminum recurſus, per vota, preces, ſuſpiria: ita admonente B. Iacobo

Iac. 1. v. 5. Apoſtolo: *Siquis veſtrùm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo: & dabitur ei.*

Nimirum neminem auerſatur Dei Sapientia: ſed (ſicut ſcrip-

Sap. 6. v. 13. tum eſt) *facilè videtur ab his qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam.* Atque vt Clemens Alexandrinus *libenter*

1. Strom. c. 1. *communicans & humanum quiddam* (Grecè κοινωνικὸν καὶ φιλάνθρωπον) *eſt ſapientia.* Tantùm, ſeriò deſideretur, conſtanter quæratur, atque eius obtinendæ gratiâ, vis aliqua prauis inferatur naturæ

V. 18. cupiditatibus: quoniam (vt ibidem ſubdit Scriptura) *initium illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia*; vbi diſciplinæ nomine, ſecundùm Interpretes, ſignificatur prauarum affectionum & cupiditatum caſtigatio.

His artibus quiſque, ad extremum conſequi poterit, vt indolis defectum diligenti ſuppleat induſtriâ, & (vti fieri amat in plantis agreſtis ingenij) quod naturâ non habuit, quadam veluti inſitione adſciſcat; atque ita labore improbo, conſtantique conatu, dignam Deo ſedem ac domicilium in ſuo pectore conſtituat.

At enim Platonem animaduerto, ea in parte, æquo fortaſſis auſteriorem; vt qui in quadam epiſtola, ad ſpem aliquando adipiſcendæ ſapientiæ, tantum momenti ponit in indole, vt niſi qui *naturâ* (vt ipſe ait) *ſapientiæ cognatus ſit*, neget vnquam futurum ſapientem. Qui etiam magni viri ſenſus, videri poſſit à formâ loquendi diuinæ Scripturæ nihil admodum abhorrere. Nam illa Eccleſiaſtæ cap. 7. v. 14 *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*; mihi quidem videntur, poſſe in hunc ſenſum, ipſi textui valde congruentem,

gruentem, accipi; vocum nimirum videatur despexisse Deus, cui indoles deterior, praua, distorta, & ad sapientiam atque virtutem minimè facta, contigerit. Ex quo proinde quispiam inferat, frustra fore, siquis in eiusmodi corrigendo, operæ quicquam posuerit.

Veruntamen, quod ad Scripturam attinet, ex illius sensu etiam is dicitur non posse corrigi, qui non nisi difficulter valde corrigitur: secundum quod eiusdem libri cap. 1. v. 15. dicitur: *Peruersi difficilè corriguntur*; cùm tamen in textu Hebræo eædem vtrobique voces habeantur.

Et Platoni sanè dare possumus; si sapientiam hîc accipimus, excellentem quandam rerum diuinarum humanarumque scientiam, ad eam frustra aspiraturum, qui non à natura ingenioque ad eam factus & comparatus sit. Verùm eam hoc loco paulo molliùs accipientes; cum etiam dicimus, qui alioqui minùs sit felicis indolis, labore improbo curaque solicitâ, ita formari, atque eò denique adduci posse, vt & generalia quædam, magisque obuia præcepta sapientiæ, capere & adamare condiscat; & ad ea vitam moresque suos accommodare, in eumque sensum ex sapientia & virtute viuere. Eoque proinde meritò recipiendum, laudandumque verbum illud Horatij, *Lib. 1. ep. 1.* in quadam epistolâ pronunciantis: neminem adeò ferum esse, qui non possit mitescere, si modò culturam manumque formantis patiatur.

Quid enim valeat in teneris animis, quamlibet indole difficili, naturaue asperiore preditis, accurata & solers educatio, vel in belluis ipsis videre est, quarum fœtus infantes (vti loqui amat Plinius) inter nos educti, nobisque assueti à teneris, sensim dediscunt indolem suam; neque ad vsus nostros finguntur tantùm, sed velut in mores atque instituta transeunt, &, si dicere liceat, quendam accipiunt quasi colorem, siue tincturam, humanitatis. Quam in rem licet Papinij Statij versus obiter recognoscas:

— Vt Leo, materno cùm raptus ab vbere, mores
Accepit, pectiq; iubas, hominemq; vereri
Edidicit, nullasq; ruit nisi iussus in iras, *L. 2. Achill.*

Erit igitur, siue diligenti alienæ ætatis institutori, siue vnicuique, cùm sese nosse ac respicere cœperit, in eo præsertim omnis ponenda industria; vt principijs obstet, naturæque vi-

 tia,

tia, quæ seu ille in alumno suo, seu hic in seipso, deprehenderit, opportuno studio, curaque constante compescat; priusquam scilicet insita conualescat improbitas, vbi morâ robustior facta sit, nullâ fortasse vi, industriaúe, conuellenda. Sed nos huius rei rursum commendandæ occasionem, in sequentibus captabimus.

CAPVT III.

Conditum in nobis Sapientiæ templum, animi puritate, corporisq; pudicitiâ tuendum esse atque colendum.

IAm purus ille castimoniæ nitor, & corporis animique munditia, quàm necessariâ ratione, ad sapientiam, seu comparandam, seu conseruandam, adhibenda sit; licebit ex his intelligere.

Elegans est, & huc propriè faciens illud, ex suprà memorato Afro Doctore, quodam expressum compendio; *Templum Dei esse animam nostram: cuius æditua & antistes sit pudicitia.* Etenim si in his templis quæ saxo constant aut marmore, cura præcipua munditiei habenda est, eoque adhibetur æditiuus, qui loci nitorem sanctitatemque tueatur: quanto magis templum pectoris nostri, quod magis propria, magisque chara diuinitatis sedes est, omni labe purum incorruptúmque seruabitur?

Ep. 50. ad Celant. *Nihil enim quietius, nihil purius* (inquit S. Paulinus) *nihil denique pulchrius eâ mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est; quem non auro fulgentia templa, non gemmis altaria distincta, delectant; sed anima ornata virtutibus.*

Perscitè igitur Tertullianus, vt ipsas eius voces proferam!

L. 2. de cult. fæm. c. 1. *Cùm omnes templum simus, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua & antistes, pudicitia est; quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.*

Neque verò ædi sapientiæ in nobis tuendæ conseruandæque congruentior assignetur æditua, quàm ipsa pudicitia: quæ, & pro suo proprio munere, spurcitiam omnem ab eâ longè aspellit, & quandam habet specialem atque intimam cum sapientiâ cognationem.

Atque ex illo sanè Gregorij Theologi viso, quod altero abhinc

hinc capite memorabimus, haud absurdè dicere liceat: germanas esse castitatem & sapientiam, easque inter se amicas adeò, atque consertas; vt nec conciliandæ retinendæque castitati quidquam sic valeat, atque studium sapientiæ; neque ad hanc è contra pateat aditus, nisi sequestrâ & conciliatrice, & quasi manuducente castitate.

Velut enim pronuntiat Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*: ita videlicet, vt qui cordis gustatum spurcæ voluptatis amarore infectum habeat, gustare non possit sinceræ virtutis, & lucis incorruptæ suauitatem. Atque atræ tetræque nebulę, nescio quo modo de limo carnalis concupiscentiæ exhalantes, mentem offuscant, rationem obnubilant, oculis eripiunt cæleste lumen, ne facilè valeant veræ sapientiæ decorem, & veritatis vim ac dignitatem aspicere. Denique veluti, nisi mundi corde Deum non vident: ita radium diuinitatis, quo nomine appello ipsam diuinorum intelligentiam, nisi mens munda non recipit. 1. Cor. 2. v. 14.

S. Augustinus in psalmum scribens trigesimum secundum: *Sapientia Dei*, inquit, *quam pulchritudinem habet? Per illam pulchra sunt omnia, quæ oculis placent. Ei videndæ, complectendæ, corda mundanda sunt: huius nos amatores profitemur: ipsa nos componit, vt ei non displiceamus.* Enarr. 1.

Quapropter animum sapientiâ excolere volenti, contemnenda voluptas corporis: *cuius motus vt quisque est maximus*, (quæ apud Augustinum verba sunt Ciceronis in Hortensio) *ita est inimicissimus Philosophiæ.* Quod multo maximè verum videtur in præstantiore nostrâ istâ Philosophiâ; quæ sicut nobilem atque cælestem habet originem, ita se vilissimo terrenarum affectionum cœno misceri non patitur. L. 4. contr. Iul. c. 4.

Quæ enim de sursum est sapientia (inquit B. Iacobus) *primùm quidem pudica est* &c. perinde atque si in hoc sita sit prima atque propria eius laus; vt non nisi sedem pudicam amet, neque in corpore incesto, aut mente impuratâ, habitare patiatur. Iac 3. v. 17.

Solâ nititur allegoriâ, sed rem ipsam tamen aptè declarat, quod modò subijcimus. Inter arcam Domini & Dagon Deum Azotiorum, quàm graues fuerint, quamque capitales (si dicendum est) inimicitiæ; vt in templum Dagon illata arca, eius simulacrum, neque iuxta se consistere, neque verò coram se integrum & incolume remanere pateretur: ex sacrâ Regum constat historiâ. 1. Reg. 5.

Cuius aduersitatis quanquam ista potest communis adferri ratio: eo pacto demonstrandum fuisse, falsis gentium Dijs quanto præstaret Deus Israël; solus quippe Deus, & rex magnus &
Ps. 95. v. 4. terribilis super omnes Deos: succurrebat tamen & hanc propriam subesse causam, peculiaremque potuisse: quo nempe daretur intelligi, quàm inter se pugnent Veneris cura, & amor Sapientiæ; atque vbi cælestis Sapientia dominetur, fædę voluptati locum non esse; vti neque in voluptatis regno, sapientiam posse consistere.

Obseruandum quippe venit hoc loco; quemadmodum arca, ex ijs quæ primâ Parte diximus, sedes ac symbolum fuit diuinæ Sapientię: ita Dagonis simulacro voluptatem imputam repræsentari. Erat enim Dagon (velut speciatim annotauit Iosephus Scaliger in suis ad Manilij Astronomica animaduersionibus) idolum Veneris; quæ piscis formâ (vti Hebræa quoque vocis origo indicat) à Chaldæis & Syris, (Palæstinisque nominatim) colebatur. Quod quidem cùm olim, inter studia iuuenilia, legendo obseruassem, simulque animaduerterem, in diuinâ Scripturâ, vbi de Dagonis clade sermo est, capitis quidem & manuum, sed nullam pedum, saltem in vulgatâ, eâdemque Hebræo textui consentaneâ, editione, fieri mentionem; facilè in eam suspicionem incidi; id Palæstinæ Veneris simulacrum, Sirenis formam præsetulisse. Quod demum vidi
In Iudic. c. 16. q. 23. expresse traditum à Nicolao Serario nostro: qui id egregiè ex
Lib. 2. c. 2. his confirmat, quæ de Derceto, Ascalonis Deâ, scribit Diodorus Siculus; eam scilicet, faciem quidem mulieris, reliquum corpus piscis habuisse. Cui autori deinde alij interpretes assensere.

Non stat igitur Dagon cum arca Domini, hoc est, Venus cum diuinâ Sapientiâ: vt quicunque cupit arcem tenere sapientię, intelligat sibi voluptatis castra fugienda: commoneaturque egregiarum artium studiosa iuuentus, siquos, vti fit, præclaræ virtutis aut nobilioris sapientiæ igniculos à natura Deoûe sibimet insitos senserit, hos ne incautiùs occipiat prauis restinguere cupiditatibus, & æternam de se spem fallere, illecebris seducta intempestiuæ voluptatis.

Inter B. Augustini sermones, quidam habetur ad iuuenes,
Serm. 246. de temp. quem his inchoat verbis: *Ad vos mihi sermo, ô iuuenes, flos ætatis, periculum mentis.* Vbi, ei lubricæ ætatis periculo obuiare volens, eos prolixè adhortatur ad voluptatis fugam, studiumque

que

que cælestis sapientiæ; cui multis contendit, nulla mundi bona, nulla sensuum lenocinia, vllo pacto esse comparanda. *Vos ergo,* inquiens, *ó iuuenes, maximè monemus & hortamur, vt veræ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla species terrena vel cælestis, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel naturalis vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum sonus, nulla odorum iucunditas, nulla saporum suauitas, nulli amplexus, pulchritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis sapientiæ conferantur.*

Tum & illa subdit: *Ab his enim quæ turpiter amantur, non ab ipso amore, prohibemur. Amare vultis? Amate sapientiam, ambite vt perueniatis ad eam: proponite hanc adiungere vobis;* vt sponsam videlicet: *in illam suspirate, in illam inardescite, in illam deperite.*

Demum ipso extremo sermone, quasi hæc omnia verbo concludens, eos ad Danielis adolescentis vocat exemplum: *Danielis* (inquiens) *desiderijs æstuate.* De quo nimirum hæc eodem sermone præmiserat: *Daniel ab Angelo vir desideriorum appellatus est. Quæ erant illa eius desideria, nisi quibus in sapientiæ pulchritudinem ardenter inhiabat? nisi quia in iuuenili ætate calcauit lasciuiam?* Qua item adiunctione S. Doctor, satis id confirmat quod nunc agimus: ad sapientiam aspiranti adolescentiæ, huius desiderio fugam delitiarum, & cupiditatum refrænationem, consociandam.

Quod vel ipse Plato adeò pro comperto habuit, vt epistolâ quadam seriò affirmateque pronuntiet: *Neminem omnium qui sub cælo sunt, si delitijs ab adolescentiâ innutriuntur, quamuis naturâ & ingenio excellenti præditus sit, vnquam euasurum esse sapientem.* Epist. 7.

Quamobrem & Doctor Angelicus, cùm suo etiam experimento comperisset, quàm necessaria sit sapientiæ amatori, prauarum omnium cupiditatum, atque illecebrarum iuuentutis auersatio, seseque adeò meminisset, tum vitæ puritate, tum eâ (quam etiam Sapientiæ studioso iuueni per necessariam significat S. Hieronymus) orationis ad Deum instantiâ, angelicam illam sapientiam esse consecutum; hæc ipsa enixè solebat bonarum artium disciplinarumque studiosis commendare. Extatque adeò inter S. Doctoris opuscula, eiusdem (vt fertur) ad quendam nomine Ioannem epistola, de ratione ac via ad sapientiam perueniendi Vbi cum alia prudenter admonet, tum duo Ep. 2. ad Nepotian. Opusc. 68.

duo illa iunctim commendat, puritatem atque precandi studium: *conscientiæ*, inquiens, *puritatem amplectere, orationi vacare non desinas.* Satis vtique gnarus; ei, quod quisquam in mente sua moliatur, ædificando templo Sapientię, hæc tanquam fundamenta firmissima, præstruenda atque præstituenda esse.

Restabat ex suprà propositis tertium illud; vt generatim ostenderemus, peccatum quodlibet fugiendum cultori sapientiæ: sed quoniam video, me istud coniunctim in præsentis capitis tractatione attigisse, eritque aliàs eius exponendi locus proprius, cùm ex professo demonstrabitur, peccatum ex suo genere cum sapientiâ summè pugnare; nihil nisi hoc loco adiungam, præclarum, & rei, quæ præ manibus est, perappositum Gregorij Nysseni testimonium. Ita igitur ait, oratione de formâ perfecti Christiani: *Siquis nimirum verè sit templum Dei, nullumq́; in seipso malitiæ idolum aut simulacrum contineat, is à mediatore, vt diuinitatis particeps fiat, admittetur, cùm purus sit & ad puritatem ipsam suscipiendam idoneus. Neque enim in maleuolam animam, vt scriptum est, introibit sapientia.* Sic ille.

CAPVT IV.

Ad hoc ipsum referre plurimùm; siquis à primis annis sapientiam adamauerit, eamq́; in sponsam sibimet adoptare studuerit.

Affine est istud proximè dictis: attamen, vt suâ propriaque ratione subnixum, seorsum modò exponendum est.

Epist. 98. Nam cùm (ipso quoque teste Seneca) *Sapientia perfectum sit bonum mentis humanæ*, adeoque excellum & arduum, vt non nisi generoso conatu, assiduâ operâ, & longo labore quæratur: æquum sanè esset humanam mentem, continuò atque euigilauit, & tanquam excusso illo torpore, quo iners illam obligauerat infantia, exorientem lucem aspexit, splendoremque hausit, primis quasi radijs sibi alludentis, Sapientiæ; eiusdem specie atque decore captam, primis illam optare & affectare desiderijs, hisque initijs conceptum studium, ardoremque quendam amoris, in omnes deinceps ætatis annos propagare. Nam cur tanti boni, tamque sibi proprij, vsurâ (quod in

in ipsâ est) vel ad momentum sese carere patiatur? In cuius perfectam possessionem, si iam tum admitti nequeat; at potest tamen ad eam sensim aptare sese, & quandam illius inchoationem, rudimentum, gustulum, informationem præcipere.

Atque si (vt id ita dicam, ad quandam aspiciens, aliàs relatam, Epicteti pulchram cogitationem) si, causâ exempli, pullus olorinus, iam à principio agitare occipit, quod olorum est, & lusciniola, quod lusciniarum est, meditatur; atque vniuersè animantis cuiusvis tener fœtus, iam tum affectare ostentareque gaudet sui generis indolem, & quibusdam velut futurorum operum tentamentis, infantiam suam, ad ea quæ sunt naturę cuiusque cognata ac propria, erudire: quidni delectet mentem humanam, vbi primùm illis, quæ dixi, vinculis exsoluta, sibimetipsi permissa est; primisque afflata honesti, pulchrique notionibus, indolem suam circumspicere, & seipsam quasi sentire cœpit; continuò ad boni illius sibi proprij blandum aspectum, illius amore inardescere, & iam tum proinde affectare quod est hominis, ratione regi, honesta sequi, demum naturę conuenienter, hoc est, è sapientiâ viuere? *Apud Arr. l. 1. c. 16.*

Sed quando ea felicitas admodum profectò paucorum est: cereus quippe est ipso principio atque infirmus hominis animus, rationemque vixdum experrectam præuertunt auertuntque sensus corporis; demum, pueritiam pueritias comitatur: id erit proinde omni studio & cautione prouidendum; vt qui ipso ætatis progressu sese cælitus sortitum animam bonam, & clarâ iam luce perfusum senserit cælestis sapientiæ, à primâ saltem adolescentiâ, toto se pectore ad eius studia transferat, & amator factus formæ illius, cum mortalium sapientissimo, exquirat illam in sponsam assumere, eiusque amori nihil omnino anteponat. Nihil fœdius infeliciusque ducens (sicuti reipsa res est indignissima homine) quàm si aliquando à luce auersus adamatæ sapientiæ, ac degener cælestis indolis, quamlibet exiguam ætatis suę partem dedat stultitiæ; hoc est, eo cesset hominem viuere, ad brutam indolem, moresque belluinos abiectus. *Sap. 8. v. 2.*

Ad quod nos studium, vt alia in præsens omittam, ipsum etiam sanè sollicitet impellatque diuinitatis exemplum. Vt nempe quemadmodum Deus id omni suo attendit in opere, vt (quod ait Scriptura) omnia in sapientia faceret, atque, vt à no-

à nobis Parte alterâ demonstratum est, ab ipso sæculorum exordio, eam sibi vbique assistentem, & secum cuncta molientem, condentem, gubernantem haberet: ita nos pariter instituamus vitam nostram, vt, quoad eius fieri poterit, ipsos etiam annos vitæ primæuos dedicemus studijs sapientiæ, eamque adolescentiæ ducem atque magistram, iuuentutis rectricem & consiliatricem, senectutis solatium ac præsidium habeamus. Illud omni studio prouidentes, nequa nos dies aut occasio, neue quis maximè vitiorum æstus, aut ardor lubricæ adolescentiæ, ab eius veluti dilectissimæ sponsæ suauissimis vberibus, castissimisque amplexibus, infelice casu, nec postea facilè reparabili damno, diuellat.

Paucis enim fortasse contigit, eorum qui æstu temerario iuuenilium cupiditatum abrepti, atque à verâ auersi sapientiâ, vitiosam egerint adolescentiam, cùm Francisco Petrarcha dicere: *Adolescentia me corrupit, iuuenta corripuit, senecta correxit.*

Cùm è contrario, vt est in malum quàm bonum propensior corruptæ naturæ conditio; plures, quorum ætas tenerior, per præclara virtutis atque sapientiæ studia, honestissimè exacta sit, ad extremum destituerit constantia; in hisque, aut subita tempestas, aut per inertiam sensim succrescens infelix vitiorum lolium, primos illos satus, quantumuis lętos atque felices, contagione suâ corruperit, & magnam illam spem miserè ac fœdè interuerterit.

Atque, ne Regem Salomonem, actem illum, & vel à teneris perstudiosum amatorem sapientię, aliosque plures recenseam, post minores annos, in ipso quasi sinu atque complexu sapientię, innocenter ac purè & eleganter actos, ętatis progressu, aut ipsâ etiam infelice senectâ, corruptos: Magnus Augustinus, cuius nos exemplis dictisque in hac dissertatione libenter vtimur, vt sortitus erat & ipse animam bonam, admodum etiam adolescens, lecto Ciceronis Hortensio, qui liber exhortationem continebat ad Philosophiam, cuius nunc sola fragmenta supersunt apud ipsum Augustinum & alios; eo inquam libro studiosè perlecto, ita sese ait ad alia vota desideriaque conuersum, vt repentè vilesceret illi omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupisceret ęstu incredibili; excitatus scilicet eo sermone, ipsam quęcunque esset, vt diligeret, & quęreret, & assequeretur, & amplexaretur sapientiam;

L. 3. Conf. c. 4.

tiam; cuius pulchritudinis lineamenta, tametsi rudia atque obscura, attamen talia quibus caperetur honestus, & pulchri atque decori amans animus, eâ in scriptione animaduerterat. At mox inardescente malè cautę ætatis illecebrosâ concupiscentiâ, & quam animo iam informarat, immortalis sapientię speciem obnubilante, subitò extinctus est ardor ille mentis pulcherrimus; ipseque adeò in transuersum actus, ijs erroribus miserijsque iactatus est, quas tantopere deplorat, dolenterque describit, in suis Confessionibus. Tametsi is postea, verùm singulari (vt ipse agnoscit) Dei miserantis beneficio, ex his tandem fluctibus emerserit; eò ardentior constantiorque diuinæ illius pulchritudinis amator futurus, quò illam seriùs quàm par esset agnitam, etiam serò nimis adamauerit.

Quo quidem propriæ infelicitatis documento, etiam aliorum adolescentiæ metuens, libris de Ordine, Eutropio cuidam inscriptis atque transmissis, illum familiarem sibique charum iuuenem, in quo indolem probam, animumque, vt ait, omnimodæ pulchritudinis amatorem, atque in hoc ipso argumentum quoddam futuræ sapientiæ, deprehenderit; solicitè admonet, vt animo sit experrecto ac vigilanti; ne fortè seductus rerum pereuntium falsâ ac fallaci specie, inditum iam sibi sapientię amorem, non turpiter modò & flagitiosè, verùm etiam periculosè, deserat. Verba Augustini sunt ista: *Quod signum in te futuræ sapientiæ, perniciosis cupiditatibus diuino iure præscribit, ne tuam causam deseras falsis voluptatibus illectus: qua præuaricatione nihil turpius & periculosius inueniri potest.* Sic Augustinus. Lib. 1. c. 2.

Denique etiam Philo Iudæus, omnes quidem ad apertam omnibus Sapientiæ Scholam inuitans, adolescentes tamen studiosiùs commonet, vt floridæ ætatis primitias ei studio consecrent; ne si secus fecerint, postea damnent deplorentque primæuos annos, in rebus nihili, curisque superuacuis, inscitè, fœdè, infeliciterque consumptos. Philonis in libro, *Quod omnis probus, liber*; verba sunt ista: *Et quoniam, vt ait Plato suauiloquus, inuidia extra diuinum chorum sita est; nihil autem Sapientiâ diuinius, & magis expositum; nunquam claudit suum auditorium, sed patentibus ianuis admittit, sitientes sermonem dulcem ac potabilem, frequentatores suos fluentis doctrinarum abunde proluens, vt inebrientur sobriâ temulentiâ. Illi verò tam, vt mysterijs initiati, furoreque diuino perciti, damnant pristinam*

ſuam negligentiam, iacturamq́ temporis, in rebus nihili contritâ vitâ per imprudentiam. Operæpretium igitur fecerint (ſubdit) *ſi quotquot vbique ſunt iuuenes, ætatis floridæ primitias eruditioni dedicarint, tam in præſens, quàm in futurum, paraturi ſibi decus & præſidium.* Huculque Philo.

CAPVT V.

Concluduntur quæ modò dicta ſunt: & quædam proferuntur, egregiorum iuuenum, Sapientiæ ſponſorum, exempla.

Adamanda igitur etiam iuueni, etiam adoleſcenti, &, ſi fieri poteſt, etiam puero, probiſque artibus ac ſtudijs excolenda ſapientia eſt, & ſemel ſuſceptus illius amor, ſummâ fouendus flagrantiâ, ſummâ conſtantiâ retinendus. Vt enim rurſum B. Auguſtinus, de ſuo agens Licentio, quem tum quidem memorat, à iuuenilibus illecebris ad Sapientiam totum conuerſum, in eaque ſecum adeò flagranter ſtudioſeque viuentem, vt eum Romaniano patri (cui iſta ſcribebat) non temere au-
Lib. 1. contr. Acad. c. 2. deret ad imitandum proponere: *Philoſophia eſt enim*, inquit (hoc eſt, ex eius mente, ſapientia) *à cuius vberibus ſe nulla ætas queretur excludi.*

Quapropter quod olim apud Athenienſes in prætorio, fe-
Holkot in c. 7. lib. Sap. runt hoc ſchemate depictam fuiſſe Sapientiam; Reginę inſtar in ſolio ſedentem, viris duobus canitie ſpectabili, eius vbera vtrimque ſugentibus: non eo conſilio factum opinor à ſapientiſſimis hominibus, quaſi ætatem adoleſcentem excluſam vellent ab vberibus Sapientię, ſolumque huius capacem eſſe ætatem maturam atque decoctam.

Sed vel eò tantùm, quòd in ſenibus potiſſimùm, ijs videli-
Ep. 2 ad Nepotian. cet, *qui* (vt Sanctus ait Hieronymus) *adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt*, egregiè vigeat, magiſque commendetur Sapientia; in quem itidem ſenſum dixit Origenes, ſapien-
Hom. 11. in Gen. tiam ſenum vxorem; & ille Comicus, ſapientiæ ætatem con-
Plaut. Trin. dimentum eſſe. Vel certè quòd eos, quibuſcunque illa obtigerit, etſi non admodum ætate fortè proceſſerint, ſenes faciat, non annis, ſed moribus, &, vt loquitur B. Ambroſius, *canis cogitationibus & operationibus effulgentes.* Quippe vt dicitur in libro

libro Sapientię: *cani autem sunt sensus hominis*; siue, vt vertit S. Hieronymus, *cani hominis, sapientia eius*. Cap. 4. v. 9.

Nec verò desunt egregiorum iuuenum exempla, quos sibi addictos à teneris, suique amore ac desiderio incensos, & ipsa cupidè adamarit Dei Sapientia, ac velut in sponsos adoptarit, visibili etiam quadam specie, formaue elegantì, oblata.

Quo loco in primis notum est, quod de Gregorio fertur Nazianzeno. Qui cùm adolescens Athenis versaretur disciplinarum gratiâ, parique studio virtutes illas, quæ eam ætatem maximè condecent, sectaretur; *vidit per soporem* (pergam enim reliqua Ruffino edicere) *sedenti sibi & legenti, duas decoras satis, dextrâ læuaq; feminas consedisse: quas ille castitatis instinctu oculo toruiore respiciens, quænam essent, & quid sibi vellent, percunctabatur. At illæ eum familiarius & ambitiosius complectentes, aiunt: Ne molestè accipias, iuuenis, notæ tibi satis & familiares sumus. Altera enim ex nobis Sapientia, altera Castitas dicitur; & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis & satis mundum in corde tuo habitaculum præparasti.* Prol. in orat. Nazian. 49.

Ex quo intellexit ille tum quidem; & velim non tantùm intelligat, sed altè etiam demittat in animum, verę sapientię studiosa iuuentus: germanas (vti dicebamus) & quasi gemellas sorores esse, castitatem & sapientiam, amicas, socias, atque adeò, contubernales, vt qui castitatis studium ex animo suo abiecerit, haud facilè vnquam ad castos sapientiæ aspiret amplexus.

Vulgate item est quod de seipse scriptum reliquit B. Laurentius Iustinianus, in Fasciculo Amoris: vbi eos adolescentes alloquens, qui rerum fluxarum amore detenti, pacem animi frustra quærunt in infimis; suo illos exemplo reuocare contendit, verbis pluseulis, sed quæ contractiùs aliquanto sic referuntur in eius Vitâ. Cap. 16. Cap. 1.

Eram vestri similis (sub annum scilicet ætatis vndeuigesimum) *quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inueniebam. Tandem virgo sole splendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Hæc propius accedens venusto vultu placidoq; affatu: ó iuuenis, ait, dilecte; cur effundis cor tuum, pacemq; sectando, per multa variaris? Quod quæris, penes me est; quod concupisti, tibi polliceor, si tamen me in sponsam habere volueris. Cùm verò nomen ipsius, & genus, & dignitatem scire peroptarem; se ait Sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reforma-*

 tionem,

tionem, humanam formam suscepit, & (velut addit in amoris Fasciculo) *quæ antè inuisibilis erat cum Patre, visibilem naturam, vt aptiùs amaretur, accepit ex matre. Assensi igitur* (inquit) *& dato pacis osculo læta discessit.* Ista Iustinianus; quibus subdit, dehinc illam se habuisse pro sponsâ charissimâ, & cum illâ pacem antea frustra quæsitam, & bona omnia pariter inuenisse.

Quibusdam fortasse minùs notum sit, quod subijcio de Henrico Susone, ex Ordine S. Dominici viro sanctissimo: cui summopere atque anxiè illam desideranti & sitienti, tali demum schemate se visendam præbuit Sapientia, vt his ipsis verbis refertur in ipsius Vitâ. *Longè supra ipsum ferebatur in columnâ nubis, residens in throno eburneo, micans instar luciferi, & tanquam sol lucens in virtute suâ. Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas, complexus, omnis boni satietas. Propè erat, & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat, excelsis cæli fastigijs erat altior, & abysso profundior, attingebat à fine ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuuenis præseferebat imaginem. Itaque dulcissimè ad eum se conuertens, & comiter, non tamen sine quadam diuinâ maiestate, illi arridens, his eum affata est: Præbe fili mi cor tuum mihi.* Ad quas ille voces humi prouolutus, eam gratus accepit in sponsam, eamque exinde studijs omnibus officijsque, cum summâ animi deuotione, ita coluit, vt in Dialogis quos de Æternâ Sapientiâ inscripsit, sese Ministrum Sapientiæ, velut proprio nomine appellarit. Scripsit etiam, sui aduersus eandem Æternam Sapientiam animi, partim contestandi, partim confouendi gratiâ, de ea, quas vocant, Preces Horarias, quæ non sine magno easdem vsurpantium fructu, inter studiosorum manus versantur.

Cap. 4.

Istorum igitur, aliorumque complurium, egregiorum exemplo, par esset quemlibet ingenuæ mentis, & honesti, hoc est, verè pulchri ac boni, cupientem animum, inflammari amore ac desiderio veræ illius Sapientiæ: cuius profectò formam, speciem, decus, suauitatem, quisquis purâ mente compertam, expertamúe haberet, continuò scilicet posthabitis omnibus (dicam & hoc Augustini verbis) *ad huius pulchritudinem blandus amator & sanctus, mirans, anhelans, æstuans aduolaret.*

L. 1. contr. Acad. c. 2.

Nam

Nam si nonnulli prisci Philosophi, humanæ duntaxat (quam appellabant) sapientię, quę quidem diuinę, quam commendamus, nihil nisi vmbra esse poterat, illius tamen, quæcunque esset, luce conspectâ, honesto illo decore capti, & (vt de eorum quodam Philo Iudæus) *insano correpti amore sapientiæ*, sibi eius gratiâ, contemnenda cætera, ac floccipendenda existimarunt: quid non suscipere aut ferre oporteat generosam indolem, summæ veritatis ac lucis afflatam pulchritudine; cuius etiam in vita mortali cœpta atque præsumpta possessio, non modò (quod ait Sapiens) *immortalitatis radix est*, sed quædam etiam anticipatio prægustatioque sempiternæ felicitatis? De plant. Noë. Sap. 15. v. 3.

Vt meritò hoc loco Lectorem meum, ad hos sanctos amores, castosque amplexus Sapientiæ, rursum Augustini verbis inuitem, de sponsæ illius incomparabili suauitate ac delitijs ineffabilibus, ita suauiter simul & exaggeratè scribentis: *Pro delitijs omnibus huius sæculi*, inquit, *quales vel expertus es, vel augere ac multiplicare cogitando potes; immortalium delitiarum matrem concupisce sapientiam. Delectabit, & ineffabiliter delectabit, castis atque æternis veritatis amplexibus.* Cui vtique Doctori sanctissimo iuxtà ac sapientissimo, nemo iure fidem atque assensum negauerit, non nisi ex proprio experimento ita loquenti, & rem velut compertam tantâ firmitate asseueranti. In ps. 110.

Ad extremum suadet materiæ & rerum affinitas, vt relatis ex Iustiniano & Henrico Susone, Sapientiæ diuinæ descriptionibus, & hanc superaddam, auctoris vtroque antiquioris (quippe S. Bernardo æqualis) Petri Cellensis; non equidem, (quod satis apparet) ipsi per visum aut soporem oblatam, sed proprio eius ingenio, in hunc ipsum modum figurato sermone, in quadam epistolâ adumbratam. *Est quiddam*, inquit, *cuius nomen super omne nomen, cuius forma speciosior omni formâ, cuius statura & altitudo, à fine superioris cæli, vsque ad finem inferioris inferni. Imago est inimitabiliter nata, non facta. Vnus est qui hanc de corde suo excogitauit & eructauit, non artifex huius, sed omnium, huius autem Pater. Huic conformari, est reformari. Hanc loquentem, & se exprimentem, aptis coloribus renitentem, sceptro imperiali cuncta regentem, cælicolas cum terrigenis in brachijs coniungentem, inueni, adoraui, & tenui. Decor eius inæstimabilis, dulcedo insatiabilis, claritas inaccessibilis. Tam suaue loqui de illâ, quàm admirabile amplecti illam. Ad hanc qui accedit, aut vix aut nunquam recedit. Oculus non satiatur visu, nec auris auditu.* L. 4. ep. 1.

Qui edunt, adhuc esurient &c. *Hæc me osculata est osculo oris sui.* Ita Abbas Cellensis.

CAPVT VI.

Sapientia consuetudine castisq; amplexibus frui volenti, secessum à turbis studiosius exquirendum esse.

ADdimus nunc & istud monitum, non inter postrema computandum: Vt, quando ex diuini Spiritus oraculo, *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*; mentemque auidam Sapientiæ, tot adeò siue turbæ curarum extrinsecus circumstrepentium, siue interiorum cupiditatum, cæci dicam an surdi, tumultus, ab ipsa Sapientiæ disciplinâ, ne intus loquentis admonentisque voces audiat, importunè nimis atque infeliciter auertunt: eapropter subinde sumamus, studioseque deligamus tempus aliquod, quo remoti à turbis, curarumque ac negotiorum importuno strepitu, nosmetipsos primùm nobis reddamus, tum in sanctâ quadam atque tranquillâ mentis solitudine positi, permittamus nos magisterio sapientiæ; eiusque vocibus, suauissimis iuxtà ac saluberrimis, pronam cordis aurem accommodemus. (Sap. 9. v. 15.)

Sapienter Annæus suo Lucilio: *Primum argumentum*, inquit, *compositæ mentis existimo* (atque adeò factæ & accommodatæ ad sapientiam) *posse consistere & secum morari.* Qui proinde eidem philosophari volenti, solitudinem sic commendat, vt dicat: *Non inuenio cum quo te malim esse, quàm tecum.* (Ep. 2. Ep. 10.)

Augustinus autem, cùm sub suæ ad Deum conuersionis initia, incredibili teneretur amore sapientiæ, vt ipse testatur in primo suorum Soliloquiorum; quò se huic vni totum traderet, *vellem* (inquiebat) *me constringere, vt nihil aliud agerem, quàm reddere me mihi, cui me maximè debeo, atque ita Deo fieri, quod ait Horatius, amicum mancipium Domino.* (Cap. 13. &c. De quant. anim. c. 28.)

Non posse (quod aiebat Seneca) *consistere, & secum morari*, siue semetipsum, vt ita loquar, ferre non posse nec sui teneri consuetudine; argumentum est, aut indolis vagæ, inconstantis, errantis, atque hinc sublimibus studijs, disciplinisque parum idoneæ, nisi ingenij propensam volubilitatem cura coërceat, emendet exercitatio; aut animi sanè suis virijs affectionibusque

nibusque perturbati, atque intestinâ dissensione laborantis, secumque pugnantis quodammodo; ac proinde pacem, quam domi non inueniat, forinsecus in illa multiplici, siue personarum, seu rerum variarum tractatione; & sui in multa distractione, frustra, vt existimo, requirentis.

Pulcherrimè enim, & Paulinâ propemodum phrasi, scripsit Aristoteles, non vno loco suorum librorum de Moribus: Hominem diuersis agitatum perturbationibus, nec amicum sibi, nec sibi desiderabilem esse: quippe qui non vnus, sed tanquam in multos diuisus sit, sibi non constans, secum pugnans, & à semetipso grauiter ipse dissentiens. Verùm ipsa ecce Philosophi verba produco. Ethicorum ad Eudemum libro septimo: *Quatenus quisque vnus est* (inquit) *indiuisibilis & per omnia desiderabilis sibi est. Malus autem non vnus, sed multi, & die eâdem varius, & importunus ipse sibi.* Et libro 2. Magnorum Moralium, cap. 13. docet, animam sibi ipsi amicam fore, cùm vna fuerit. *Cap. 7.*

Tum autem vna fuerit, inquit, *cùm erga inuicem consenserint ratio & perturbationes.* Cuius oppositum accidat in eo, qui vitiosis sit affectus perturbationibus: *quoniam malus nunquam sibi amicus est; se namque semper oppugnat.* Ita ille præclarè. Similique phrasi S. Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata: *Grande* (inquit) *est, intra se aliquem tranquillum esse, & sibi conuenire.* Quod quidem impio non competit; quia, velut antea dixerat: *Iusti vita quieta est, iniustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est. Amplius suis suspicionibus affligitur impius* &c. *Cap. 6.*

Etenim quæ pax sit hoc in homine, cuius *intima animæ viscera*, hoc est (vt exponit, qui sic loquitur, S. Augustinus) *cogitationes* affectionesúe, *dilaniantur tumultuosis varietatibus?* Vbi autem pax non sit, nec locus vllus esse queat cælesti sapientiæ, quæ secessionem amat à turbis, & liberæ mentis tranquillitate delectatur. Et vetus sanè est ac verum verbum, *animam sedendo ac quiescendo sapientem fieri, siue prudentem* Eaque propter & ipsum Augustinum legimus, disciplinæ suæ curæque commissis adolescentibus præcipere solitum, *vt apud sese habitare consuefacerent animum*: quòd in eo crederet situm esse non leue ad magnam virtutem sapientiamque præsidium. Amet igitur secessum à turbis, secum moretur, idem sibi, ac secum vnus sit, quisquis ad beatos sapientiæ aspirat amplexus. *L. 11. Conf. c. 29.* *Ex Philos. 7. Phys. tom. 20.* *L. 1. de ordine c. 3.*

Intelligo

Prou. 1. v. 20. Intelligo equidem de eâ scriptum in sacris Prouerbijs: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam* &c. Sed siue de eâ hoc ita dictum accipiamus; quòd cuiuis hominum, etiam quantumuis occupatorum generi, passim & vbiuis sese magistram sponte offerat; cùm, & vndique insonent rerum istius Vniuersi voces, conditoris sui, seu præsentiam ingerentium, seu gloriam celebrantium. Siue id potiùs insinuetur (quanquam istud ei quod modò dixi subnexum est) facilem esse parabilemque vnicuique veram sapientiam: quippe quę sponte cuiuis
Sap 6 v 14. occurrit; atque, vt alibi de eâ prædicatur: *Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem illam foribus suis inueniet. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentiâ occurrit illis*: Quibus equidem apertè efficitur, non adeò abstrusam aut inuentu difficilem esse, cælestem illam, & saluti nostræ conducibilem sapientiam, si modò quis eius obtinendæ complectendæque sincerâ cupiditate tangatur: vt quæ sese obuiam hilariter offerat, se quærentibus; neque aliud malit, quâm vt sui cupidos, eoque se dignos, nanciscatur.

Attamen non illam sic existimabimus, plateas circuire, aut in capite turbarum clamitare, quasi turbas amet atque tumultum; sed eò declamat in turbis, vt quos sui amore atque studio, desiderioque tangi senserit, à turbis auocet, atque opportunę solitudini, sibique ipsis adeò redditos, præclaris præceptis atque institutionibus imbuat, sensimque mutatos in homines alteros, sibique propiùs adiunctos, arcanorum suorum, gaudiorumque, quæ vulgò cæteri capere nequeant, conscios & participes efficiat.

Audiamus hanc in rem Magnum Leonem, eâ quâ solet orationis granditate personantem; eoque indicentem fidelibus, oportere animam imperare corpori, illudque ab exterioribus
Serm. 8. de ieiun. X. mens. frænare; *vt à corporeis cupiditatibus sæpiùs libera, in aulâ mentis* (vt ipse ait) *possit diuinæ vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in delitijs lætetur æternis. Quod si in hac vita* (subdit Sanctus Pontifex) *difficile est continuari, potest tamen frequenter assumi.* Quasi quemlibet operæpretij spiritualis cupientem, vti modò facimus,

mus, hortaretur; vt ſtudeat interdum, & per quædam ſaltem interualla temporum, abductum à ſæculi curis, ſeductumque tantiſper animum, in ſancto otio ſtudijs occupare ſapientiæ; & tanquam puriori æthere cæleſtique aurâ refectum, liberâ iam mente, aureque attentâ ac docili, ad diuinæ illius magiſtræ, inter ſacra illa ſilentia clarè ſcilicet intelligenterque docentis, voces ac diſciplinam accommodare.

Cuius equidem rei ſi tibi libeat quandoque experimentum capere, & ſolitudinem hanc, otiumque nobile deguſtare; multas ſanè accipies percipieſque cæleſtis veri rationes; notioneſque rerum, tibi, tuæque paci ac felicitati in omne æuum neceſſariarum, clariſſimas atque certiſſimas; quas turbis immiſtus, & ſiue vulgaribus occupatus præiudicijs, ſiue falſis ac perniciosis illectus cupiditatibus, minùs exaudite poteras.

Quâ etiam præclarâ atque prædulci exercitatione, vbi ea te delectare cœperit, forſitan id aſſequare denique; vt ſenſim aſſurgens, ac maior effectus ſenſibus, votis, ſtudijſque mortalium, eaſque exoſus cæcas tenebras, quibus plerique circumfunduntur, ſolâ iam delectari incipias luce cæleſtis ſapientiæ, ſolamque amare pulchritudinem veritatis incommutabilis, quę etiam in hac mortalitate puris mentibus intimiùs familiariuſque reuelata, tum illas capit ac detinet ſuauitate quadam admirabili, tum grande ijſdem ingignit inditque faſtidium rerum iſtarum caducarum. Atteſtante etiam S. Auguſtino, libro de Vera Religione; quod *quiſquis æterno ſpectaculo incommutabilis veritatis adhæreſcit*, non temere oculos demiſſurus ſit, *vt temporalia & inferiora cognoſcat*. Qui item in alio tractatu, negat (in hoc ſæculo ſcilicet) beatam vitam aliam nobis eſſe quærendam. *Et nos* (inquiens) *cùm mentibus noſtris, ſine vllo ſtrepitu, vt ita dicam, canorum & facundum quoddam ſilentium veritatis illabitur, altam vitam beatam quærimus, & tam certâ & præſente non fruimur?* Cap. 38. L. 2. de lib. arb. c. 13.

Verùm expreſſiùs opportuniuſque B. Gregorius in ſua Cantici Canticorum expoſitione tradit, ſanctam ac ſapientiæ cultricem & amatricem animam, otiosâ quadam contemplatione ſub vmbrâ Verbi diuini ſedentem, fructus eius experiri ſuauiſſimos: *quos dum mens capiens* (vt ipſe ait) *auidè comedit, omnes mundi voluptates, præ eius dulcedine contemnit. Dulce enim eſt valde ſibi, cæleſtia cogitare, in æternitate oculum intimum figere; vt aliquando in cæleſtibus etiam mens accenſa compungatur,* In cap. 2. Cantic.

 pungatur,

pungatur, & inter lacrymas subleuata, Angelorum cibo, ipsâ videlicet sapientiâ, quantò dulcius, tantò auidius pascatur. Inde est (inquit) *quod subditur: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Quid enim per cellam vinariam congruentiùs, quàm ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens, si à sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis Angelicis delitijs, quantum sibi conceditur, gustat. Et si adhuc, quia in corpore corruptibili detinetur, se perfectè non satiat, tamen ex illo minimo quod cursim sumit, considerat quantum debeat amare quod amat.* Hæc omnia Magnus Gregorius.

Quæ etsi potissimùm in eâ valent, quæ paucis in hac vitâ conceduntur, supremâ & intimâ diuinæ sapientiæ contemplatione: attamen quicumque ei se studio exercitationique, quam in præsenti commendamus, addixerint; atque idoneis ad id delectis temporibus, captatâ nonnullâ animi corporisque vacuitate ac solitudine, sese in adyta cælestis sapientię aliquantò altiùs abdiderint; simili aliquâ luce perfundi, dulcedine simili, simili supernorum desiderio, terrenorum tædio atque negligentiâ, ipso vsu affici se sentient. In quam subingressi diuinam lucem, perinde atque si iam solem alium, alia sidera nossent, alioue in orbe versarentur, non eundem vultum ac formam in rebus istis deprehendent, quas priùs insanâ cupiditate deperierint: mirabunturque iam tenebrarum illarum densitatem, quibus antehac occupati, tanquam vera bona atque solida adamauerint, quę modò clarissimè perspiciant, non nisi vmbras bonorum esse: cùm interim ipsa vera, solida, sempiternaque bona, velut propter suam ab humanis sensibus remotionem (quemadmodum in his vsuuenit, quę è longinquo spectantur) nimis exiliter intuentium sensus afficientia, in postremis ac minimis habuerint; quorum nunc, prę illis, quę vnicè mundus æstimat, excellentiam incomparabilem, magnitudinem summam, pretium immensum, in ipso splendore diuinæ sapientiæ, magno animi sui gaudio, euidentissimè certissimeque, & intelligant & sentiant.

Tanti est, interdum animum à consuetis abductum; tantisper velut in sequestro ponere, & temporis pauxillum, ei quâ (teste Augustino) nihil fortiùs desiderat anima, veritati seriò pernoscendæ imputare.

Tract. 26. in Ioan.

CAPVT

CAPVT VII.

Eundem in finem, etiam nemorum recessus, rurisq́; secreti soli-tudo, obiter commendata.

QVanquam autem quæ proximè diximus, partim de spirituali à terrenis tumultibus mentis secessu, partim de priuati cubiculi dulci secreto per certa temporum interualla degustando, præcipuè intelligenda sint: quò referri potest quod Celantiæ nobili matronæ scribens, siue Hieronymus, siue Paulinus, inter alia præcipit: *Eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus, in quem velut in portum quasi ex multa tempestate curarum, te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas*: eò tamen quoque valere possunt, quò recessum etiam, ab vrbium strepitu, hominumq́ue vsu secretum, pro suâ quisque opportunitate, propensione, genio, ei fini subinde deligamus atque adamemus. Multum enim ad istud arcanum & sacrum sapientiæ magisterium conferre possunt, captata interdum loca deserta, & solitudo siluarum & vallium, vbi ab humano quoque conuictu ac consuetudine expeditus animus, sibiq́ue vel sic magis redditus, puriori quadam (vt suprà monebamus) diuinę contemplationis aurâ & æthere fruitur.

Hieron. ep. 14. Paulin. ep. 30.

Gregorius certè Nazianzenus monachorum Ponticæ solitudinis (in qua ipse cum S. Basilio fuerat diu versatus) vitæ institutum describens, eos ex eo laudat, quòd *vrbium frequentiam fugiant, cognatamq́;* (vt ipse ait) *cælestis Sapientiæ, quietem amplectantur.* Vbi cognatam vocat Sapientiæ solitudinem; quia Sapientiæ studijs solitudo amica est, & Sapientia solitudine delectatur. Quâ item ratione Columella in præfatione sui Operis *rem ac vitam rusticam, sine dubitatione proximam, & quasi consanguineam Sapientiæ*, similibus verbis, sed, quantum apparet sensu aliquantum diuerso, dixit.

Ad Helladium.

Et quamuis in Platonis Phædro, rariorem suum ex vrbe egressum sic excuset Socrates: *Ignosce mihi, optime Phædre. Nam discendi cupidus sum: agri verò & arbores nihil me docere possunt, sed homines qui in vrbe versantur*: attamen in sensu quo nunc loquimur, etiam ab agris & arboribus multa profectò

licet discere; cùm satis constet, tum alijs multis, tum nominatim S. Bernardo, mutas arbores, siluasque tacentes, pro disertis magistris, arcanisque ac familiaribus sapientiæ cælestis institutoribus, fuisse.

Hinc enim illa est ipsius Doctoris melliflui, ad virum quendam discendi cupidum hortatrix oratio: *Experto crede: aliquid amplius inuenies in siluis quàm in libris; ligna & lapides docebunt te, quod à Magistris audire non possis.* Denique ipsummet iucundè solitum dicere, se nullos habuisse magistros, nisi quercus & fagos; testatur Guilielmus Abbas in eius Vitâ. Atque eòdem transferri potest, & à nobis vsurpari, illa Plinij iunioris, villæ suæ non procul à mari solitudinem eo nomine commendantis, exclamatio: *O mare, ô littus, verum secretumque museum, quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis!* Sic illi.

Ep. 106.

Lib. 1. c. 4.

L. 1. ep. 9.

Sed ne longiùs quàm locus postulet, in solitudinis, contemplationis gratiâ, per interualla degustatæ, laudes excurram: cuius vtique in Laurentino suo, *dulce otium honestumque, ac pene omni negotio pulchrius*, commendat Plinius in eâ epistolâ; ad Tullium fortasse respiciens, qui & ipse Tusculani sui amicam quietem, suauitatemque, ex interuallo regustans: *Quid est enim (inquit) dulcius otio litterato; ijs dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipso mundo, cælum, terras, maria cognoscimus?* Sufficiat hoc loco admonitum esse studiosum, non iam naturæ rerum venatorem, sed cælestis cultorem amatoremque sapientię, locis equidem solis atque secretis ipsam delectari sapientiam, sed cordis præsertim solitudinem requirere; vt proinde quisquis in mentis suę penetrali, illius gaudere magisterio concupierit, aut veluti sponsę dulcissimę, amicâ & intimâ consuetudine perfrui, is sibi intelligat turbam vitandam, exquirendum secessum, & ante omnia tumultum illum siue curarum inanium, siue indomitarum perturbationum, ab animo suo submouendum; quò paci intimę, hoc est, sibimetipsi seipse reddens, tum ipsi se totum dedat adamatę sapientię, ei adhæreat, in eius optatos volet amplexus. Sibi eâ causâ identidem occinens, quod sibimet olim de Deo agens dicebat S. Bernardus: *Ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia, vt in secreto cordis mei Deum habitatorem habere possim.* Sic ille in eo tractatu, quem *de Interiori domo*, inscripsit.

L. 5. Tusc. qq.

Cap. 66.

CAPVT VIII.

Quod in nobis est Sapientiæ diuinæ simulacrum, præstantissimarum virtutum cultu, perficiendum & exornandum esse.

Nihil est in nobis mente diuinius. Ea quippe illud est, quod Græci dicunt, τὸ ἡγεμονικὸν, præstantissima pars animæ, & quâ solâ Deo (qui, ex consensu sapientûm, non est aliud, nisi summa quædam, infinita, sempiterna mens) quoad fas est, similes efficimur, diuinarum virtutum ac proprietatum consortionem quandam ac participationem adepti. Vnde etiam è Philosophis Plato, in Philebo quidem, siue De summo bono, *mentem & sapientiam nomina esse* ait *omnium pretiosissima*; in primo autem Alcibiade, siue, De natura hominis, expresse docet, *eam animæ partem, in qua inest virtus animæ, sapientia, esse diuino*, siue diuinitati, *similem, neque aliam proferri posse eâ diuiniorem.* Nec minùs disertè Platonis auditor Aristoteles; qui in decimo libro, Ethicorum ad Nicomachum, cùm istud præclarè dixisset: *Dijs beata vita est: hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest*; ad extremum edicit: *Sapientem Deo charissimum (eoq; felicissimum) esse; propterea quòd Deus re omnium optimâ, sibiq; maximè cognatâ delectetur*, mente videlicet, *siquis eam (inquit) excoluerit.* Cap. 8.

Atque hinc etiam complures Patres, diuinam illam imaginem, quam (Scripturâ teste) nobis impressam, ipsâ naturæ conditione, accepimus; in humana mente quatenus rationis est particeps, diuinæque capax sapientiæ, & (quod est consequens) in Verbi diuini expressione quadam; siue in speciali humanæ mentis cum ipsâ Dei sapientiâ cognatione ac similitudine, constitutam esse censuere. Quâ ratione Magnus Athanasius, velut antea vidimus, aiebat; tum rationem nostram, vt quoddam Verbi simulacrum, tum nostram item sapientiam, vt sapientiæ eius imaginem, aspiciendam atque habendam esse. Gen. 1. v. 27. Orat. 3. contra Arian.

Quod quidem disertè ante eum, expresserat Clemens in sexto Stromatum, his verbis: *Est autem Verbum Dei intelligens, per quod mentis imago & assimilatio in solo homine cernitur.* Qui Cap. 3.

 item

Cap. 6. item libro præcedenti expreſsè dixit: *Verbum eſſe imaginem Dei: imaginis autem imaginem, mentem humanam.*

Hoc igitur, in pectoris noſtri velut intimo penetrali primitus Deo autore ſitum, & nonnullo iam labore noſtro, eodem aſpirante, in aliquam ſpeciem, formamque auguſtiorem eductum, ſapientiæ diuinæ ſimulacrum, ad extremum dicimus, excelſarum atque præſtantium, ipſique adeò ſapientiæ diuinæ cognatarum, virtutum acceſſu, omni ſtudio perficiendum, locupletandum, ornandum.

Neque enim eum verè ſapientem, vel Deo ſimilem, eique chariſſimum, exiſtimabimus; qui eam quidem mentis partem, quâ cognoſcendi vi prædita eſt, rerum ſublimium diuinarumque intelligentiâ inſtructam habeat atque ornatam; eam autem quæ animi affectus moresúe humanos reſpicit, excolere ac perficere negligat, eoque prauè, fœdè, probroſè, hoc eſt, inſipienter ac ſtultè viuat. Etenim vera ſapientia (vt de Cap. 8. v. 7. eâ legimus in libro Sapientiæ) *ſobrietatem & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem* (id eſt, fortitudinem) *quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus.* Docet autem; non mentem duntaxat earum virtutum notionibus imbuens, ſed practicâ quadam ratione affectum informans, & ſenſibus intimis eas ipſas virtutes ingignens: quoniam, vt ibidem in Græco textu legitur: *labores eius, virtutes ſunt.* Quò eam proinde, iſtum in ſenſum, rectè liceat *Sapientiam morum* (velut equidem vertit Ficinus) cum Pla-Ep. 10. tone dicere: cuius valde huc facit perbreuis iſtęc epiſtola ad Ariſtodorum: *Audio te ante alios & nunc familarem eſſe Dionis; & per omne tempus, ſapientiam morum ad philoſophiam ſpectantium in primis exercuiſſe. Nam firmitatem, fidem, ſinceritatem, veram eſſe philoſophiam exiſtimo. Alias verò & ad alia declinantes ſcientias & facultates, ſiquis ornamenta dixerit, rectè, vt arbitror, appellabit. Sed vale iam, & in præſentibus his perſeuera moribus.* Sic ibi.

Quapropter neque nos (quod antehac obiter admonitum, nunc, quia locus ita poſtulat, paulò expreſſiùs declarabitur) ſapientiæ nomine in hac diſſertatione noſtrâ, illam intelligimus, quam ſolam plerique deſcripſere Philoſophi, rerum quantumuis diuinarum, per cauſas etiam altiſſimas, deductam ſcientiam; at per ſe inertem, ſterilem inquam atque ieiunam, nullo ſucco virtutis, nullo ſapore diuinarum rerum imbutam: quam ſatis clarum eſt, parum aut nihil ad humanę mentis veram felicitatem conducere. Sed eam tractamus opere toto, commen-

damusque sapientiam cælestem; quæ tametsi, ex ipsâ vi nominis, maximè & per se ad intellectum pertineat, quem nimirum informet rerum altissimarum scientiâ, & supremis quibusdam diuini veri notionibus imbuat: attamen etiam in voluntate adiunctam requirat & adsignificet, motuum omnium affectionumque æquabilem rectitudinem, moresque dictatis sapientiæ consentaneos; sic vt eâ præditus, diuina non tantùm intelligat, sed gustet; atque ea ipsa quæ cognitione perceperit, in sensus intimos, affectus, actus, suum inquam in succum, ac venas, ipsamque quasi vitam, conuertat. Quâ ratione qui sese affectum aptumque animo senserit: hunc enimuerò verè sapientem dicimus; & tum ipsi Deo charissimum, tum, quantum fert huius mortalitatis conditio, verè beatum pronuntiamus.

S. Augustinus in libris de Ordine, hanc ipsam cælestem sapientiam exponens de eâ sic loquitur: *Hæc autem disciplina, ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa & inconcussa semper manens, in sapientes animas quasi transscribitur, vt tantò se sciant viuere meliùs, tantoq; sublimius, quantò & perfectiùs eam contemplantur intelligendo, & viuendo custodiunt diligentiùs.* Lib. 2. c. 8.

Apertè nimirum significans, eam diuinæ sapientiæ in mentes humanas deriuatam participationem, duo hæc requirere; nempe legis æternæ sublimem aliquam contemplationem, quod ad intelligentiam pertinet; & vitam eidem æternæ legi consentaneam, quod ad voluntatem. Quod magis distinctè ac definitè alio loco expressit, dicens: *Quia sapientiam & scientiam distare inter se aliquid, alia quoque Scripturarum testantur eloquia; non incongruenter intelligimus sapientiam, in cognitione & dilectione eius, quod semper est, atque incommutabiliter manet quod est Deus.* Ista Augustinus: veram vtique sapientiam, coniunctim Dei cognitione ac dilectione definiens: qua de re nos plura, cùm de summo bono super omnia diligendo sapienti, disputabimus. In ps. 135.

Porrò, vt Pythagoræos Platonicosque in præsens omittam, Stoicos habemus in id manifestè consentientes. Nam, quando ex eorum placitis duo quædam vt certa ponenda sunt: primum, vitam beatam in perfecta virtute, ac perturbationum vacuitate, consistere; alterum; sapientem omnem eumque solum esse beatum: his inquam positis, necessarium est effici, absque virtute excellenti neminem esse posse sapientem. Vt planissimè ex

Stoæ

Stoæ sensu in quarto suarum Tusculanarum ita scripserit M. Tullius: *Ergo is quisquis est, qui moderatione & constantiâ quietus animo est, sibiq; ipse placatus, vt neque tabescat molestijs, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens quem quærimus, is est beatus; cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest.* Sic ille. Qui rursum postea, cùm hanc Sapientiæ definitionem posuisset: *Sapientiam esse rerum diuinarum humanarumq; scientiam, cognitionemq;, quæ causa cuiusque rei sit*; confestim adiecit: *Ex quo efficitur, vt diuina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat*; Quasi illud solicitè prouidens: nequis quantacunque rerum, seu diuinarum, seu humanarum cognitione præditus, continuò sapiens existimetur; nisi hunc referat atque adiungat cognitionis huius fructum pulcherrimum, vt diuina scilicet imitetur atque diligat, inferiora autem omnia, virtutis studio, & diuinorum amore contemnat.

Et sanè num quisquam sapientem eum rectè dixerit; qui cùm cætera norit omnia, id tamen nesciat, cuius vnius gratiâ cæterorum cognitio quærenda est? Adhuc inquam nesciat viuere, nec ratione se duci, sed agi perturbatione patiatur: expers proinde verissimæ sapientiæ, *quæ* (teste Tullio in primo de finibus, itemque Seneca epistolâ 95.) *ars viuendi putanda est.* Vt non magis istum proinde sapientem, quàm citharœdum eum dixerimus, qui sic citharœdicæ præcepta norit, vt citharam tamen pulsarit nunquam, neque id, nisi imperitè, nec sine risu audientium, facere possit.

Ergo ad istius magni nominis dignitatem tuendam, etiam de externorum sapientum assensu, cognitioni rerum diuinarum, morum sanctitas subiungenda est; &, quod huius postulat inscriptio capitis, in mentis nostræ adyto prostanti, sapientiæ diuinæ imagini, affundendus morum sanctorum splendor, & magnarum virtutum honestissimus comitatus, dignitatis gratiâ, circumfundendus. Quod eò profectò quisque curabit studiosiùs, quò magis intelliget, sui in nobis imagine ac similitudine delectari Deum, atque eò quemque chariorem esse habiturum, quò in mente eius expressiora vultus sui, hoc est sapientiæ ac bonitatis, lineamenta recognouerit. Quare solicitè prouidebit sapientiæ amator, nequa illi dies, vt dicitur, abeat sine linea: neque in se duntaxat, assiduâ operâ illustriorem

rem in dies reddet diuinam illam imaginem; sed ad alios quoque, quos eius culturæ capaces inuenerit, studium ac curam exporrigat; vt in eorum etiam pectore reformatâ atque instauratâ diuinarum virtutum effigie, complura existant in terris, incommutabilis sempiternæque sapientiæ viua ac spirantia simulacra.

Mosen Hebræum Parte I. vidimus, *doctum ornatorem pictoremq́; loci sapientiæ*, à Philone Iudæo appellatum. At Moses Atticus in libro 6. de Republica, postquam ex Homero quamdam in hominibus, Dei speciem & imaginem commemorauit, simulque philosophos, pictores esse, qui diuino vtantur exemplari, vt illi humana contemperent, atque ad eam formam, simulacrum quoddam vitæ efficiant, dein apposite ac pulchrè sic subijcit: *Partim ergo delebunt Philosophi, partim describent* (seu, vt Ficinus vertit, *colorabunt*) *donec accuratâ operâ humanos mores, quantum quidem fieri poterit, diuinos planè effecerint, vt in illis quoque diuinæ illius imaginis vis repræsentetur. Pulcherrima nimirum hæc fuerit pictura.* Ista Plato præclarè. L. de Somnijs.

Qui dum Philosophi, seu sapientis, proprium id esse significat, aliorum mores præceptis suis, veluti pictores penicillo, ita formare, vt partim delendo, hoc est, vitiosas affectiones in hominum animis oblitterando seu abolendo, partim etiam inscribendo seu colorando, id est præclaris virtutibus, velut diuinis coloribus, imbuendo atque illuminando; diuinam in ijs, conformet imaginem: multò sanè maximè erga semetipsum id officij, ab eo sumendum scilicet existimabit; quo demum perfectum in suo pectore repræsentet & ipse puritatis diuinæ simulacrum.

Quò aptè faciunt & illa B. Ambrosij: *Fugiemus ergò hæc mala, & transformemus animam nostram, ad illam imaginem Dei & similitudinem. Fuga malorum, similitudo Dei est, & virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quasi autor, pinxit virtutum coloribus. Ecce ego, inquit ad Ierusalem, pinxi muros tuos* &c. Legi item potest eâ in causâ quæ quodam loco scribit Plotinus, sapienter admonens; ei qui diuinæ pulchritudinis contuendæ studio teneatur, sedulò expurgandum atque exornandum animum, & statuæ instar, vsque eò elaborandum, expoliendum, perficiendum, dum tandem Deiformis euadat. De bono mortis c. 5. Isa. 49. apud Sept. Enn. I. 6. c. 9.

Sed placet hunc locum, Gregorij Nysseni non absimili sensu concludere. Quippe qui in germani sui S. Basilij laudatione, cum item demonstrat, exemplo Mosis, non sese duntaxat, sed vniuscuiusque animam, tabernaculum, in quo diuinitas inhabitaret, sermone suo effecisse; erectis in eâ columnis quæ laboribus oppressam suffulciant, hoc est, sanctis atque diuinis rerum æternarum cogitationibus; pelues adhibens ad purgationem, candelabra ad lucem spiritalem, orationum aurea thuribula; ac denique arcam mysticam, tabulas digito Dei scriptas continentem, vnà cum virgâ efflorescente, & vrnâ refertâ manna cælesti: quæ omnia Nyssenus spiritali quadam analogiâ in rem istam explicat: insinuans, vti nos oporteat, nostram in primis, tum etiam aliorum mentes, nobilibus ornare & instruere virtutibus, quò Sancti Spiritûs, æternæque sapientiæ tabernaculum dignum efficiantur.

Nam virtutes illæ, quas S. Bernardus sermone quodam primitias spiritus appellat, Dei laudatio, continentiæ vigor, contemplatio diuinorum, eodem teste, *non aliud sunt, quàm primi & purissimi fructus sapientiæ*: in quibus proinde valde se amet ipsa sapientia, ijsque, veluti ornatu sibi congenere, sedem suam exornari delectetur.

Serm. 7. in Cant.

Finio; si priùs ex disputatis toto capite, quod & pòst dicendis prodesse possit, colligam: nimirum, prout est præsentis instituti ratio, eum præcipuè censendum appellandumque sapientem, qui & diuinarum humanarumque rerum, quantum hæ quidem ad diuinas conferunt, cognitione sublimi instructus sit, ijsque exinde polleat artibus, quibus & seipsum ad magnam virtutem diligenti studio erudiat, & plures alios ad Deum & salutem adducat.

Quod etiam est ijs consentaneum, quæ secundâ secundæ tradit S. Thomas quæst. 45. art. 5. de ijs agens qui, vt ipse ait, altiori gradu percipiunt sapientiæ donum.

CAPVT IX.

Qui Sapientiæ in se habitantis sacrarium effectus sit, idipsum externo habitu, ipsaq; morum honestate ac sanctitate, profiteri debere.

ET istud iuuabit ex dictis, pro morum nostrorum informatione, deducere: prouidendum esse videlicet, vt qui se templum Diuinitatis, & Sapientiæ sacrarium esse meminerit, ita se componat ornetque externâ specie, vt vel ipso corporis habitu, modestiâ vultus, actionum honestate, sanctitate etiam sermonis, foris ostendat, quod intus se esse cognoscit. Quippe cùm & ipsæ sacrarum Basilicarum frontes, aditusque ac vestibula, sacrum etiam quiddam præferant; quo spectantem quemlibet sanctitatis loci admoneant, & quam is postulat, concilient venerationem.

Enimuerò, ad sermonem quod attinet, apprime huc facit præclara quædam, & à Stobæo alijsque, Socrati attributa sententia: *sapientis os, velut ostium templi, quod cùm aperuerit, apparent diuina sanctarum rerum simulacra.* Nam sicut cùm templi valuæ panduntur, continuò apparent, quę in eo sunt sacræ imagines, rerumque signa diuinarum: ita vbi vir sapiens os suum, velut ostium templi Sapientiæ, aperire fando cœperit, atque ex cordis sui abundantiâ, sanctos animi sensus atque diuinas cogitationes auditoribus suis insinuauerit, hoc ipso demonstrat, habere se mentem, instar diuini sanctuarij, sanctarum rerum simulacris ornatam, seu diuinis imbutam informatamque notionibus, ac veris illis numinibus (quo modo loquentem antea audiuimus Lactantium) hoc est virtutibus, aptè concinneque instructam. Quò referri potest & illud quod in Prouerbijs scriptum est: *Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam.* Prou. 16. v. 23.

Serm. 1.

In rem igitur nostram bellè conuenit hæc sententia, quemcunque demum habeat autorem. Nam idipsum certè, aut affine quiddam, non ab ipso Socrate prolatum, sed de Socrate verius apud Platonem dictum inuenio; quod quia non abhorret à proposito, eandemque cogitationem video, Magno etiam Dionysio placuisse, licebit paucis in locum præsentem referre.

Alcibiades igitur in laudatione Socratis, quæ extat in Platonis conuiuio, siue dialogo de Amore, in hunc modum prædictis affinem, disserens inducitur. Ait quippe illum persimilem esse Silenis illis, aut Satyris, qui à sculptoribus figurabantur, fistulâ tibiaúe ludentes: qui si aperirentur, reperiebantur intus habere speciosas atque præclaras Deorum imagines. Sic enim Socratem, qui & ipso vultu nonnihil ad Satyrum accederet, & inter amicos iucundè & hilariter agens, iocari videretur, attamen intus in animo diuinas virtutum præstantissimarum imagines continere. Quamobrem ibidem ita subijcit: *Seriò autem agentis, atque intus aperti* (scilicet Socratis) *nescio vtrùm quisquam vestrûm, diuinas quæ intus latent imagines, vnquam inspexerit. Ego certè quandoque eas aspexi* (Socrate videlicet diuinis de rebus & virtutum officijs disserente, & tanquam fores templi mentis suæ pandente) *atque mihi visæ sunt vsque adeò diuinæ, & aureæ, & formosæ, & mirabiles, vt nullo modo fas existimem, aliter, quàm Socrates præcipit, agere.* Sic ille; satis insinuans, quantam ad animos virtuti conciliandos vim habeat, viri sapientis, ex animo suo ac vitâ loquentis, oratio.

Cæterùm ad eum antiquum morem, ad quem verbis citatis allusit Alcibiades, etiam respexisse S. Dionysium, testantur prisci illius interpretes: S. Maximus ad illa verba capitis noni de diuinis nominibus: *Agedum quoque, hæc diuinorum nominum simulacra, quatenus nobis patent, intueamur*; & Georgius Pachymerius, tum ibi, tum capite 2. de cælesti hierarchiâ, vbi sic loquitur: *Hoc ab Ethnicis receptum. Siquidem ipsi faciebant simulacra, manibus, pedibusq; destituta, quæ Mercuriales statuas* (siue Hermas) *vocabant. Faciebant autem in ijs tum ostia, tum concauitates, quibus Deorum quos colebant, simulacra imponebant. Apparebant itaque viles, sed intra se Deorum ornamenta continebant. Studiosi itaque illarum contemplatores, non tam statuis illis quadratis attendebant, quàm interioribus simulacris.* Eumque in modum subdit, nos habere debere, diuina nomina, aut alia externa symbola, quibus diuina exprimuntur, considerantes.

Videant autem Scripturæ sacræ interpretes, an non huc fortè pertineant, ædes illæ Dianæ, Actuum 19. capite, quibus conficiendis Demetrius argentarius, eique subiecti artifices, faciebant non modicum quæstum. Nec enim videtur à vero aliena suspicio; siquis eas putet fuisse instar capsellarum eiusmodi, quæ equidem foris viliore seu materiâ, seu opere, Hermam, aut

Vers. 23.

figuram ei affinem, præſeferrent, intus autem argento obductę, exhiberent Deę pretioſam effigiem; proſtarentque venales hoſpitum gratiâ, qui Epheſinum Dianę templum conuiſerent, ex receptâ illo æuo ſuperſtitione.

Ad extremum, quod dicebamus: Sapientis mentem inſtrui oportere rerum diuinarum atque ſanctarum imaginibus earumque formam ac ſpeciem in eius ſermone ac moribus relucere debere, diuinâ etiam autoritate commendatur. Huc enim ſpectare videtur Apoſtoli Iacobi præceptum, capite 3. Epiſtolę Verſ. 13.
ſuæ Catholicę *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bonâ conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.*

Perinde ac ſi ediceret: eum qui ſapiens ſit, mentemque habeat, inſtar lactarij diuinis diſciplinis, rerumque cæleſtium imaginibus ac formis inſtructam, attendere debere, vt qualis intus eſt, talem ſe in omni oſtendat vitæ conſuetudine, vt & ſermo menti, & vita ſermoni reſpondeat; & cuius *animi ſecreta penetralia* (prout loquitur B. Ambroſius) *color ſapientiæ cæleſtis obduxit*, huius etiam oratio, conſuetudo, mores & vita, eodem vbique colore tincta & colorata appareant; & ipſe conuerſans inter homines, ſeſe velut quoddam exhibeat animatum ac ſpirans ſapientiæ cæleſtis ſimulacrum, ſanctorum operum exemplorumque diſciplinâ. Ne ſi ſecus faxit, & quam linguâ teneat, factis deſerat ſapientiam, illo veteri aceto perfricetur: *Ego odi homines ignauâ operâ, & philoſophâ ſententiâ.* Quam equidem Pacuuianam gnomen tanti fecit Macedo Philoſophus Agellij familiaris, vt eam diceret, pro omnium templorum foribus inſcribendam: ex priſco more videlicet, quo egregiæ, & ad mores formandos opportunæ, ſententiæ, templis inſcribi, & tanquam dedicari conſueuerant. Quo modo legimus apud Platonem in Protagora: primos illos ſeptem Græciæ Sapientes, *ex communi conſenſu, has Delphici Apollinis templo primitias ſapientiæ dedicaſſe: Noſce teipſum, Nihil nimis &c.*

(Marginal notes: L. 7. in Luc. 13. — Agell. l. 13. c. 8. — Lib. de Patient.)

Et ſanè huic ſtultæ vanitati, veteri illo verſiculo reprehenſæ, prorſus aduerſa eſt Chriſtianæ ſapientiæ ſimplicitas, quam verbis à nobis poſtea integrè referendis, ita deſcribit atque commendat Cyprianus, vt dicat: *Nos philoſophos, non verbis, ſed factis eſſe; nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferre; nec denique loqui magna, ſed viuere.* Non quaſi non poſſit, aut debeat, qui ſapiens eſt, ſapientiam ſuam ore promere ad aliorum vtilitatem; cùm ſcriptum ſit: *Sapientia abſcondita, & theſaurus* Eccli. 41. v. 17.

ſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Sed quòd vana ſcilicet ſapientiæ oſtentatio fugienda ſit; atque hæc potiùs loquenda factis, quàm oris ſtrepitu, & ſterili vocis prædicatione, commendanda.

CAPVT X.

Ad ſapientiam aſpiranti, ante omnia falſas ac præpoſteras, de expetendis fugiendisúe, vulgi opiniones, ex animo eſſe euellendas.

AD bene beateque viuendum, permagni referre compertum eſt; quibus anteceptis notionibus imbutum animum ad id adferas; ſeu, quibus primis diſciplinæ viuendi tanquam principijs informatus quiſquam, ad vitæ ſuæ rationes conſtituendas acceſſerit. Nam cùm ita naturâ comparatum ſit, vt humana voluntas non poſſit quoquam, niſi prælucente ac deducente intelligentiâ, commouere ſe, aut contendere; tanta eſſe ſolet facultatis vtriuſque conſenſio, vt naturaliter eò conſequatur voluntas, quò eundum eſſe præmonſtrauerit intelligentia.

Igitur qui, exempli causâ, ita animo affectus ac perſuaſus ſit, quaſi abſque opibus, voluptate, potentiâ, gloriâ, alijſque huiuſmodi rebus, felix ac beatus eſſe non poſſit; is omne ſtudium in eo ponet, vt his ipſis rebus circumfluat, atque abundet vt qui maximè, ecque collimabit in omni vitâ. E diuerſo qui ſolâ virtute honeſtique ſtudio (vtcunque cætera ſe habeant) veram hominis felicitatem metiatur, is vni virtuti totum ſe tradet; cæteris neglectis atque contemptis, in quibus ad beatam vitam parum aut nihil eſſe momenti, certâ atque deliberatâ animi inductione præiudicauerit. Ita generatim verum videtur: quam quiſque rem ſibi, non vagâ quadam & quaſi à rebus abſtractâ mentis aſſenſione comprobationeque, ſed practicâ (quod aiunt) & ad vſum vitæ propiùs relatâ, perſuaſione & inductione animi, tanquam ſupremum expetendorum, ſeu vt vitæ finem ſibi proponat, cæteriſque anteponat omnibus; eam affectu quoque præ cæteris ſecuturum eſſe in omni vſu, actuque vitę; ad hanc cogitationes ac deſideria, ad hanc ſua ſtudia, voluntates, conatus vniuerſos eſſe relaturum.

Quò

Quo mihi proinde multum vidisse videantur, qui, siquis de vitæ rationibus constituendis, aut in melius mutandis, reformandisque deliberet, huic primam ac summam operam in intelligentiâ; primis verisque rerum ad vitæ summam pertinentium notionibus, imbuendâ atque informandâ, ponendam esse præcipiunt; vt nempe seriâ diligentique meditatione, euulsis primùm ex animo vulgaribus, falsisque, ac saluti nostræ inimicis opinionibus, ad extremum id penitus inditum, sibique intimè persuasum habeat; se Dei vnius, veri ac summi boni, adipiscendi gratiâ conditum, hunc tum vitæ suæ generatim, tum actionum sigillatim omnium, finem vltimum atque vnicum habere debere; hoc vno adepto, se summè felicem, amisso summè infelicem, futurum esse; extra hunc, nullum vitæ fructum, nullam animi pacem verumque gaudium, inuenturum esse. Hac enim positâ, atque in medullas altè demissâ, persuasione, cætera quę voluntatem, eiusque motus, ac mores externos rectè conformandos respiciant, procliuia factu, neque iam adeò difficilis operæ fore.

Etenim rectè à S. Augustino in tertio de libero arbitrio scriptum est: *Solet autem & recta opinio* (id est, firma animi inductio ac persuasio) *prauam corrigere consuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam. Tanta vis est* (inquit) *in dominatu & principatu rationis.* In quem item sensum illud Platonis accipies: *Vbi dux veritas affulserit, fieri nullo modo potest, vt eam vitiorum chorus consequatur.* Et quod, teste Clemente in sexto Stromatum, *merito à Græcis quoque acclamatum est: Principium magnæ virtutis est regina Veritas.* Cap. 8. Dial. 6. de Rep. Cap. 4.

Disertissimè autem Romanus Philosophus prolixâ quadam epistolâ; vbi negans ad sapientiam, & quæ ex eâ pendet, vitam beatam, præcepta viuendi specialia sufficere, eoque contendens opus esse dogmatis, decretisue quibusdam generalibus, quæ in vniuersum componant hominem, atque adeò summam totius vitę complexis; nominatim hęc tradit, ei in quo versamur loco, peropportuna: *Ergo infigi debet* (inquit) *persuasio ad totam pertinens vitam: hoc est quod decretum voco. Qualis hæc persuasio fuerit, talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur: qualia autem hæc fuerint, talis vita erit.* Et paucis interiectis: *Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum, dictumq́ respiciat: veluti* Ep. 95.

nauι-

nauigantibus, ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito, vaga est &c.

Lib. 50. homiliarum hom. 16. Præfat. in Ps. 148. Sed elegans quoque est, atque huc faciens, neque vno loco à Magno Augustino proposita, ista cogitatio: *Quomodo de interiori palatio quidquid iusserit Imperator, per imperium Romanum emanat* &c. *Sic in vnoquoque nostrum, intus est Imperator in corde. Sed & si bonus; bona iubet; & bona fiunt: si malus, mala iubet, & mala fiunt.* Atque Imperatorem hunc significat esse cogitationem; efficacem scilicet inductionem animi, quòd hoc vel illud, hoc vel illo modo faciendum sit. In quem sensum proximè præmiserat: *Non potest fieri, vt habeat facta mala, qui habet cogitationes bonas: facta enim de cogitatione procedunt. Nec quisquam potest facere, aut ad aliquid faciendum membra mouere, nisi præcesserit iussio cogitationis.*

Multum igitur refert, etiam ex huius S. Doctoris mente, quænam persuasio cor possideat, generalis præsertim, & ad vitę summam, finisque vltimi præscriptionem, pertinens. Nam si hominis mentem æternis suis rationibus Sapientia occupauerit, si in corde iustitia regnauerit; iam ex illa arce in partes reliquas emanante iusto sapientique imperio, membra omnia iustitiæ seruient, rationi sensus obtemperabunt. Quemadmodum præclarè ab eodem S. Doctore obseruatum est, rursum in Psalmum 125. ita scribente: *Custodi os cordis à malo, & innocentes manus erunt, oculi, aures &c. omnia membra tua iustitiæ militabunt: quia Imperator iustus tenuit cor.* Sic ille.

Igitur ad sapientiam aspiranti, illud ante omnia prouidendum est, vt de omni rerum expetendarum fugiendarumúe ratione, non ex vulgi sensu (qui, vt rectè ait loco pòst laudando Seneca, *pessimus est veritatis interpres*) sed ex certissimis, De vit. beat. c. 2. clarissimisque supremæ veritatis regulis, iudicium ferre incipiat; & quos eius animo, siue indolis fortasse peruersitas, siue praua à teneris institutio, siue vsus vulgaris, ac vitæ consuetudo promiscua; minùs rectos sensus impressit, in hisce penitus euellendis, primum ac summum studium ponat: certus, nihil admodum in illâ (quam dicunt) arte viuendi profecturum se, Epist. 94. *nisi* (vt in quadam epistolâ loquitur Seneca) *opiniones falsas, quibus laboramus, expulerit.*

Et, quando illud exploratum est; vulgares eo in genere, passimque inductos hominum sensus, à veritate ipsa distare quam longissimè; eò sese quisque sapientiæ, salutique propiorem

rem existimet, quò magis ab illis abduxerit animum, atque ad omnia illis aduersa, magis propensum se senserit. Illudque secum deliberatè constituat, quod apud eundem Annæum, ad profanum, & à sapientia auersum vulgus, loquens inducitur, seu Socrates, seu quiuis alius Sapiens: *Nihil magis persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras, actum vitæ meæ flecterem.* Qua de re pluscula adijciemus in sequentibus. *De vit. beat. c. 26.*

Sed placet caput hoc opportuno admodum eiusdem Senecę præcepto, velut auro & gemmâ, obsignare: *Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire; ad summum bonum, & propositum totius vitæ respice. Illi enim consentire debet, quidquid agimus.* Sic ille. *Ep. 71.*

CAPVT XI.

Confirmatio dictorum: & quiddam, de tenerâ etiam ætate, ad honesti studium instituendâ, per occasionem adiectum.

PRincipio igitur ad sapientiam accedenti, ab illis offucijs fallacijsque, quibus vulgus laborat mortalium, enubilandus, vt ita loquar, est animus, & sinceritati puritatique suæ restituendus, vt lucem veritatis, ac sapientię decorem possit aspicere. Ne, si vulgaribus præiudicijs occupatam mentem, ad diuinam disciplinam adferamus, nobis opprobrantem audiamus S. Augustinum, quod aduersus Manichęos scripsit libro de moribus Ecclesię Catholicæ: *Crassas omnino mentes, & corporeorum simulacrorum pastu morbidas, ad diuina iudicanda defertis*: quæ nempe nequeat vllo pacto, nisi animus purus capere, nec nisi mens sana atque sincera attingere. *Cap. 17.*

Veruntamen quando (vt ex modò dictis colligere est) malorum nostrorum ista ferè vnica, certè grauissima & communissima, causa est; quòd falsis quibusdam opinionibus, circa id quod bonum expetendumque sit, occupati, ad vitæ nostræ rationes designandas instituendasque venimus; eapropter impelli me sentio, vt quiddam hoc loco proferam, quod velut à nostris moribus, vsuque communi satis abhorrens, nescio qualiter accipiendum sit: magni videlicet, vt mea quidem fert opinio, fore operæpretij, atque ex vsu humanæ vitæ, teneram ætatem sic institui, vt non (velut assolet) ijs, vt res magnæ,

ſummeq́ue expetendæ, proponantur, ea, quorum ſtudio vulgò tenentur, incenduntur q́ue mortales; opes, gloria, delitiarum illecebræ; ſed ante omnia commendetur illis honeſti ſtudium, cui nihil omnino in vita humana anteferendum ſit, oſtentetur virtutis ſplendor, quædam inſtillentur præcepta veræ ſapientiæ, ad cuius decus ſenſim aſpirent, & cuius luce ac ſuauitate, licet ſubobſcurè & quaſi è longinquo propoſitâ, capiantur tamen pro captu ſuo, & primo illius veluti ſenſu atque guſtatu afficiantur.

Cui meo ſenſui paulò ampliùs exponendo, nonnulla hîc præmonenda ſunt.

Primùm enim (quod iam inſinuatum in ſuperioribus eſt, cùm rectam indolem demonſtraremus plurimum conferre ad ſapientiam) vnicuique inſunt â natura, vel â proprio, quod aiunt, cuiuſque genio, quædam velut virtutum vitiorumq́ue ſemina; quæ quiſque ferè ſequitur in vitâ, niſi naturæ in bonum malumúe propenſionem immutet, aut â parentibus accepta educatio, eorumúe vſus quibus conuixerit, aut â magiſtris inſinuata diſciplina. Itaque & â natura quoſdam ipſoque ortu, quaſdam habere animo anteceptas informationes virtutum, & tanquàm inſitos igniculos ſapientiæ, qui ſi tantùm conflentur atque exſuſcitentur, continuò natiuum fulgorem decuſq́ue ſuum latè explicent; tum ipſa demonſtrat experientia; tum his verbis teſtatur Annæus epiſtola 95. *Quidam* (inquiens) *ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent perueniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cum primùm audierunt.* Quæ ſanè virtutum ſemina, eleganter Valerius Maximus appellat, quædam quaſi cunabula & elementa virtutis, eo in capite, quo indolis præclaræ exempla non-
2. 3. c. 1. nulla propoſiturus, ita præfatur: *Attingam nunc quaſi cunabula quædam & elementa virtutis; animiq́, procedente tempore, ad ſummum gloriæ culmen peruenturi, certo cum experimento datos guſtus referam.*

Quando & illud, hoc in genere, vniuersè verum eſt; alios ad alias artes ſuopte genio atque naturâ factos; vt quidam pictores, muſici, fabri, aliúsúe generis artifices, non arte atque inſtitutione, ſed naturâ videantur exiſtere. Quò facit quod Plato in Protagora, Promethei fabulam pertractans, Mercurium ait iuſſu Iouis, omnibus quidem hominibus pudorem indidiſſe & iuſtitiam; quòd ita eſſet conueniens: non autem, quemadmodum

modum artium, hæ quidem vni, aliæ alijs attributæ sunt; quòd vnus pro multis eâ in parte sufficere possit.

Atque iam istud est, quod ante omnia admonendum putamus, ætatis teneræ atque ceræ formatorem; vt siquod in alumno suo lumen ingenij, siquam indolis elegantiam, siqua semina sapientiæ aspexerit; hôc solicitiore curâ satagat, quò ipsa natura ducit, obsequi, probisque artibus istud alere & erudire ingenium; vt ne insitos illos melioris mentis igniculos infeliciter restinguat lugenda formatoris inertia, & quod læta natura spondebat, peruersa abneget educatio.

Alioqui enim incautæ ætati, & formantium curâ destitutę, occurlant illico geminę illę, quamlibet præstantis ac diuinę indolis, corruptelę (quas item demonstrat in Tabula sua Cebes Thebanus, & M. Tullius initio tertij Tusculanarum) fallaces nimirum vulgi opiniones, & prauæ iuuentutis illecebræ; quibus iam inde occupatus adolescentis animus, non facilè decore capitur, dulcedine, luce sapientiæ cælestis: quin & siquis illum primæuę indolis vigor igneus ad sempiterna atque diuina solicitet, is confestim, ijs quas dixi rebus, tanquam suffocatus opprimitur: & (quod de nescio quo eleganter dixit, contra Academicos scribens Augustinus) *illud decus animi, vel potiùs decoris quasi seminarium, erumpere in veram pulchritudinem nitens, tortuosè & deformiter, inter scabra vitiorum, & inter opinionum fallacium dumeta frondescit.* L. 1. c. 2. In quibus obserues, bonæ menti insita honesti ac pulchri semina, inter eas quas dixi vitæ pestes, scabra scilicet vitiorum, opinionesque fallaces, ægre exoriri, maligneque succrescere. Quod loco laudato aliâ figurâ expressit Cicero: *paruulos nimirum à natura datos igniculos, celeriter malis moribus, opinionibusq; deprauatis, restingui.* Vt rectè in prædicta Cebetis Tabula (præclaro scilicet, & digno quod subinde inspiciat studiosa iuuentus, morum humanorum, vitæque decorè exigendæ, speculo) inducatur, ingressos in vitam, solicitè præmonens, bonus humanæ vitæ præses Genius, ne se Fortunæ incautè credant, neúe Vulgatibus Opinionibus ac Cupiditatibus seduci sese patiantur. Alioqui enim, varijs circumuentos Erroribus, nunquam ad germanæ veræque Sapientiæ possessionem, & (quod est consequens) nunquam ad summæ Felicitatis arcem, aspiraturos.

Tanti refert ad cælestes satus, vitæque beatæ disciplinam, sinceram mentem, atque à vulgi falsis sensibus liberam, tum

vitiorum quoque, ſtirpibus ac fibris perpurgatum pectus, adferre.

Cæterùm vel inde manifeſtiùs intelligas, in lætâ indole rectè formandâ, quàm nulli curæ, nulliúe labori parcendum ſit; quando id quoque compertum eſt, in mollis ætatis inſtitutione, eò maiore periculo peccari, quò præſtantiore naturâ quiſquam, & vi ingenij excelſiore præditus ſit. Neque enim à magna indole, mediocre quiddam atque vulgare, ſed aut magna virtus, aut magna vitia expectanda ſunt; quamlibet in partem cuiuſque mentem, ſeu informatio puerilis, ſeu adoleſcentis flexus ætatis, conuerterit, atque impulerit. Quare vt alia ſanè permulta ad locum iſtum facientia, id etiam rectè ab illo veteris Academię Principe obſeruatum eſt: *Naturam optimam, ſi alieniorem quandam educationem conſequatur, deteriorem euadere, quàm vilem & inertem. Neque adeò putandum eſſe, magna ſcelera extremamq́ improbitatem, ex vili quadam ignauaq́ indole, & non potiùs ex generoſo & robuſto quodam ingenio, educatione corrupto, proficiſci.* Ita ille in ſua Rep. Dialogo 6.

CAPVT XII.

Etiam primam pueritiam videri, primis honeſti notionibus, & quaſi quibuſdam rudimentis Sapientiæ, rectè & vtiliter imbuendam.

IAm verò quiddam adijcimus, vt huic loco proprium: quod, tametſi vt mores noſtri ſunt, videbitur potiùs ad quandam Remp. Platonicam, ideamq́ue ſolâ animi contemplatione contentam, quàm ad rem ipſam vſumq́ue vitæ pertinere; at dicatur tamen, quod fortè, ſaltem in eorum puerorum educatione, quos, ſiue ex ipſa conditione naſcendi, (velut in Principum Magnatumq́ue liberis) ſiue ex rara quadam indole, parentumq́ue ſtudio, appareat in ſpem magnam creſcere, atque ad vſus Reip. ſalutares deſtinari, aliquando locum habere poſſit.

Eam videlicet quam prædiximus mollioris ætatis ad honeſti ſtudium ſolicitam inſtitutionem, non in ætatem adoleſcentem, extremamúe aut etiam prouectam pueritiam, quaſi ei primùm ætati inſit eius diſciplinæ capacitas, videri differendam; ſed à primis

primis annis, seu ab ipsa primâ pueritiâ, adhibendam atque experiendam esse. Quod equidem à nobis non nimis absurdè præcipi, neque omni seu autoritate seu ratione destitutum esse; cognoscere poterit, quisquis ea, quæ nunc eam in causam subiunctutus sum, attenderit.

In primis siquidem huic nostræ cogitationi fauentes habemus ipsos etiam Philosophorum principes, Platonem atque Aristotelem. Huius quippe, ipso Platone laudato, ista expressa est, in Ethicis ad Nicomachum, sententia: *Quapropter (vt Plato inquit) homines statim à pueris sic esse instituendos, vt ijs gaudeant doleantq́, quibus gaudere doleréq́, oportet. Hæc est enim recta institutio.* Quibus, nisi fallor, ad id respexit, quod præscripserat Plato in Protagora: vbi eam commendat disciplinam, quâ (vt ipse ait) *cùm primùm puer quæ dicuntur intelligit*, ei demonstratur à moderatoribus, quid iustum, quid iniustum, quid honestum, quid turpe sit &c. Qua de re ipsam Platonis mentem ex professo exponens Apuleius, ita loquitur ex eius sententiâ: *Hominem ab stirpe ipsâ, neque absolutè bonum, nec malum nasci; sed ad vtrumque procliue ingenium eius esse. Habere quidem semina quædam vtrarumque rerum, cum nascendi origine copulata; quæ, educationis disciplinâ, in partem alteram debeant emicare: doctoresq́, puerorum nihil antiquiùs curare oportet, quàm vt sint amatores virtutum; vel inter se moribus & institutis eos ad id prorsus imbuere, vt regere & regi discant magistrâ iustitiâ. Quare præter cætera induci ad hoc eos oportere, vt sciant, quæ sequenda fugiendaq́, sint, honesta esse ac turpia; illa voluptatis ac laudis, hæc verò dedecoris ac turpitudinis. Honesta, eademq́, quæ sunt bona, confidenter optare eos oportere.* Hæc ille, eo libro quem inscripsit, *De Philosophia*: quæ etiam ea stabiliunt, quæ modò capite superiori diximus. Lib. 2. c. 3.

Portò Quintilianus, futuri oratoris institutionem tractans, eam existimat (& verò studiosè præcipit) etiam à tenerâ puerilique ætate inchoandam: quam in rem etiam Chrysippi laudat sententiam; qui, *ab illis quoque annis, quibus etiam sub nutrice sint, iam informandam quàm optimis institutis mentem infantium iudicat.* Nimirum (vt obseruat Fabius) *quantum in infantia præsumptum est temporis, acquiri adolescentiæ*: atque etiam dum aliud agitur, puta dum discunt conformare litteras, inter lusum, iocos, & animi causâ susceptas exercitationes pueriles, prima poni posse tanquam rudimenta secuturæ deinceps institu- Instit. l. 1. c. 1.

 tionis

tionis. Vnde inter cætera ibidem in hunc modum præcipit. *Ij quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi, vsque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, & electos, ex poëtis maximè (namque eorum paruis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet.* Vt nempe, quod ait ad Lætam
Ep. 7. c. 2. scribens de filiæ institutione Hieronymus: *Lusus ipse, eruditio sit.* Quæ quidni in rem quoque nostram ita transferri possint; vt & pro ludicris ineptisue nænijs, amœna piaque cantica, & pro anilibus nutricularum fabulis, morati apologi, & pro varia occasione, dicta quædam præclara, versusúe honestum quidpiam monentes, insinuentur etiam infantibus? quorum tametsi vim eâ in ætate minùs sentiant; attamen hærebunt memoriæ, & tanquam semina molliori terræ credita, procedente tempore
Ibid. c. 8. erumpent & assurgent in frugem. Itaque rursum idem Fabius de librorum agens ab adolescentibus legendorum delectu, inter ea quę ait admonitione magnâ egere, hoc in primis curandum statuit: *Vt teneræ mentes, tracturæq; altiùs quidquid rudibus & omnium ignaris insederit, non modò quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant.* Quod quidem præceptum etiam in pueris minutulis, & ea quę dicantur minùs intelligentibus, suâ quadam ratione tenendum est; ne scilicet ea quę minùs honesta sunt, audiant: quippe qui postea, etiam scientes ægre dediscunt, quæ didicere nescientes. Admonente etiam sapienter Platone in secundo de Rep. eapropter prouidendum esse, ne quaslibet fabulas à nutricibus aut matribus formandi audiant pueri, *animisq;* (vt ait) *imbibant opiniones contrarias illis, quas cùm adoleuerint, habere illos debere existimamus.*

Formanda est igitur, (vel Philosophis autoribus) primis honesti rudimentis, & tanquam elementis sapientiæ, pro captu suo, etiam prima pueritia. Quam adeò ętatem, si indoli suę accommodatè tractetur, disciplinę honesti & capacem & retinentem esse, Spartanorum olim puerorum, & Iaponiorum hodieque probat exemplum: quorum animi excelsitas, & in summis etiam doloribus constans & inuicta patientia, si historiæ gentis credimus, magnam partem debetur educationi: quòd ita nimirnm instituantur à teneris, vt honesti atque decori primam ac summam rationem habendam intelligant, neque, quauis seu pœnâ, seu mercede propositâ, quicquam quod turpe
sit,

sit, sibi committendum existimeut. Cui proinde probæ institutioni etiam illud assignem, quod ille dixit, Plutarcho olim laudatus, senex: *Omnes quidem Græcos nosse quid sit honestum, sed eo solos vti Spartanos.* Quòd nempe reliqui, quibus ea deesset institutio, processu ætatis possent quid esset honestum cognoscere, non item ad illud mores formare, prohibente peruersâ educatione. *Apophth. Lacon.*

Et sanè quid tecti expectes, ab egregiâ quamuis indole, quam iam praua corrupit educatio? Aut quid mirum erit aut insolens, si vnà cum ætate crescat, exempli causâ, amor nummi, habendique studium; quando, quod aiebat in æui sui mores declamans Satyricus:

> *Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem.* *Iuuen. sat.*
> *Hoc discunt omnes ante Alpha & Beta puellæ?* 14.

Siue, vt de alijs indulgentioris educationis vitijs Quintilianus: *L. 1. c. 2.* *Quid non adultus concupiscet*, inquit, *qui in purpuris repit? Nondum prima verba formare didicit, iam coccum intelligit, iam conchylium poscit. Antè palatum eorum quàm os instituimus. Gaudemus siquid licentius dixerint. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse* &c. Ex quo equidem fonte, pleramque manare morum iu iuuentute licentiam & cortuptelam, nullus sanè dubitem.

Quapropter nequaquam exaudiam, quod suæ (quam vocant) in teneros liberos indulgentiæ, at reipsa prauę atque peruersæ educationis patrocinio, molliores parentes obtendunt: ferri posse eâ quidem ætate, ac dissimulari, ista non tam morum vitia, quam lætæ indolis atque exultantis argumenta. Respecturos se nempe adolescentes, vbi ad magistros venerint; suæque naturę bonitati restitutos, quæ minùs decere, doctore monstrante, perspexerint, spontaneâ iam morum honestate, haud difficulter emendaturos.

Quasi nesciremus videlicet: cùm vniuersè, ea quæ pueri mollibus infusa præcordijs acceperint, durare soleant, attamen quæ deteriora sunt, hætere pertinaciùs: difficili admodum ad primæuam indolem recursu, ex quo ipsa vitia, altera iam natura facta sunt.

Vt vel eâ causâ, sæpe laudatus hoc in capite Quintilianus, *L. 1. c. 3.* ætatem infirmam tum maximè formandam præcipiat, *cùm simulandi* (inquit) *nescia est, præcipientibus facillimè cedit. Frangas*

enim (subdit) *citiùs quàm corrigas, quæ in prauum indurruerunt. Protinus ergo nequid cupidè, nequid improbè, nequid impotenter faciat, monendus est puer. Habendumq; in animo semper illud Virgilianum*,

Georg. 2. ——— *Adeò in teneris consuescere multum est.* Sic ille.

Quo etiam loco meminisse possumus Platonis, quem aliàs edicentem audiuimus, eum qui à teneris, delitijs assueuerit, haud temerè vnquam euasurum esse sapientem. Etenim (vt etiam obseruat Aristoteles) vnusquisque ferè prout affectus est, iudicat: fitque nescio qua ratione, vt qui ab ætate ineunte, res istas infimas, quas tanti mortales faciunt, & ipse æstimare, mirari, eisque incauto amore adhærescere occœperit, earundem falsâ occupatus dulcedine, nihil iam sublime complectatur aut agitet animo, sed ea quibus assueuerit, quasi summa bona sint, ita præ cæteris expetenda sibi existimet. Vt hîc prorsus valeat, quod pulchrè scripsit idem Philosophus in magnis Moralibus:

Ad Nicom. l. 3. c. 5.

L. 2. c. 8. *Qui porrò voluptatem bonam esse contendunt, ij perinde faciunt, ac qui nectar incognitum habentes, Deos vinum potare putant.* Nulla scilicet maiora bona, aut voluptates sinceriores, quàm quibus ipsi insueuerint; seu quæ ipso sensu experimentoque illis cognitæ ac compertę sint, vsquam superesse existimantes.

Quò iam vniuersè difficillimum sit (ex laudatâ Platonis sententiâ) sapientem euadere eum, qui vitiosis moribus, ad quantumuis præclaram disciplinam, institutionemue accesserit.

Quanquam enim eum faciamus, ingenij vigore, etiam sublimia sapientię præcepta comprehendere, laudare, quin & his, si voles, etiam teneri, cum dulci sensu aliquando deprehensę atque exploratę veritatis: attamen cùm eorum vsus & occasio venerit, perturbatione præpediente non assumet, nec applicabit ea ad vsum vitæ; sed (quod de incontinente in Ethicis scripsit Philosophus) in hac illaue rerum specie, atque occursu, vt sibi conueniens eliget, quod in vniuersum sibi vel maximè vitandum esse persuaserit. Qua equidem in re, pręclarè, neque vno loco, admonet claudus ille de Stoâ, sed non ingenio claudicante, Philosophus, pręcipuam labem humanę vitæ consistere.

Ad Nicom. l. 7. c. 3. &c.

L. 3. c. 26. Nam (quæ ipsissima sunt Epicteti verba apud Arianum)
L. 1. c. 22. *hæc est causa mortalibus omnium malorum, non posse communes notiones aptare singularibus.* Quod exempli causâ, in eo declaratur,

ratur, qui ex Stoicæ (immo & Christianæ, vt in loco dicam) disciplinæ præceptis, persuasum habeat, omnia illa quæ extra nos sunt, habenda esse pro medijs, seu indifferentibus ad vitam beatam, eoque per se simplicitet neque bona, neque mala esse; qui tamen, cùm in tem præsentem venitur, aut siquis offertur v. g. eorum amittendorum metus, perturbatur animo, & quasi ea veta & magna bona sint, eâ gratiâ ab officio, atque honesto deflectit.

Atque ex his demum, vt existimo, quisque facilè intelliget, quantum intersit ad futuram virtutem, ipsamque adeò felicitatem humanę vitæ; etiam teneræ ac molli ætati, quendam à principio instillari honesti sensum; & primum aspergi tanquam saporem sapientiæ; ne (quod alioqui fieri assoler) dominatum rationis præuertat cæca cupiditas, aut lætam indolem infelix peruertat educatio. Quippe, vt hoc extremum cum S Augustino adijciam: *Tanta vis est consuetudinis, vt eâ inueteratâ, si falsâ opinione genita sit, nihil sit inimicius veritati.* L. 5. de mus. c. 5.

CAPVT XIII.

Sapientis esse, ab initio excelsum quiddam cogitatione præsumere, magnaq; mensurâ vitam suam metiri.

EQuidem hoc lemmate comprehensa propositio videri potest ex antè dictis explorata ac demonstrata esse. Nam si, velut suprà disputabamus, ad vitam rectè ac sapienter instituendam, tantum est momentum intelligentiæ, &, quod dicebat Augustinus, tanta vis in dominatu & principatu rationis; confestim effici videbatur, absque excelsis cogitationibus nihil magnum posse confieri; easque proinde sapienti esse omnino necessarias, quando compertum est, ad magna quædam, nec vulgaria, vocari sapientem. Veruntamen, cùm in præsentiarum, non tam de rerum magnarum anteceptâ intelligentiâ, quàm de intentione ac destinatione animi, excelsum quiddam sibi sequendum proponentis, instituenda sit dissertatio, habeatque ea r s vsum suum, ac præceptiones proprias; pretium, opinor, erit operæ, si nunc separatim, neque incuriosè tractetur.

Atque, vt istinc exordiar; in carmine quodam ad Nicobulum, rectissimè scripsit Gregorius Theologus: *Sapientis, siue prudentis, esse, magnâ mensurâ vitam suam metiri.* Siue, (qui proprius est istius dicti sensus) magnum quoddam vitæ præclarè honesteque agendæ exemplar, sibi ad imitandum constituere ac proponere. Quod quidem liceat accommodatè & ad præsentem transferre tractatum: vt, quando, etiam ex ve-
L. 8. de Ciu. rissima certissimaque Platonis, à S. Augustino non vno loco
Dei cap. 5. comprobatâ, sententiâ; sapientia vera, ac vita beata in Dei no-
& 9. titia atque imitatione consistit; sapientis sanè sit, magnâ mensurâ vitam suam metiri: hoc est, in vitæ suæ rationibus constituendis, primum illud ac summum & perfectissimum omnis honesti ac pulchri exemplar, Deum inquam, ob oculos habere, atque in omni deinceps exercitio, actuque vitæ, ad Dei vitam moresque diuinos, imitandi gratiâ, aspicere: quò sensim contendat, quoad permittit mortalitas, rudimentum quoddam in mente suâ præformare diuinæ imaginis, & vel prima saltem lineamenta ducere perfectæ illius atque supremæ similitudinis, quam ex lucis æternæ intimâ impressione accipiet, Deo iam fruens ac beata mens veri consummatique sapientis:
1. Ioan. 3. Secundum illud dilecti discipuli: *Scimus quoniam cum apparue-*
v. 2. *rit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ad quæ
Expos in Ps. verba S. Augustinus: *Hæc claritas Dei est*, inquit, *ineffabilis lux,*
109. *fons lucis sine commutatione, veritas sine defectu, sapientia in se manens, innouans omnia* &c.

Atque hoc, quod dixi, liquet non modò Platonicum, sed Euangelicum, & maximè diuinum esse præceptum: edicente
Matth. 5. Magistro cælesti, vt perfecti esse contendamus, sicut & Pater
v. 48. noster cælestis perfectus est. Quod & illa confirment B. Ambrosij in libro de fuga sæculi cap. 4 *Hoc est autem fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei, secundum mensuram nostræ possibilitatis. Vir enim perfectus, imago & gloria est Dei. Vnde & Dominus ait: Perfecti estote, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Hoc est igitur similem esse Dei, habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum.* Hactenus S. Ambrosius.

Eodemque & istud referre licet, quod epistolâ quadam audenter pronuntiat Seneca: vbi de animi virtutisque perfectione agitur, hominem ipso Deo metiendum esse. Nam cùm eo

loco, suæ disciplinæ ardua quædam decreta traderet: *Multis* (inquit) *videmur maiora promittere, quàm recipit humana conditio. Non immeritò*; (subdit) *ad corpus enim respiciunt. Reuertantur ad animum: iam hominem Deo metientur.* Ep. 71.

Quanquam enim ea vox videri possit, ex superbâ illâ vanitate profecta, quâ istius sectæ homines, sapientem dicerent (quod quidem ad animum spectaret) Deo parem, Dei socium esse, non supplicem: attamen etiam Christiano sensu probè dixeris: debere se Deo metiri sapientem. Ep. 31. 92. &c.

Non quasi confidat, vllo suo conatu posse ad diuinam æqualitatem pertingere: sed quòd magnam illam summi boni ac pulchri mensuram propositam habens ob oculos, nullâ virtutis mediocritate contentus sit, sed ad maiora semper aspiret, secum istud reputans, quod quocunque facto in sapientia virtuteque progressu, adhuc tamen longissimè distet ab illo summo infinitoque exemplari, cuius imitationem, velut vitæ scopum finemue, sibi præstituerit.

Ad extremum obseruo, initio laudatum Atticæ Academiæ Principem, Dialogo 4 de Legibus, cùm de imitando sequendoque Deum multa pulchrè dixisset; atque inter cætera, id sapientis esse proprium, eiusque qui felix, ac Deo amicus futurus sit; proindeque *dubium non esse, quin cogitare quisque debeat, qua ratione ex eorum numero sit qui Deum sequantur*: idipsum demum quod hoc loco tradimus, iisdemque propemodum verbis esse complexum, dicentem: *Deum maximè nobis oportere (& multo magis quàm quemlibet hominem) rerum omnium esse mensuram.*

Ergo vt eam rem in pauca contraham, atque concludam: Magna mensura est, æmulatio diuinæ vitæ; magna mensura, vita Euangelica & Sanctorum morum, ab ipso Christo, Dei inquam Sapientiâ, tum ore tradita, tum factis ipsis demonstrata, perfectio; magna mensura, absoluta sui victoria, summum studium diuinæ gloriæ, contemptus omnium quæ Deus non sunt, & cum generoso rerum transeuntium fastidio, solius respectus æternitatis. Ad magna vocamus; cùm ad hæc vocamus Sapientiæ sectatorem.

Attamen, huic loco congruenter, magis vniuersè dixerimus: Sapientis esse magnâ mensurâ metiri vitam suam; magnis inquam, & supra vulgi sensum, sublimibusque atque diuinis cogitationibus: ne vulgaribus atque protritis huius sæculi præiu-

 dicijs

dicijs ſeducti, ſapiamus ea quæ mundi ſunt, aut in infimo certè conſiſtamus virtutis gradu; ſed magis ingenuè ac magnificè philoſophantes, dicam id Afrorum Doctorum, Tertulliani, Minutij, ac Cypriani, phraſi, non cæca, non terrena, non vilia, ſed magna, ſed diuina viuamus.

Nempe vt de homine verè Philoſopho Socrates, in ſexto Platonis de Rep. *Cui cogitationis adeſt magnificentia, & totius temporis totiuſq; ſubſtantiæ contemplatio, humana vita magnum quid videri non poteſt.* Obſerua ad propoſitum noſtrum, vero Sapienti attribui quandam cogitationis magnificentiam, quâ iam nihil ei magnum videatur in rebus humanis, æterna ſcilicet contemplanti, & ſola diuina vt verè magna æſtimanti. Et Lucilium ſuum, ad contemptum omnium quæ vulgo placent, prouocans Seneca: *Cogita*, inquit, *in te præter animum nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt.* Eorum ſcilicet, quæ ſe inferiora deſpiciat, & velut indigna amore ſuo, quadam, vt dicebamus, cogitationis magnificentiâ, & liberæ mentis excelſitate, contemnat. Vt meritò iam olim mihi ſublimis, & ex ſummâ profecta Philoſophiâ, viſa ſit vox illa ſimplicis illius
3. *de imit.* Sapientis: *Diu paruus erit, & infrà iacebit, qui aliquid magnum*
Chr. c. 31. *æſtimat, niſi ſolum vnum, immenſum, æternum bonum.*

S. Cyprianus epiſtola 1. quæ eſt ad Donatum; eam admirans ſenſuum affectuumque commutationem, quam in eorum animis efficit diuinus Spiritus, qui in baptiſmate Chriſtum induti, toto animo conuertuntur ad Deum, ita loquitur in rem noſtram: *Poſtquam autorem ſuum, cælum intuens anima cognouit, ſolo altior, & hac omni terrenâ poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod ſe eſſe credit.* Quod eo ſenſu dictum opiner: quòd ſeſe iam mundo maiorem credens & aſpiciens animus, dedignetur iam humilia ſapere; & memor ſuæ dignitatis, quidquid infra ſe videt, generoſo faſtidio contemnat; aut illud, aut ſimile quiddam, identidem ſibi cum Romano Philoſopho
Ep. 65. occinens: *Vetas me cælo intereſſe, id eſt, iubes me viuere capite demiſſo? Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim corporis mei: quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circundatum.*

Atque in eandem ſententiam ſubiungi poteſt, quod apud eundem Cyprianum, in hymno quodam, ſeu carmine, de Paſcha Domini, de his dicitur qui fructus crucis guſtauerint, quod nos pari ſenſu de guſtantibus fructus ſapientię dicemus:

Permu-

Permutant animos, & mentes perdere auaras
Incipiunt, dulciq; hominem cognoſcere ſenſu.

Quaſi iam omiſsâ animali vitâ, & omni depoſitâ terrenarum rerum cupiditate, incipiant primùm ſentire hominem; diuinamque in ſe imaginem, & tanquam indolem, recognoſcere; eoque cæleſtes cogitationes ac mores Deo dignos induere.

Huc denique faciunt & illa Gregorij Nyſſeni: *Siquis, poſtquam in ipſo diuina fuerit genita ſapientia, quæ ſurſum ſunt ſapiat, tantundem terræ attingens, quantum neceſſe eſt; hic extrema terræ ſub cælo habitat, non in terrenas cogitationes demerſus; huic cælum ſibi loco terræ præparanti, ſapientia aſſiſtit.* *Orat. 2. contr. Eunom.*

Ex quibus iam ſanè ſublucere incipit, quod dicebamus: quantum ad virtutis excelſum decus neceſſariæ ſint cogitationes magnæ; atque à vulgaribus mortalium ſenſibus longè ſubmotæ deſtinationes; eamque in rem etiam ſub ipſa ſuſceptæ diſciplinæ initia, vel maximè nitendum contendendumque ſapientiæ amatori.

Quâ enim aliâ ratione, nobis non adſcitum extrinſecus, ſed ipſis medullis inditum probauerimus veritatis ac ſapientiæ ſtudium; niſi, quod verbis propè Chriſtianis ſcripſit Annæus, *quæramus, quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo, veritatis peſſimo interpreti, probatum ſit?* *De vit. beat. c. 2.* Porrò in ſuſceptâ virtutis viâ, mediocribus eſſe contentum, remiſſi eſt & ignobilis animi, & eius qui ſapientiæ tantùm alludat, non eam auidis ac totis vlnis adhuc ſtrinxerit; aut (quod aliâ ratione expreſſum video à Platone, quadam epiſtola) eius qui non reuera ſapientiæ amator, ſed opinionibus duntaxat extrinſecus coloratus ſit. *Epiſt. 7.*

Igitur ad magnam virtutem, magnæ cogitationes præſumendæ ſunt, iiſque, ſub ipſa vitæ melioris initia, altè imbuendus incitandusque eſt animus; vt tanquam nobiliter atque generosè eductus, altè ſpectet, aſpiret ad grandia, aut (quæ rurſum eſt Senecæ phraſis) *alta conetur, & mente, maiora concipiat:* *De vit. beat. c. 20.* Quando vix eſt vt magnum aliquid ab eo expectes, qui animo humili atque remiſſo, nullo ſublimi propoſito, nullâ cogitationis magnificentiâ, arduum cæleſtis ſapientiæ ac virtutis ſtudium arripuerit.

Quamobrem virum ſanctum è noſtro Ordine, eundemque rerum quæ ad ſpiritum ſpectant expertiſſimum, Baltazarem

 Aluarez,

Aluarez, Societatis nostræ tyrones suæ disciplinæ commendatos, accepimus, præcipuo studio ita solitum instituere, vt ab ipso vitæ spiritualis exorsu, magnas atque sublimes, Deique filijs condignas cogitationes, induerent, in omnem deinceps ætatem, ad præclaræ virtutis exempla grandia profuturas: cùm, inter alia fortia dicta, eosdem hac præclarâ voce iden-

Vit. P. Balt. c. 20. tidem incitaret: *Nemo degeneret à sublimibus cogitationibus filiorum Dei.* Atque huius moniti crebrò à Magistro reperiti tanquam aculeum, tam altè inhæsisse in audientium animis, vt ab eâ disciplinâ nonnulli, cùm in itinere Brasilico, in eas oras, duce P. Ignatio Azebedo, Euangelij gratiâ submissi, in crudeles hæreticorum manus incidissent, hac se maximè voce, ad mortem in causâ fidei fortiter subeundam hortati sint: *Non degeneremus* (aiebant sibi) *à sublimibus cogitationibus filiorum Dei.* Tanti est, à primis vitæ sanctioris incunabulis, eiusmodi excelsis cogitationibus, aduersùs vim omnem, & casus acerbos, qui incidere possint, pectus armasse.

Ad extremum hisce confirmandis concludendisque summi Doctoris, S. Augustini, illustre in eam rem proferamus exemplum. Etenim, vt quod res est dicam, sæpe me illius, quem in hac nostrâ Dissertatione præcipuum ducem habemus, S. Doctoris libros nonnullos, quos ille vix bene conuersus, & vel nondum tinctus, vel certè à sacro lauacro recens, de Ordine, contra Academicos, de beata vita, de libero arbitrio, alijsque de rebus egregiè scripsit, legentem, non mediocris incessit admiratio: hominem inoliris vitijs, voluptatibusque altè immersum, tum sæcularibus duntaxat imbutum litteris, ad hæc Manichæorum cæcis nuper implicatum erroribus, non modò repentè ex illo cœno sic emersisse, vt (quod ipse scri-

L. 9. Conf. c. 1. bit) illi subitò suaue esset, *carere suauitatibus nugarum, quas amittere metus fuerat*; Sed etiam (quod huc propriè facit) in eam iam tum assurrexisse generosæ mentis excelsitatem, eaque animo concepisse magnarum cogitationum semina, & tanquam principia exaggeratæ sapientiæ quibus ad germanum Dei amorem, robustamque virtutem, totâ deinceps vitâ conniteretur. Et mirabitur mecum, vt opinor, qui studium aliquod in eo lectitando posuerit; potuisse illum sub ista initia ijs abundare diuinis sensis, suosque tractatus (quanquam aliquatenus Rhetori, quod erat, quàm Theologo propiores) tam præclaris, tamque sublimibus, atque ex intimo tanquam penetrali

veræ

veræ ſapientiæ depromptis, illuminare, & quaſi conſecrare, ſententijs, quarum etiam luce hos noſtros ſermones, hinc atque illinc, prout res tulit, libenter aſperſimus.

Veruntamen, præter illuſtre atque eminens ingenium, indolemque virtuti cognatam, quam ipſe deſcribens in ſuis Confeſſionibus, ait ſeſe etiam puerulum, *in ipſis paruis paruarumq; rerum cogitationibus, veritate delectatum*; eò in primis non parum contulit ingens, quo idem etiam imbecillâ adhuc ætate, lecto Ciceronis Hortenſio, alijſque libris philoſophicis exarſit, amor ac ſtudium adipiſcendæ ſapientiæ; eôdem accedente poſtea, lectione Epiſtolarum Apoſtoli, quę virum iam factum haud paulò vehementiùs inflammauere. Qua de re iuuabit illum audire, cum Romaniano ciue ſuo, cui ſeſe fatetur multis obſtrictum nominibus, quemque adeò exemplo ſuo ad idem decus ac ſtudium prouocare contendit, libro contra Academicos ſecundo, ita loquentem: *Cum ecce tibi, libri quidam pleni, vt Celſinus ait, bonas res Arabicas vbi exhalarunt in nos; vbi illi flammulæ* (hoc eſt, primis illis igniculis ac deſiderijs obtinendę aliquando ſapientię) *inſtillarunt pretioſiſſimi vnguenti guttas pauciſſimas; incredibile, Romaniane, incredibile, & vltra quàm de me fortaſſe & tu credis, & (quid ampliùs dicam) etiam mihimetipſi de meipſo incredibile, incendium concitarunt.* Sic Auguſtinus; eum, vt exiſtimo, Celſinum Iulianum Numidam citans, cuius meminit Agellius l. 19 c. 7. & 10.

L. 1. c. 10.

L. 3. c. 4.

Cap. 3.

Ad hæc voluit fortaſſe Deus, vti olim Paulum, ita & hunc futurum orbis magiſtrum, eidem infuſo ſpeciali dono ſapientię, ad id muneris cui deſtinabatur, à principio idoneum reddere; eumque prę cæteris clariori lumine, rerumque cæleſtium penitiore notitiâ, quâ ipſam deinde illuſtraret Eccleſiam, impertire.

Vt vel hinc intelligas, haud temere quenquam ad vitę ſublimis, excellentiſque virtutis decus, aſpiraturum ac peruenturum eſſe, qui non ab ipſis ſalutarium ſtudiorum exordijs, generoſis inſtructus cogitationibus, non vulgaria, non mediocria, ſed grandia præſumat animo: quando & ipſi Prouidentię, quę ad fines ſuos rationibus aſpirat conuenientiſſimis, ſolenne eſt, ſiquos ad res grandes, & ſumma exempla deſtinet, vel his, iam inde ab ætate tenera, excelſas rerum diuinarum notiones, ſenſuſque eximios indere; vel dum extra ordinem eos poſtea ad ſe conuertit, eoſdem quadam cogitationum mentiſque magnificentiâ, & tanquam ſpiritu principali, donare.

CAPVT

CAPVT XIV.

Expenditur S. Ambrosij locus insignis; Beatam vitam in altitudine Sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate, collocantis.

Cap. 5. CÆterùm his quę modò diximus paulò ampliùs illustrandis, audire iuuet S. Ambrosium, in secundo de Officijs, de vita beata disserentem, eamque suis quasi terminis definientem.

Nam cùm illud sumpsisset comprobassetque, pluribus & grauibus, de Saluatoris Euangelio, sententijs; ea, quę vulgo videntur bona, puta quę corporis aut fortunę bona dicuntur, non solùm per sese nihil conferre ad fructum beatitudinis, sed dispendio potiùs ac detrimento esse; consequenter subijcit, non in his proinde beatam vitam consistere, sed (quę S. Doctoris pulchra verba sunt) *in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate.* Et hæc ille quidem de vitâ beatâ, quę possit etiam obuenire mortalibus; quam ibidem appellat fructum præsentium, cùm vitam æternam dicat spem esse futurorum.

Quam autem eum dixerimus appellare altitudinem sapientię? nisi illam, quam commendabamus, mentis ingenuę & verè liberæ excelsitatem, quâ rem vnamquamque reducit ad causas altissimas, solumque Deum contemplatur in omnibus; neque verò abiectis rapi se sinit implicariúe, vulgi imperiti atque profani opinionibus, sed veris, & summis, æternisque rationibus ducitur. Quando in hoc maximè sita est sublimitas atque eminentia cælestis illius sapientię, diuinæque indolis generositas; eoque præsertim (vti dicemus proximo capite) sapiens à stulto differre & distare videatur.

Conscientię autem suauitatem in eâ, vt existimo, animi pace collocat: quem nulla in primis grauior culpa remordeat, sed delectet vitę innocenter actę conscientia; nec vlla deinde solicitet affectionum perturbatio, ipsis animi motibus rationi bellè consentientibus, & æquabili morum sibimetipsis congruentium harmoniâ attemperatis; quem denique inter casus aduersos, atque acerba mortalis vitę, tum ipsa soletur præ-

ſens dulcedo, ſuimet conſciæ ſapientiæ, tum poſiſſimùm eius, quam ſuprema nobis proponit autoritas, expectatio felicitatis. Quam animi pacem ſuauitatemque conſcientiæ, quacunque temporum varietate, viciſſitudine rerum, imperturbatam, quiſquis non prorſus inſulſus ſit, neque peponem cordis locu habeat (quod obiectabat Marcioni Tertullianus) quibuſvis ſenſuum illecebris, aut vitæ quantauis corporearum voluptatum copiâ circumfluenti, nimium quantum anteferendam exiſtimet. Iſtud enim quanto interius, tanto ſolidius eſt gaudium: vbi reliqua quæ diximus, ſiue (vt Senecæ voces vſurpem) *hæc quibus delectatur vulgus tenuem habent ac perfuſoriam* (ſeu quod vulgo dicitur, ſuperficiariam) *voluptatem; & quodcunque inuectitium gaudium eſt, fundamento caret.* L. 4. c. 40. Epiſt. 23.

Iam verò virtutis ſublimitatem manifeſtè illam intelligit B. Ambroſius, quâ humanus animus, quibuſvis præſentis ſæculi ſeu bonis, ſeu malis major effectus, neque illis exultat vt veris bonis, neque his vt veris malis frangitur; ſed velut in alta conſtitutus arce ſapientiæ, deſpicit omne quod infra ſe eſt; neque quicquam niſi quod æternum ſit, ſuâ contemplatione, deſiderio, amore, admiratione dignatur. Quam in rem idem S. Doctor, tum Patriarcharum, tum maximè Sancti Iob profert exemplum; qui excelsâ animi virtute tot ærumnarum atque dolorum acerbitatem obduxerit, & quaſi non ſenſerit, beatæ meſſem conſcientiæ interpellantem. Quando & Tullio in ſecundo Tuſculanarum obſeruatum eſt; *amplitudinem, & quaſi quandam exaggerationem animi, in contemnendis & deſpiciendis doloribus maximè enitere.* Cuius item beati viri (Iobi inquam) virtutis ſublimitatem, cum altitudine ſapientiæ coniunctam, deſcribens S. Auguſtinus, in quo ea conſiſtat ſatis oſtendit, dum libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ de eo in hunc modum philoſophatur: *Neque illum commemorabo virum, à quo in magnis cruciatibus corporis, & horribili tabe membrorum, non modò ſuſtinentur humana, ſed etiam diuina diſputantur. In cuius ſingulis vocibus ſatis elucet, ſiquis æquo animo attendat, quanti pendenda ſint iſta, quæ cùm volunt homines per dominationem tenere, ab ipſis potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium ſerui fiunt, dum imperitè Domini eſſe deſiderant. Amiſit namque ille omnes diuitias, & factus repentè pauperrimus, tam inconcuſſum animum tenuit, & infixum Deo, vt ſatis demonſtraret, non illas ſibi fuiſſe magnas, ſed ſe illis, ſibi autem Deum.* Hæc magnificè S. Auguſtinus. Cap. 23.

Veruntamen absterrebit forsitan adeò exaggerata excelsitas amatorem sapientiæ; & illam, quam prædicat Ambrosius, seu altitudinem sapientiæ, seu virtutis sublimitatem (vnde religatus pendeat fructus ille desideratissimus, suauitas inquam conscientiæ) vt pauci, quos æquus amarit Deus, eam assecuti sint, maiorem censebit consuetis viribus mortalium; suis certè videri desperandam.

At enim amanti volentique nihil est arduum; & ipsa difficultas, animo nobili pro stimulo est; seu, quod dixit Annæus, *generosos animos labor nutrit*; & sensim etiam peruenitur ad summa; & sine labore nihil magnum fit; & quocunque pretio digna est immortalitas sapientiæ, ac beatæ spes æternitatis. Quanquam neque rem istam adeò difficilem sentiet, siquis animo paulum supra vulgus erecto, paulatim incipiat atque consuescat mentem à sensuum consuetudine abducere, & res istas mortales, non vt vera bona, & quicquam per sese ad animi pacem, beatitatemque facientia, aspicere, sed, quod reuera sunt, vt vanas, fluxas, perituras, infimas, viles, & mentis humanę excelsitate indignas; despicere; eoque condiscat, quod ita commendant litteræ sacræ, in hoc orbe, velut in alieno, & tanquam peregrinus degere, aut, Saluatoris verbo, esse in mundo, & de mundo non esse. Quò quidem conniti, magni animi esse proprium, etiam Seneca sensit, his verbis: *Ideo magnus animus, conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, vt in hac statione quâ positus est, honestè se atque industriè gerat; cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt, suum iudicat; sed vt commodatis vtitur, peregrinus & properans.*

Epist. 31.

Ioa. 17. &c.

Epist. 120.

Hæc ille excelsè, præclarè; & quæ Chrysostomo, Augustinoue Lector tribuat, si non nominarem autorem.

Philo Iudæus libro de Somnijs, de mysticâ scalâ Iacobo Patriarchæ in somnis oblatâ agens, deque eiusdemmodi mysterijs; hortatur, ne à consectandis occultis cælestis sapientię, vllâ absterreamur difficultate, quę principio offerri videtur, sese ad id studium exercitationemue conferentibus. *Ipse enim antistes*, inquit, *siue factotum enarrator*, (puta diuina Sapientia) *submonet, ne desperemus; donec nos introducat in penetralia, illatoque lumine, ostendat mysteria nunquam visa profanis hominibus.* Quasi nimirum ab atrijs non sit difficilis futurus transitus in adyta; atque ad altitudinem sapientię demum peruenturus sit, quisquis illius gustu accepto, animum in dies

magis magisque à terrenorum contagione seuocauerit. Vnde etiam subdit laudatus autor : *At vos animæ, quotquot diuinum amorem gustatis, tanquam ex alto somno excitatæ, discussâ caligine, properate ad mirificum spectaculum* &c.

At verbis longè pulcherrimis & appositissimis Plotinus, de diuinâ pulchritudine perfectè contemplandâ disputans, ad quod via sola sit (quod dicebamus) siquis vana sensuum oblectamenta aspernetur, animumque suum ab omni auellat rerum corporearum consuetudine; in idque, eandem cum Philone vsurpans adytorum allegoriam: *Quis itaque modus*, inquit, *quæ machina, quæ ratio, quâ inæstimabilem pulchritudinem contempletur? Pulchritudinem, inquam, in sacris adytis constitutam, neque prodeuntem foras, nequis profanus inspiciat. Ingrediatur ergo & progrediatur quicunque potest in intima, extra relinquens intuitum oculorum, neque solita spectacula sensuum à tergo respiciens. Oportet enim hæc intuentem, nihil corporeæ pulchritudinis vltrà spectare; sed cognoscentem, corporea hæc esse imagines, vestigiaque, & vmbras, ad illud omnino confugere, cuius hæc simulacra sunt.* Enn. 1. l. 6. c. 8.

Quibus duo quædam tradit Plotinus, non tam è Platonis Academia quàm ex ipsis adytis Christianæ Philosophiæ (quam ex parte gustarit, præceptore vsus Ammonio Alexandrino, Philosopho Christiano) deprompta.

Primum: viam vnicam ad inæstimabilis pulchritudinis contemplationem, siue ad intimum sapientiæ penetrale aspirandi, hanc scilicet esse; vt quis à sensibus, eorumque illecebris animum, omninoque à rerum infimarum studio, consortione, cupiditate, seiunxerit. Neque enim mentem nisi ab his rebus, quas tantopere mortales affectent, seiunctam ac nudam, posse gustum vllum diuinæ illius suauitatis, aut intimæ sensum sapientiæ, accipere.

Alterum, quo veluti gradu ad prius illud niti possumus; oportere eum, qui à pestifera rerum corporearum dulcedine expedire sese ac distrahere, seducereque voluerit, temporalia cuncta, non vt vera bona atque solida aspicere (quod in superioribus, cum S. Ambrosio, nos etiam non semel admonuimus) sed velut verorum, hoc est diuinorum, bonorum vestigia quædam, immo vmbras duntaxat, atque imagines obscurissimas, attendere: quo equidem fiat, vt humanus animus, non iam capiatur illarum rerum vmbraticâ specie, neque in illis supra suum De fuga sæc.

 meritum,

meritum, quasi ipsius amore dignis, improuidè figatur & adhæreſcat; sed potiùs velut ab imagine transeat ad exemplar verissimum; ipsamque diuinam pulchritudinem, quippe his infinito præstantiorem, & in quâ hæc ipsa multo nobiliùs atque excellentiùs existant, in illis spectare atque diligere consuescat, totisque sitire ac suspirare præcordijs.

Cæterùm nescio an ad ista Plotini respectum aliquem forsan habuerit S. Augustinus; dum libro de vera Religione diuersis capitibus, res istas sensibiles considerat & ipse, tanquam vestigia, vmbras, imitamenta summæ pulchritudinis ac veritatis incommutabilis; atque eius libri cap. 22. eapropter indicat nos, ab istarum rerum cupiditate, æternâ lege prohiberi; *ne vmbris rerum decepti, ab ipsis rebus, quarum illæ vmbræ sunt, aberremus*: & propiùs ad Plotini mentem, tradit cap. 49. nos, res eiusmodi inordinatè diligendo ijsque tanquam primis pulchris inhiando, ab ipsa veritate excidisse; quia scilicet mens, rerum sensibilium cupiditate, obnubilata & obscurata, iam non potest in illis, summam veritatem ac pulchritudinem, cuius sunt imagines, agnoscere; quin etiam nobis ab illis vmbris ad ipsam veritatem assurgere subinde volentibus, occursant rerum, à quibus recedere conamur, impressa menti phantasmata, quę inter res istas & summam veritatem interposita, velut iter obsident, nequâ valeamus ad illam contuendam & complectendam accedere. Placet autem ipsa Doctoris eximij verba, huic loco

De ver. Relig. c. 49. concludendo producere. *Sed diligendo talia (* inquit *) excidimus à veritate, & non iam inuenimus, quarum rerum imitamenta sint, quibus tanquam primis pulchris inhiamus; & ab eis recedentes, amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad inuestigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, & nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidijs latrocinantia; non intelligentibus quàm latè pateat, quod dictum est: Cauete à simulacris.*

Denique eam rem, etiam ante Plotinum Philo, & ipso pro ingenio Platonissans, quodam loco, quem iam Parte 2. memorauimus, breui dicto, sed acuto, complexus est, in-

De plant. Noë. quiens: *Nam quæ sensui pulchra sunt, intellectui, pulchrorum imagines sunt.* Quibus addere possumus, de sapientiæ mysticę consultis Ludouicum Blosium, in sua Institutione spirituali ita scribentem: *In hoc autem sensibili mundo, ea quæ videmus, symbola*

ſymbola quædam & ſigna verorum ſunt tantùm, quæ cum tempore labuntur & prætereunt.

CAPVT XV.

Sapientem à ſtulto hoc maximè diſtare, quòd ille æternis rationibus, hic temporalibus ducatur.

QVò magis diſtinctè pronuntiati huius vis ac ratio percipiatur, iuuabit in primis animaduertere: rationum æternarum appellationem non vno modo accipi poſſe.

Primùm enim, æternæ rationes appellantur ideæ diuinæ, ſiue formæ rerum faciendarum in diuinâ intelligentiâ exiſtentes, ſecundùm quas velut archetypa rerum exemplaria, ſiue (vt Macrobius appellat) *originales rerum ſpecies*, quæcunque à Deo in mundo fiunt, vniuerſa formantur. Sic enim S. Auguſtinus ideas diuinas deſcribens, ait: eſſe *principales quaſdam formas, ſtabiles atque incommutabiles, ac per hoc æternas; quæ diuinâ intelligentiâ continentur*. In quem etiam ſenſum, alibi ab eodem, Verbum Dei dicitur, *ars quædam omnipotentis & ſapientis Dei, plena omnium rationum viuentium incommutabilium.*

Lib. 1. in Somn. Scip. c. 2.

L. 83. qq. q. 46.

L. 6. de Trinit. c. 10.

Atque æternis rationibus hoc primo modo acceptis, reſpondet in rebus, propria in primis cuiuſque rei, tum ipſius Vniuerſi, ratio; tanquam (quod non ſemel admonuimus) expreſſa nota, veſtigium, character artis, omnipotentis artificis.

Alio modo rationes æternę dicuntur ipſa Dei lex aut prouidentia, ſiue ſempiterna ratio ac diſpoſitio, ſecundùm quam, tum reliqua omnia, tum potiſſimùm naturæ rationales, homineſque adeò ſinguli, ad fines ſuos; &, (quod quidem ad naturas rationales pertinet) ad finem æternę beatitudinis, partim manifeſtis, partim occultis modis, ſuauiter ac fortiter, deſtinantur, aguntur, peruehuntur.

Iſtæ enim ſunt, quas item agnoſcit Auguſtinus, *æternæ rationes eorum, quæ temporaliter facta ſunt; ſeu æternæ temporum & quodammodo cardinales cauſæ*; rurſumque *æternæ atque incommutabiles Dei leges; quæ in Sapientia Dei viuunt*; & in quibus ait Angelos Sanctos mutationes temporum ac temporalium prævidere. Eodemque faciunt & illa Seuerini Boëtij

L. 9. de Ciuit. dei c. 22. &c.

L. 3. de consol. metro 9. *O qui perpetuâ mundum ratione gubernas,*
Terrarum, cæliq́; sator; qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq́; manens das cuncta moueri. Et quę sequuntur.

In qua acceptione, æternis istis rationibus, siue legi ac prouidentiæ diuinæ, in rebus ipsis Fatum respondet Christianè definitum ab eodem Boëtio: *inhærens* scilicet *rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam Prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* L. 5. pros. 6.

Postremò, rationes æternæ importare possunt præscripta quædam atque dictata diuinæ mentis, non quæ iam ipsi sint agendorum ratio, sed regulæ potiùs ac præscriptiones humanæ vitæ; seu quibus, in constituendis exigendisque vitæ suæ rationibus, niti oporteat naturam mentis arbitrijque compotem, vt ex sapientia atque virtute viuat, atque ita sese ad finem sibi propositum, æternæ salutis ac felicitatis, promoueat. Ex qua descriptione animaduertes, rationes istas præscriptionesue diuinæ mentis, non eò duntaxat æternas dici, quoniam ab omni æternitate ex diuinâ mente processerint, aut in eâ extiterint; sed inde etiam, & quidem (si præsens scopus spectetur) vel maximè; quòd veluti finem, ipsam æternitatem respiciant, hominemque ipsum, non ad temporalem tantummodo felicitatem, vsusue adaptent mortalis vitæ, sed ad vitam perennem, fructumque conducant sempiternæ felicitatis.

His porrò æternis dictatis ac præscriptionibus, ad extremum respondet in nobis, tum ipsa ratio naturalis, vt est deriuatio legis æternæ, *secretum illud* (vti egregiè apud Augustinum appellabat puer Adeodatus) *Dei intus docentis oraculum*; tum fidei lumen, & infusæ donum sapientiæ, quæ menti humanæ finem præmonstrant naturali lumine superiorem, & vias ei consequendo consentaneas certissimè dictant atque præscribunt. De Magistro cap. 14.

In quem maximè sensum hoc loco dicimus sapientis esse, in omni consilio, in omni motu & actione vitæ, æternis duci rationibus: tametsi & ijs, quas antè posui, rationibus diuinis eatenus obsecuturus est; vt & artis diuinæ, æternæque Sapientiæ opera, non modò miretur, approbet, laudet, sed etiam inuentam in illis modulatissimam dispositionem, ordinemque incomparabilem, ad vitæ suę rationes moresque rectè componendos, imitatione quadam atque expressione transferat:

vtque

vtque in æternis quoque decretis supremæ prouidentiæ, quidquid illa tandem vtramuis in partem, siue vniuersè, siue priuatim ferant, pari vbique animi pace, immo (quod robustæ, neque vulgaris virtutis est) cum dulci ac iucundo sensu Deo subditæ mentis acquiescat, etiam inter acerba vitæ. Quam rem nos plusculis Parte 2 pertractauimus.

Potest autem in præsenti capite à nobis asserta veritas argumentis euinci necessarijs; ijsque velut ex causæ visceribus, ex ipsa inquam Sapientiæ naturâ, & propriâ notione, seu definitione petitis.

Primùm enim, vt ex Philosopho non semel docet S. Thomas: *Ad Sapientem pertinet considerare causam altissimam, per quam certissimè de alijs iudicatur, & secundum quam omnia ordinari oportet.* Atque de ratione sapientiæ & sapientis simpliciter est, vt spectet in omnibus causas altissimas simpliciter, (hoc est, Deum atque diuina) & secundum eas omnia ordinet; atque id non merâ sterilique contemplatione (quæ ex dictis suprà non est digna nomine veræ sapientiæ) sed quæ etiam cor afficiat, mores informet, vitam dirigat: ita vt qui verè sapiens dicitur, etiam agatur spiritu sapientiæ cælestis. Secundùm quod etiam Doctor Angelicus, scribens in Tertium Sententiarum, ait: *quod homo per donum sapientiæ vnitur altissimis causis, transformatus in earum similitudinem.* Qui igitur erit huiusmodi, is in omni vitâ diuinis ducetur atque æternis rationibus, quæ expetendorum agendorumúe causas continent altissimas, suntque primæ ac summæ omnis verè boni, pulchri, honesti præscriptiones.

Metaph. l. 1. c. 2. 22. q. 45. a. 1. 1. p. q. 1. a. 6.

D. 34. q. 1. a. 2.

Rursum: sapientis est similiter, in cunctis quæ intendit & agit, ad finem vltimum respicere humanæ vitæ. Finis quippe simpliciter vltimus, primum ac summum expetendorum est, atque adeò prima, & altissima, vniuersalissimaque regula cæterorum omnium expetendorum. Alioqui enim superuacanei atque ridendi laboris sit, eo omisso quod & sui gratiâ & per se summè expetendum est, totum occupari delassarique in medijs, quæ cùm non sint ipsa finis vltimus, non suo merito expetenda sunt, sed boni duntaxat vlterioris gratiâ, cuius tamen insecutio negligitur. Vt is proinde labor meritò possit, cum Scripturâ Diuinâ, *labor stultorum* appellari. Quando igitur Christiano constat, humanæ vitæ finem vltimum, Deum esse æternamque vitam; seque ita natum æternitati, vt nisi dum

Eccl. 10. v. 15.

vluit sibi in ipsam æternitatem consulat, summè infelix futurus sit; summè verò felix, si ei comparande, sanctitate morum aptauerit se, neglectis desiderijs, & *curis huius vitæ*. Sapientis est profectò (quod ait Psalmista) annos æternos in mente habere, ęternitatem vnicè spectare, ad illam suas cogitationes, consilia, actus, omnemque vitam dirigere, seu (velut in presenti loquimur) vniuersis in rebus ad rationes ęternas attendere. Contrà autem, non nisi insipientis, vno illo necessario neglecto, rebus intendere supervacuis, & ea quę per se ad finem humanę felicitatis, hoc est, ad summum bonum, nihil conferunt, pro fine vltimo, seu tanquam pro rebus summè expetendis, habere; verbo, propter vsum temporalium, ęternorum fructum amittere.

Luc. 21. v. 34. Ps. 76. v. 6.

Præterea ex Ethicę scitis, ipsaque naturâ, notum est: oportere hominem, si naturę humanę conuenienter, & suę dignitati consentaneè acturus est, in vita ducenda instituendaque, ad id quod in homine ipso supremum sit, attendere, atque ad id velut ad primam summamque eo in ordine regulam, actus moresque suos accommodare ac conformare. Cumque homini, vltra regulam sensuum, quę ei cum brutis animantibus communis est, ratio insuper data sit, tanquam naturę rationalis propria lex, & propinqua regula operandi: atque hæc (ex S. Augustini, aliorumque Doctorum sententiâ) in inferiorem superioremque bipertita sit; non reali istius facultatis in plures partes diuisione, sed solâ officiorum diuersitate; secundùm quam, ea *dicitur ratio inferior, quæ rebus intendit temporalibus; superior autem, quæ intendit æternis conspiciendis aut consulendis; conspiciendis quidem, secundùm quod ea in seipsis speculatur; consulendis verò, secundùm quod ex eis accipit regulas agendorum*: hinc etiam manifestum euadit, eum qui supremam sibi inditam regulam sequi velit, intendere debere, nitique ęternis rationibus. Alioqui sanè, velut homo non sit, qui sensu solo, non ratione ducatur: ita qui in agendo solam sequatur rationis inferioris regulam, vt homo sit, non fore sapientem.

Lib. 12. de Trin. c. 7. S. Thom. 1. p. q. 79. a. 9.

Denique cùm ex ipsâ etiam sapientię notione exploratum sit, sapientis esse, de rebus non prout apparent, sed prout in se sunt, verè ac rectè iudicare, & quod hinc sequitur, vnamquamque rem pro suo merito ac dignitate ęstimare: consequens quoque est, sapientis esse, vera bona falsis, mansura caducis,

æterna temporalibus anteferre; atque his despectis atque despretis, ad illa suspirare votis omnibus, ad illa incenso studio, totoque conatu aspirare: & qui secus faciat, hoc est qui æternorum, aut fastidiens, aut negligens, temporalibus eorum vmbris ac simulacris totus incubet, itaque his hæreat affixus, quasi ista sola aut vera, aut expetenda, bona sint; tametsi id nullo mentis errore, sed practicâ duntaxat animi inductione faciat; meritò censendum appellandumque insipientem. Quô illa pertinent B. Chrysostomi in Psalmum 48. ita scribentis: *Quid est autem: simul insipiens & stultus peribunt? Mihi videtur verba facere de impijs, qui toti præsentibus rebus affixi sunt, eaq; suspiciunt, de futuris autem nihil philosophantur; eâ de causâ vocans eos insipientes.*

Ex quibus omnibus consequenter intelliges; quomodo verum sit, quod præfert Capitis inscriptio, eâ maximè re à stulto distare sapientem. Nam cùm (vt ostensum est) eò maximè sapiens dicatur, quicunque verè & absolutè est sapiens; quòd vnamquamque rem pro suo merito æstimans, temporalia, pro breuibus paruisque seu bonis, seu malis habeat, æterna verò vt vera, vt magna, atque solida aspiciat; atque rebus suis proinde ita prouideat, vt cùm se, quod ad animum attinet, immortalem esse meminerit, id vnum sit solicitus in vita, qua ratione sibi in æternum bene atque beatè futurum sit, nihil interim admodum pensi habens, quid circa se tandem rerum agatur, in diebus peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit: stultus autem eò vel maximè talis existimetur, quòd contrario modo affectus sit; quasi sensu solo, non ratione aut fide regatur, præsentium amator, futuri negligens; affixus tempori, incuriosus æternitatis: fit vt hac ipsâ re à stulto maximè potissimumque distet sapiens; cùm ex Scholâ notum sit, per hoc vnumquodque per se primò differre à cæteris, perquod per se primò; in sua ratione, suoque esse constituitur. *Eccl. 7. v. 1.*

Atque ei rei confirmandæ concludendæque, peridonea videtur quædam Platonis vox; quam veluti de cælo demissam, præ cæteris illius dictis, meritò diuinam appellandam censeas, & in Christiano etiam pectore altè ac penitùs inscribendam. Ita enim ille in quadam epistola: *Deus hominibus sapientibus & prudentibus est lex: insipientibus autem & imprudentibus, voluptas.* *Epist. 8.* Quid enim est hominem sapientem in vita degenda Deum vt legem attendere: nisi quod hic dicimus, æternis duci, siue di-

 uinis

uinis rationibus? Insipientem autem, voluptatem pro lege habere; reipsa idem est, atque in omni vita, instar brutę pecudis, trahi sensuum lenocinijs, & quidquid incidit, pro animi sui solâ libidine facere; æternarum autem diuinarumque rationum, nullum respectum, aut cogitationem habere.

Neque tamen quæ modò diximus, in hunc sensum quisquam, vt existimo, accipiet: tanquam omni rerum temporalium tractatione abstinendus sit sapiens, atque extra anni solisque vias, hoc est, extra omnem humanam consuetudinem, rerumque vsum, ablegandus: sed quod in his, nimius inordinatusque animi affectus, præcidendus sit, & vsus rerum temporalium, ad rationes æternas referendus. Aliud quippe est temporalium rerum, prout temporum necessitas, instituti ratio, officijue conditio postulet, curam aliquam gerere: aliud in earum vsu, tractatione, administratione, temporales duntaxat rationes aspicere, his duci trahiúe, atque ab his demum totum pendere. Quando & superiùs, etiam ex Senecæ mente vidimus: magnum animum daturum operam, vt in hac statione quâ positus est honestè se atque industriè gerat: quanquam eis rebus, quæ circa ipsum sunt, non attendet quasi quicquam ad se pertinentibus, sed vt alienis & commodatis vtetur, peregrinus & properans. Vtetur igitur temporalibus rebus etiam sapiens, sed in harum vsu pendebit ab æternis rationibus secundùm quas, velut altissimas regulas & vniuersalissimas, iudicabit de omnibus, & ipsa disponet ordinabitque temporalia, neque tempori ipse seruiet, sed huius vsuram beatæ subiunget & attemperabit æternitati. Vt enim pulchrè ac disertè Doctor
1. p q. 79. art. 9. Angelicus: *Secundùm viam inuentionis, per res temporales in cognitionem deuenimus æternorum. In viâ verò iudicij, per æterna iam cognita de temporalibus iudicamus, & secundùm rationes æternorum temporalia disponimus.*

Interim, quoniam ad vitam beatam liquet in hoc multum esse momenti, placet paulò ampliùs eidem argumento insistere, & procliuioris vsûs gratiâ, nonnulla obseruare particulatim.

CAPVT

CAPVT XVI.

Nonnulla iam dictis superadduntur, atque propius ad actus nostros, vsumq. vitæ, applicantur.

IGitur, si nomen ac munus suum, si professionem dignitatemque tueri velit; sempiternis tantùm rationibus atque decretis, in vita agendâ ducetur sapiens, non, quod vulgus solet, temporalibus.

Siquidem plerique mortalium; siue vltimi finis, ad quem benignâ Dei prouidentiâ conditi sunt, aut ipsius veri ac summi boni, ignoratione; siue indolis vitio, curuæ in terras, & ad cælestia diuinaque parum propensæ; siue quodam rursum quasi stupore, aut tarditate ingenij ad ea quæ sensum fugiant attingenda, proferre sese & attollere non valentis; siue, & præcipuè, quòd sensuum occupati illecebris, & rerum istarum fugientium, vel falsâ delusi specie, vel pestiferâ consuetudine capti; ab his nequeant se, nisi violenter, auellere: his inquam de causis plerique mortalium, vti bonum suum solâ temporali felicitate, ita vitam suam temporalibus duntaxat rationibus, metiuntur. Quos tametsi acutos sapientesque in rebus præsentis sæculi, attamen diuini Spiritus nomenclationem imitati, stultos eâ causâ dicimus, quòd in nugis serij, in summè serijs, æternique momenti rebus, ludere videantur; ac de rebus nihili operosè solicitii, in omnem deinceps æternitatem sibi pessimè infelicissimeque consulant. Ex quo intelligas, non eos solos pro insanis habendos, qui vulgò tales habeantur; sed eorum quoque longè plurimos, qui passim prudentes & sapientes existimentur, etiam præ istis esse insanos. Vnde, ex Lucilio suo quærens Seneca: *Quam tu nunc vitam dici existimas stultam? Baba an Ixionis?* quos quidem oportet homines, notę fatuitatis eo æuo fuisse. *Non est ita*: respondet. *Nostra dicitur: quos cæca cupiditas in nocitura, certè nunquam satiatura, præcipitat.* Quasi si istas voces audisset, in plateis prædicantis diuinæ Sapientiæ: *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti, ea, quæ sibi sunt noxia, cupient?* Epist. 15. Prou. 1. 22.

In quem maximè censum Christianus peccator referendus est: quippe qui felicem infelicemúe æternitatem, pro ope-

rum cuiusque promeritis, vnumquemque manere intelligens, perinde viuit; quasi nihil restaret post hanc vitam; aut certè tanquam persuasum habeat (quod quidem non verbo sed factis videtur ostendere) temporalia bona, malaúe, æternis seu bonis, seu malis esse anteponenda. Quid enim insaniæ (ne furori dicam) affinius? quàm, cùm ita credas, ita viuere; & propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, scientem, volentem immortalibus se pœnis, ac sempiternæ confusioni obijcere? Quò iam non inscitè excogitatum animaduerras illud, quod nullo certo autore passim circumfertur acroama: Vniuersæ turbæ peccantium, duos tantùm carceres esse in orbe necessarios, quorum alter infidelibus, alter insanis, destinetur. Vel enim, qui Deum, summum, præpotens, sempiternumque numen, idemque omnium, quæ quomodocumque geruntur, conscium, scelere aliquo audet offendere, ea non credit, quæ de Deo vindice, & interminatâ suppliciorum æternitate, certissimâ nobis autoritate, proponuntur; atque hunc iam constat in carcerem infidelium compingendum esse: vel si ea credit, & tamen peccando, diuini Numinis aduersus seipsum iras prouocat; hunc iam enimuerò esse insanum, atque ad carcerem insanorum ablegandum.

Quod igitur ad vitæ vsum attinere potest in præsentia; hoc primum nobis, idemque in primis conducibile, ac peropportunum, esto præceptum: Christiano homini, ex sapientiâ, hoc est, bene beateque viuere, atque ad extremum æternam vitam, hoc est, finem suum ac summum bonum, apprehendere volenti, enitendum esse ante omnia; vt menti suæ infusam diuinitus æternorum fidem, atque cælestem notitiam, non stabilem, modò, & inconcussam, & pectore intimo altè infixam retineat; verùm etiam, ne elanguescat, & obtorpeat otio, frequenti illius exercitatione, animosaque propensæ mentis sub Dei supremam autoritatem, subiectione, exsuscitare identidem, atque animare, & tanquam alere satagat.

Hebr. 11. v. 1. Etenim cùm fides (prout eam definit Apostolus) *sperandarum sit substantia rerum*, seu, vt est in Græco, *hypostasis*; hac tanquam basi fundamentoúe, ex aliquo motu, siue succussu, in humano pectore vacillante, nutabit confestim æternorum spes, collabescet virtutis studium; nobisque incautis obrepet, quod de prisci æui seu fortibus viris, seu eruditis hominibus, mansuram post fata æternitatem, in solâ gloriæ nominisque

sui

sui (quam sibi fingebant) immortalitate, computantibus, in hunc modum scribit Seuerus Sulpitius : *quippe qui* (vt ait) *humanam vitam præsentibus tantum actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas suas sepulcris dederint.* Praef. vit. S. Mart.

Iam verò si ipsa dormitet fides, neque crebrâ sui exercitatione, vigens, alacris, prompta, &, vt ita loquar, ad casus vsusúe necessarios experrecta sit; nihil est factu procliuius, quàm vt vim illius præuertant, & animum occupent, sensibus nostris magis cognatæ ac familiares illecebræ; atque is, quem Scriptura memorat, fascinus nugacitatis, seu vanitatis, mentem obscuret, & illex animi concupiscentia, sensum etiam rectum transuertat. Sap. 4. v. 12.

Nam veluti suprà ex Epicteti mente diximus, malorum omnium in humano genere hanc causam esse; non posse communes recti notiones, (vt quod, exempli causâ, de honesto amando super omnia bona mortalis vitæ, quisquam generatim iam antè animo præceperit, secumque ipse constituerit) rebus aptare singularibus; siue, regulas agendorum generales, ad casus vsusúe particulares, efficaciter & vtiliter adhibere; concupiscentiâ videlicet (vt cum Philosopho expressè tradit S. Thomas) seu quauis aliâ perturbatione, ligante habitum scientiæ vniuersalis, ne quis eo in præsentia, siue in hoc actu particulari vtatur: Ita modò itidem dicimus, in Christianâ gente omnium fermè malorum hanc esse causam; non posse fidem ad vsus vitæ particulares applicare, atque adiungere: siue quòd in multis fides ipsa modica, languens, dormitans, & quodammodo sopita sit; ex aduerso autem viuax & efficax illecebrarum mortalium per sensus facta apprehensio: siue, quòd eam (vti iam loquebamur cum S. Thoma) liget quælibet vitiosa affectio; vt eâ præuentus atque præpeditus animus, æternas fidei rationes non consideret, aut eas certè velut semisomnis aspiciat; iisque proinde, sic quasi è longinquo propositis, & tanquam ad sese, factumúe præsens minùs pertinentibus, nihil admodum moueatur. Q. 15. de veri. a. 3. ad 6.

Non igitur hoc iam de nihilo est, quod solicitiùs admonitum cupio sapientiæ Christianæ clientem, vt illam quam habet inditam pectori diuinæ lucis tanquam scintillam, fidem inquam suam, frequentiore vsu exsuscitare instituat, & velut pabulo sanctarum meditationum alere; ne vel inertiæ quodam quasi cinere obruta, vel fallacium opinionum obducta fuligine,

vel denique fumo cæcarum cupiditatum obſcurata, minùs valeat, vbi res poſtulet, & animę forſan agatur ſalus, aduerſus ſenſuum illicia, vim ſuam exerere; aut abigendâ à mentis oculo (quod ait S. Leo) terrenarum caligine rationum, fulgorem ſuum explicare.

Serm. 7. de Nat.

Alterum porrò quod ſubmonemus, atque amatori ſapientię valde commendatum eſſe cupimus, iſtud eſt: vt iſto fidei tanquam fundamento poſito, æternarum rerum ac rationum conſiderationi nonnihil ſubinde temporis concedat & operę; atque intermiſſis tantiſper externarum rerum irrequietis ſolicitudinibus, ſubintret cum Rege Propheta in ſanctuarium Dei, & velut abditus intra penetrale Sapientię, interim vacet & videat, quid diſtent æterna temporalibus; ſemotoque omni prauo affectu, qui ſolet recti iudicij ſinceritatem corrumpere, vtrarumque rerum rationibus, iuſtâ, hoc eſt diuinâ, lance perpenſis, pro rei momento, ſeriò cum animo ſuo reputet; quàm denique ſtultum ſit, pro vilibus iſtis & infimis, &, qualiacunque ſint, haud ita multò pòſt amittendis; æternorum ſtudium, quę & in ſe ſumma ſint, & ad hominis bonum ac felicitatem ſummè atque vnicè neceſſaria, negligere; quod in reipſa non eſt aliud, niſi errore miſerrimo, pro veris bonis ac ſolidis gaudijs, eorum vmbras & imagines, aſſiduo labore, nec vllo ad veram felicitatem operæpretio, captare.

Pſ. 72. v. 16.

Ad quod vtique pulcherrimum otium, diuinarum rerum contemplationi, æternarumque rationum ponderationi, fructuosè ſepoſitum, inuitat nos Deus, ore Pſalmiſtæ dicens: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus:* quem equidem locum, ex alia verſione, allegans S. Auguſtinus: *Agite otium, inquit, & cognoſcetis quia ego ſum Dominus: non otium deſidiæ quæro, ſed otium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis. Loca offerunt quod amemus, tempora ſurripiunt quod amamus, & relinquunt in anima turbas phantaſmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnoſus animus, fruſtra tenere à quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad otium, id eſt, vt iſta non diligat, quæ ſine labore diligi non poſſunt.* Iſta Auguſtinus, & verè.

Pſ. 45. v. 11.

De vera relig. c. 35.

Efficiet ſiquidem, ea quam commendamus, in diuinis ſempiterniſque rationibus otiosè conſiderandis, per certa quædam interualla temporum, conſtanter aſſumpta, & piè fideliterque vſurpata, exercitatio: primùm, vt ne toti defixi hæreamus, immerſique

immersique in res istas infimas; sed ex his subinde nonnihil sublato capite, vultuque in sublime erecto, captemus interdum hauriamusque cælestem auram, & aliquâ saltem velut strictura lucis æternę, & quodam spiritu atque odore diuinorum, afflemur atque recreemur. Quo deinde fiat, vt eorum gustatâ suauitate insolitâ, sanctisque illecebris captus animus, incipiat sensim animaduertere, non tanti esse hæc, quæ adhuc insano quodam amore deperijt, sed habere dulcem illum cæli conspectum, rerumque æternarum memoriam, quod etiam præ mundi gaudijs illecebrisque, amari possit; atque ad extremum, temporalium omnium subeunte fastidio, damnare studium operamque in his hactenus stultè positam, neque his iam affici occupariúe propter seipsas, sed ita duntaxat quatenus æternis rationibus subseruiant, quibus is vnicè teneri, duci, gubernarique constituerit.

Age igitur, sodes, amice lector, interdum in quadam, seu loci, seu tranquillæ mentis solitudine positus, istud degusta sanctæ cogitationis otium, & teipsum velut ex interuallo respiciens, tibique temet ipse reddens, ita subinde tecum, Augustini exemplo, philosophare.

Enimuero quid agimus, anime? &, quid tandem tot anxijs curis, alioque semper atque alio labore, quærimus? aut quâ re denique, quo fructu, quâ ad extremum spe, ætatem, vires, animumque consumimus? Nam quousque cæci atque vecordes, & (quod minùs ferendum) sponte delusi ac miseri, inhiamus rebus fugientibus, merasque bonorum captamus vmbras; & tanquam æternum in hoc infimo orbe mansuri, alterius vitæ, æuique futuri, immemores, in his quæ duntaxat in præsens iuuent, (si tamen iuuent, & non magis angant, inquietumque & ærumnosum reddant amatorem suum) in his inquam sectandis, tuendis, exaugendisque toti sumus? At, nonne vides, vt motibus suis ista transeunt ac deficiunt omnia; immo, quàm maximè possunt, fugiunt, nihil post se, nisi, vel sui hians infelixque desiderium, vel seram & inutilem pænitentiam, relictura? Neque solummodo, si aduertimus, fugiunt ipsa per se singula, sed semet vrgent impelluntque mutuò, veluti perire festinantia, ne in illis stultè defigatur mens, aut improuidè amentur à vecordibus, cum communis Domini ac conditoris iniuriâ. Tanquam ea rerum labentium nusquam intermissa defectio, tacita quædam sit naturæ vox; admonentis, non

L. 6. Conf. c. 11.

se, infirmam ac labilem, sed autorem suum, artificemque semper manentem, ab homine cordato diligendum; neque fallaci vanitati apponendum cor, sed veritati incommutabili, semperque stanti, affigendum.

At neque nos diu inter fugientia stabimus: non enim nos semper præsens ista tenebit vita. Peregrini sumus & properantes: heri venimus, & cras compellemur egredi. *Vita hæc misera est, mors incerta; si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus?* Aliò mox nobis demigrandum est. Quò autem? hîc summa est rei: quæ quidem nobis non leuiter, neque transcursim; sed priusquam hora suprema aduenter, seriò diligenterque, curanda. Neque enim nobis iam nunc tempus erit ampliùs; sed breui infelicique æuo longa succedet, atque immensa, neque sortem suam vnquam commutatura, æternitas, vnumquemque pro vitæ merito; interminatis seu supplicijs seu gaudijs, assignatura. Quid verò nobis futurum censes, si solius temporis curâ susceptâ, nullâ æternitatis prouidentiâ, decesserimus?

Aug. loco cit.

Hoc igitur, si quidquam sapimus, dum vita superest, & summa bonitas resipiscendi tempus indulget, hoc inquam satagamus, anime: & quando id vnum summè & vnicè est necessarium, cæterorum posthac incuriosi (quibus vtique post tot expectationes, frustrationes, fallacias, satis iam sentias expleri non posse, mundo maiorem & ipsi beatæ æternitati natam animam, solo nempe Deo eiusque beatâ possessione, satiandam) omne iam studium, intentionem, curas, cogitationes, desideria, ad felicem illam æternitatem conferamus, de solâ iam æternitate, soli æternitati laboremus. Ne, si secus facimus, sempiterno confusi opprobrio, inter summè stultos insensatosque depuremur; cum diuite illo infelice, qui in eo stolidè se amans, eoque applaudens animæ suæ, quòd multa haberet bona posita in annos plurimos, Dei increpantis irridentisque voce, stultus audijt, ipsaque nocte subductus è vita, ad eam raptus est æternitatem, cui vt prouideret, nulla eius animum vnquam incessit cogitatio.

Luc. 12. v. 20.

His porrò alijsque eiusmodi cogitationibus, Christianæ menti semper obuijs, sed rarò, pro rei momento, in præcordia medullasque demissis, tanquam innutritus atque educatus animus, incipiet, pro indole cælesti, curas suas ad sublimia intendere, & velut ex alto humana terrenaque despiciens, non nisi æternis rationibus, actus suos vitamque gubernare. Quemadmodum,

admodum, inter alios plurimos, facere solitum nominatim accepimus, Beatum nostrum Aloysium Gonzagam: qui in breui quadam institutione ascetica, quam sibi priuatim conscripserat, hoc scriptum reliquit inter cætera: *Alterum quo affectus tuos dirigas, hoc est: eò te religiosiorem magisq; pium* (addere potuit, & sapientiorem, felicioremque) *futurum, quò tuam vitam diligentiùs secundùm rationes æternas, minùs verò secundùm temporales gubernaris.* Vit. Lat. l. 2. c. 16. Cuius proinde Angelici iuuenis exiguam imaginem olim videre me memini, in gratiam piæ iuuentutis Belgico cælo in æs incisam: in qua is conspiciebatur, in quodam cælesti lumine meditabundus, bilancemque prætendens manu, in cuius alterâ lance, coronæ, sceptra spectabantur, & siqua alia terrenæ potestatis ac felicitatis argumenta, in altera autem palma cælestis, flammans gladius, aliaúe felicis infelicisque æternitatis symbola, nimium quantum prægrauantia; adiecto ad imum hoc lemmate: *Eò religiosior magisq; pius futurus, quò tuam vitam diligentiùs*; & cætera vt modò retulimus.

Postremum hoc habeo breuiore monito suggerendum; nimirum in rem in qua modò versamur, nonnihil forsitan posse conducere: si ex his quæ quisque legendo meditandoúe collegerit, selectas ac promptas habeat breues aliquas, fortesque sententias, & velut effata ad rationes æternas pertinentia; quæ corde assiduè, frequenter etiam ore versentur, ad vsus actusque quotidianos profutura. Qualia esse possunt, tum ista de diuinis litteris: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur? Et mundus transit, & concupiscentia eius*; & similia; tum vulgatum illud: *Sint temporalia in vsu, æterna in desiderio*; aut illud Senecæ: *Maior sum & ad maiora genitus, quàm vt* &c. 1. Ioan. 2. v. 17. Epist. 65.

Nam velut coortâ pestilentiâ, aut cùm aër grauis & corruptus est, consultum est, aromatum quiddam ore tenere, quô istis odoratis spiritibus ipsa recreentur præcordia, & aduersus externos halitus pestiferosque, confirmentur: ita eiusmodi salutaribus sententijs, quarum vim probè comprehenderis animo, quasque vsu tibi familiares effeceris, videbatur vtiliter posse communiri cor, aduersus pestilentem auram huius sæculi, & latè grassantes opinionum fallacium, morumque prauorum corruptelas.

Atque ei fini valde seruient, apprehensa animo, & constanti retenta memoriâ, quæ hoc Opere passim tradimus, tan-

quam axiomata diuinioris ſapientię; quorum nos idcirco ad extremum, paucis atque ſummatim recollectorum, velut ſyluulam conficiemus proponemuſque, poſtquam pauca quę reſtant præſcripſerimus, Sapienti noſtro inſtituendo, formandoque, non inopportuna.

CAPVT XVII.

Conſectariè deducimus; æquabilem vitæ inſtitutiq́; conſtantiam, cùm Sapienti maximè propriam, tum eidem oppidò decoram atque iucundam eſſe.

HAnc in rem in primis iſtud habemus diuini Spiritus, in noſtra quidem verſione vulgatâ, oraculum; *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* (*Eccli. 27. v. 12.*)

Cuius equidem diſcriminis, cùm rationes plures adferri poſſint, tum illa præcipuè; quòd nimirum ille in vita ſua inſtituenda, conformandaque, æternis nitatur immutabilibuſque rationibus; hic à temporalibus totus pendeat. Atque adeò ille nullâ perturbetur immuteturúe varietate rerum tranſeuntium: vt qui animum illis affixum non teneat; ſed in omni euentu ad diuinas æternaſque reſpiciat, & (quæcunque rebus hiſce infimis variatio incidat) in ſe ſtabiliter inconcuſſeque permanentes. Vbi iſte, quem Spiritus Sancti vocem ſecuti, ſtultum dicimus, ob contrariam rationem, incertus, fluctuans, & lunæ inſtar inconſtans eſt: quando & temporales rationes quibus nititur, ipſo temporę, cui ſubjectæ ſint, mutati neceſſe eſt; atque exinde, exempli causâ, qui ſecundis rebus nimiùm efferatur, aduerſis animo dejici; & rebus ex voto minùs ſuccedentibus, aliò vela conuertere; atque ipſo vitæ fine mutato, ad alia ſtudia atque inſtituta tranſire. Demum, qui in vitâ conſtituendâ, non tam certo aliquo conſilio, quàm impetu animi ac perturbatione ducatur; cùm ipſi in dies diuersè afficiatur animus, & proinde res ipſæ aliter atque aliter appareant, non poteſt in eo quod ſemel ſuſceperit, ſtabilis idemque permanere.

Ex quibus videas, meritò in diuinâ Scripturâ, ſapientem Soli, cui vultus ſemper vnus eſt, & ſtultum Lunę ſemper variæ, comparari.

Cui

Cui diuino sensui, quàm consentiens sit etiam humana philosophia, ex his intelliges quæ de Senecæ mente pluta subjiciam. Ex quo in antecessum istud accipe: ex eius Philosophi sententiâ, vitæ inconstantiam & inæqualitatem, adeò propinquâ cognatione coniunctam esse stultitiæ; vt quodam loco, stultum & inæqualem videatur pro eodem ponere: *Illi ipsi (* inquiens *) stulti & inæquales* &c. *De vit. beat. c. 12.*

Veruntamen, rei ampliùs explicandæ gratiâ, exposita à nobis discriminis ratio, videtur in sese tria præsertim capita continere.

Primum: quòd sapiens, cùm pro vltimo vitæ suæ fine, summum bonum, æternum, incommutabile, idemque ad pacem animi beatitatemque perpetuam summè sufficiens, destinato sibi certoque consilio præfixerit; nihil causæ habeat, cur aut finem mutet, aut eius obtinendi, quibus insistit, vias certissimas: cùm eum qui sibi in rebus caducis instituendæ vitæ finem constituit; harum vel abscessu, vel assequendi difficultate; vel etiam obtentarum tædio (vti nihil est in rebus infimis, quod veram animæ satietatem ac pacem adferre queat) damnare sæpiùs oporteat suscepta studia, & nunc huc, nunc illuc, vagâ quadam animi mobilitate ferri.

Quam rem bene explicat illa, quam tametsi ab Epicuro inter secretiora dicta desumptam, magnificam vocem merito suo appellat Seneca: *Inter cætera mala, hoc quoque habet stultitia; semper incipit viuere.* Subdit autem Annæus: *Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime; & intelliges, quàm fœda sit hominum leuitas, quotidie noua vitæ fundamenta ponentium, nouas spes etiam in exitu inchoantium.* Quod equidem ipse tum indignari, tum etiam mirari videtur. At mirum non erit istam eiusdem, quandam aliam epistolam obsignantis, vocem consideranti: *Nisi sapienti sua non placent: omnis stultitia laborat fastidio sui.* Ex quo proinde oporteat, hominem stultum, suimet & rerum suarum, atque adeò vitæ, statusúe suscepti tædio, alia atque alia vitæ fundamenta ponere, & damnatis votis prioribus, nouas spes assiduè inchoare. *Ep. 13.* *Ep. 9.*

Alterum: quòd idem sapiens, quando rebus aduersis æquè ac prosperis vti nouit, & ad finem suum (qui omni istarum temporalium rerum successu altior atque eminentior est) quæcunque demum sors offeratur, vniuersa referre; etiam inter diuersos oppositosque rerum euentus, possit idem vnusque,

& æquali ſemper tenore vitæ perſiſtere. Neque enim ſe ipſe rebus; ſed res ipſas ſibi finiq́ue ſuo accommodat; &, quod Seneca dixit, *manet in ſtatu, & quidquid euenit, in ſuum colorem trahit.*

De Prouid. c. 2.

In quam ſententiam dictum quoddam Socratis, quo Platonis conuiuium concluditur (quanquam ſanè neſciam, eademne mente ab eo prolatum) proniùs vſurpem: *Eiuſdem viri officium eſſe, tragœdiam comœdiamq́; componere, eumq́; qui arte tragicus ſit, eſſe quoque comicum.* Quod bellè, quantum exiſtimo, in rem præſentem, ſapientemq́ue noſtrum quadrabit: quem vtique dicimus omnium temporum hominem eſſe, & ſiue ad læta, ſiue ad tragica, perinde factum. Nam cùm, vt aliàs ex Auguſtini mente vidimus, res omnes quæ hoc vniuerſum, ipſamq́ue ſæculorum ſeriem, velut particulæ conſtituunt, rectè ſyllabis litteriſúe comparentur, ex quibus quoddam quaſi carmen pulcherrimum diuinæ artis exiſtat; atque (vti obſeruat Philoſophus) *ex iiſdem litteris indifferenter comœdia & tragœdia fiat*: nouit vtique ſapiens noſter, ex his ipſis rebus, in quibus mortales alij, luctus argumenta, & tragici queſtus vberem materiam inueniunt, ex his ipſis inquam (vt ita loquamur) veluti comœdiam efficere, & quouis euentu, diuinam laudando approbandoq́ue prouidentiam, etiam triſtes rerum exitus in lætum carmen & vocem exultationis conuertere. Quod nimis quàm clarum eſt, ab eo expectandum non eſſe, qui à rebus iſtis mutabilibus totus pendeat, & improuidæ mentis conſilio, ſuas in illis ſpes, ſuam felicitatem reponat.

L. 1. de gen. c. 2.

Tertium: quòd, cùm homo ſapiens nullis pulſetur violentis animi perturbationibus, aut iis ita præeſſe norit, vt ab iis duci ſe ac regi minimè patiatur; hinc etiam conſequi aptum ſit, vt ſicuti intus in rationis arce idem permanet, ſibiq́ue perpetuò ſimilis; ita eius mores eandem ſemper faciem habeant, eiuſq́ue vita vnius quaſi coloris ſit.

Cùm è contrà ſtultus malusúe, quod ſuprà diximus cum Philoſopho, ob compugnantium affectionum dominatum, *non vnus, ſed multi, & die eâdem varius, & importunus ipſe ſibi ſit*: eoq́ue fieri oporteat, vt & eius viuendi ratio, inſtabilis, vaga, incerta, fluctuans, atque aduerſa ſit ſibimetipſa; nullus vitæ tenor, nulla actionum conſonantia. Vt idcirco rectè quadam epiſtolâ pronuntiet Seneca: *Maximum indicium eſt malæ*

Ep. 25.

mentis,

mentis, fluctuatio. Et mox: *magnam rem puta, vnum hominem agere. Præter sapientem autem nemo vnum agit: cæteri multiformes sunt*; aut, vt Ambrosio in hac ipsa re loqui visum: *per momenta varij & discolores*; ob incursantes videlicet, sibique invicem succedentes, diuersas animi perturbationes. Sic enim & ipse, vt vnum hominem quisque nostrûm agat, exhortans: *Vetus dictum est*, inquit: *Assuesce vnus esse; vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem semper seruans imaginem quam accepit. Quomodo potest vnus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc pallore immutatur &c. per momenta varius & discolor?* Sic Ambrosius. Ep. 20. Epist. 23.

Accedit, quòd si qua virum, alioqui sapientem, perturbatio incesserit, id saltem animo persuasum fixè retineat, in isto quasi mentis nubilo, non esse quicquam immutandum in ijs, quę antea pacato certoque consilio decreta sint: vt qui probè compertum habeat, quàm malus sit consiliarius, perturbatio. Quò, non duntaxat asceticum, sed etiam morale sit, atque ad omnes humanæ vitæ partes pertinens, præceptum illud, à magno vitæ spiritualis magistro, S. Ignatio, traditum in Regulis quas scripsit de motibus animæ discernendis: *Quod tempore* (quod vocant) *desolationis, nihil deliberandum, aut innouandum est circa propositum animi, aut vitæ statum; sed in eis perseuerandum, quæ fuerant priùs constituta.* Cuius quidem præcepti vsurpatio, plurimum (ni fallor) conferet, ad eum, quem sapientis proprium dicimus, constantem, æquabilem, sibique per omnia consentientem, tenorem vitæ. Vt enim rectè, sæpe hîc laudatus Philosophus: *non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumq́; iudicium adeptis.* Reg. 5. Epist. 95.

Hæc igitur vitæ sibi consentientis perpetua constantia, vti magna res est, ac propè diuina, ita pacis internæ (in qua rectè dicimus sitam esse summam humanæ felicitatis) tum fundamentum & quasi radix, tum etiam effectus ac fructus est: in eaque proinde consequendâ, omnis conatus adhibendus, omne studium & industria collocanda.

Quid enim homini, solidâ & imperturbatâ animi pace iucundius? Quid beatius eo, qui ope cælestis sapientiæ, velut in sublimem æthera subuectus, Olympo similis nubes excedit, & quicunque mundum turbines versent, omnem istum rerum infra se positarum tumultum immotus aspicit, immò despicit, tanquam in suprema collocatus arce tran-

 quillitatis?

quillitatis? Quid ſedatâ, conſtanti, & ſibi vbique conſentiente vitâ, vel vtenti dulcius, vel intuenti amabilius? In quo videlicet ſtatim agnoſcas, ſiue vitæ ac ſtatus beatarum mentium, quę inconcuſſè ſummo ſuo bono adhærentes, immutabili quadam æternitate perfruuntur, adumbratam imaginem; ſiue tranquilliſſimi ordinatiſſimique curſus cæleſtium orbium: vt hic quo-
Cap. 38. v. 3. dammodo illud contingat quod dicitur in libro Iob: *Nunquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* Quippe cæli ordinem ac rationem quodammodo in terra ponere, ſeu deſcribere, eſt, ipſorum cælorum motus ac conuerſiones ordinatiſſimas, vniuerſę vitę æquabilitate, conſtantiâ morum, actionumque conſonantiâ, in carne mortali repræſentare.

De B. Laurentio Iuſtiniano, ita ſcribit Bernardus Iuſtinia-
Cap. 7. nus nepos, in eius vitâ: *Erat autem verborum actionumq; tanta menſura, vt ſi inferiora hæc cæleſtibus conferri fas eſt, vix ego motus cælorum & reuolutiones & gyros agi maiori ordine*
Orat. 2. de dormit. B. M. *atque menſurâ, crediderim.* At de B. Virgine Dei matre (quæ Damaſceno alijſque Patribus, animatum cælum eſt) in ſuo,
Opuſc. 2. t. 2. vt appellat, Canticordio, pluribus diſſerens Cancellarius Pariſienſis, eiuſque tum mentis tum corporis decentiſſimos motus attendens, de eâ ſic ait inter cætera: *Videre erat in organo Mariæ corporeo* (multo autem magis in eius mente) *motum proportionatum primo mobili cæleſti.* Ob illam ſcilicet motuum omnium ordinatiſſimam proportionem, æquabilemque conſtantiam, ex ſuauiſſima modulatiſſimaque affectuum omnium, totiuſque mentis compoſitione, efflorеſcentem. Quem quidem cæleſtem virgineatum cogitationum, affectuumque cordis, virtutumque omnium, concentum atque harmoniam (quod tum Gerſon ibidem, tum ante eum ſermone quodam Fulbertus ſcri-
Serm. 1. de Nat. B. M. pſit Carnotenſis) *ipſa creatrix & inhabitatrix eius, Dei Sapientia delectabatur audire.*

Adeò non hominibus tantùm, ſed ipſi quoque Deo iucundus eſt, ille quem in noſtro Sapiente commendamus, æquabilis animi & conſtantię tenor in omni vitâ.

Neque tamen hæc ita dicimus; quaſi debeat vir ſapiens, in eodem quaſi ſapientiæ gradu immotus conſiſtere, & non de virtute in virtutem proficere; cùm è contrà ſcriptum ſit: *Iu-*
Prou. 4. v. 18. *ſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Sed, quòd in hoc ipſo aſſiduè proficiendi ſtudio, debeat tenere conſtantiam, & ex ipſo ſuo inſtituto atque decretis,

decretis, ad summam virtutis atque sapientiæ excelsitatem; tanquam passu eodem, immo gradu in dies citatiore; contendere. Qua ratione Nepotianum admonet S. Hieronymus; quod *senectus eorum, qui adolescentiam suam bonis artibus instruxerunt, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* Epist. 2.

Porrò, vt hoc obiter interseram, voces; *vsu tritior* &c. in memoriam me reuocant versuum quorundam prisci poëtæ Afranij; quibus apud Agellium, Sapientia in hunc modum de se loquens inducitur: L. 13. c. 8.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria:
Sophiam vocant me Graij, vos Sapientiam.

Eo, inquit Agellius, *argumento demonstrans; ei, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis aut disciplinis opus esse; sed oportere eum versari quoque, exercerique in rebus cominus noscendis periclitandisque, eaque omnia acta & euenta firmiter meminisse; ac proinde sapere & consulere ex his quæ pericula rerum docuerint.* Quasi videlicet eò dixerit Afranius, Sapientiam patre Vsu, matre Memoria genitam; quòd varijs rerum experimentis prudentia gignatur & sapientia, quæ retenta sinu & tanquam vtero contenta memoriæ, ad occurrentes rerum casus, velut in lucem vsumque vitæ proferatur.

Quemadmodum etiam in re affini scripsit Philo Iudæus; in scientijs nimirum comparandis, intellectum patris, sensum matris locum habere; sensu videlicet quasi materiam præbente intellectui, ex qua ille formet conceptus suos partusúe mentis: secundùm illud in scholis tritum; atque ex S. Augustino desumptum: *Ex obiecto & potentia* (siue, vt Augustinus, *ex cognoscente & cognito*) *paritur notitia.* Quod det. pot. insid. L. 9. de Trin. c. 12.

CAPVT XVIII.

Christiani cuiusdam Sapientis effatum: Sine aspectu & decore, crucique affixam, adorandam esse veritatem.

MAgni Patris (vt eum Dorlandus appellat in Chronico) & S. Bernardo dilecti, Guigonis, Carthusiani Ordinis Generalis V., cuius hoc in Opere alia nonnulla fortia dicta memorauimus, L. 4. c. 3.

moraui mus, pronuntiatum istud est: quod, veluti ad quandam sapientiæ altitudinem maiestatemque pertinens, visum est hoc loco proponere atque illustrare.

Quippe sapientia & veritas, non affines tantùm, sed cognatę sunt. Et tametsi passim sic distinguantur, vt sapientia sit notio quædam ac perceptio sublimis veritatis, veritas autem id quod contemplatur atque percipit sapientia; tamen & ipsum Verbum diuinum, eò est rerum omnium veritas subsistens, quo est primigenia sapientia; & ab eo profectæ deriuatæque notiones, & tanquam lumina humanæ mentis, tum sapientiæ pronuntiata, tum effata veritatis, indiscretè dicuntur: ac demum hæc ipsa S. Augustinus miscere solet ac pro eodem sumere; vt

Cap. 17. cùm, libro de Moribus Ecclesiæ Catholicę, ait: *Si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inueniri nullo pacto*

Disp. 3. *potest*; & libro de beata vita expressissimè: *Quid putatis* (inquit) *esse sapientiam, nisi veritatem?* Vt hoc quoque sensu possit accipi, quod dicitur in Platonis Philebo: *Mens vel idem est quod veritas, vel omnium veritati simillima & verissima.*

Iam ad rem ipsam quod attinet: propositum à nobis hoc capite, istius (quemadmodum illum merito suo indigitauit) Christiani sapientis, effatum, etsi primâ fronte nonnullis subobscurum videbitur, euolutum tamen, non modò reipsa inuenietur certissimum, sed etiam in ipso recessu continere quiddam, accuratiore contemplatione non indignum.

Quâ gratiâ in primis obseruo, ex ipsa verborum formulâ, non obscurum eo in effato respectum haberi ad Christum, primam veritatem & sapientiam Dei primogenitam; qui & in-

Isa. 53. v. 2. credulorum oculis (vt est apud Prophetam Euangelicum) sine aspectu & decore apparuit, & odio sese insectantium, in crucem actus, eique probrosè suffixus fuit. Quasi quod veritati ac sapientiæ primigeniæ, hoc item veritati ex illâ expressæ, nobisque propositæ, vsuueniat; vt tam hæc quàm illa multos ha-

Luc. 2. v. 34. beat sibi infensos, tanquam posita in signum cui contradicetur: & tamen vtraque (etiam sic reprobata & conuexata) ab his quibus oculos cordis ipsa aperuerit sapientia, non assensu modò ac fide digna inueniatur, sed etiam in amore, honore, veneratione habenda.

Porrò vt de primis effati verbis, quibus etiam decoris expertem, attamen amandam adorandamque veritatem, Carthusianus Guigo præcipit, illustrationis gratiâ pauca dicam: Sanè veritas

veritas illa cælestis; vbique per sese; quod ait S. Augustinus, *& luminosa & formosa est*; neque eâ quicquam, non modò salubriùs, sed neque dulciùs amaretur à nobis, si qualis est in se, nuda & aperta, conspici posset; & non istis rerum, sensibus nostris familiarium, formis vestitam se, ac subornatam, aut nescio quibus velut vmbris circumfusam, mentibus nostris objiceret. Quam nimirum etiam, alibi laudatus Tertullianus eleganter inducit, tanquam nobiscum in terris peregrinabundam, neque iam proinde natiuo decore conspicuam, sed à sole subfuscam, à puluere sordidam, à multiplici, seu viæ labore, seu cæli iniuriâ deformatam atque decoloratam. Nempe veritatis quasi patria, & propria sedes, cælum est; in qua regione lucis æternæ, sese exhibebit suâ iam pulchritudine spectabilem; ibique splendore admirabili & amabili, purâ scilicet luce refulgens, (quidquid ipsa dictet præcipiatúe) mirificè rapiet, detinebitque in se defixos contemplantium oculos: quoniam, velut is ipse Guigo alio in capite submonet, istic *nuda mens nudæ adhærebit veritati.*

L. 2. Conf. c. 6.

Apolog. c. 1.

Cap. 13.

In hoc autem orbe caliginoso, neque ipsa veritas per se nuda appellit ad animum, sed interposito sensuum nostrorum ministerio; & ope phantasmatum inuecta, ipsisque adeò (quod dicebamus) rerum sensibilium formis vestita, & tanquam corporata, subingreditur.

Vt proinde, sicut lux ista solaris per vitrum transmissa colore aliquo paulò saturiore intinctum, eodem & ipsa inficitur, neque iam nuda aut pura appellit; sed ex rubro aut flauo v. g. colorata, atque permixta: ita lux ista veritatis, per sensus deducta ad animum, ipsâ transmissione, & quasi contagione sensuum, quodammodo infecta & decolorata, non pura ac nuda perueniat, neque mentem ipsam, eâ quâ pollet sinceritate ac suauitate afficiat.

Sed neque ad mentem nudam appellit; quam vtique inuenit, siue vulgaribus occupatam opinionibus, siue diuersis affectionibus perturbationibusque obductam; vt quamuis vt dicitur, in tertio Esdræ, omnium fortissima & potentissima sit veritas, tamen in animum ac pectus, tot illis quæ dixi integumentis obseptum atque loricatum, vix habeat qua parte peruadat, illudque sibi subjiciat.

Cap. 3. & 4.

Hunc igitur in morem, siue sensuum nostrorum naturali propensioni, siue inolitis animi affectionibus, rationisúe inferioris

rioris præiudicijs aduersa veritas, non iam aspectus tantùm decorisque vacua apparet, sed etiam cum primis horrida, eoque ingrata, quò inimica. Quo modo de Euangelicâ veritate Tertullianus in Apologetico: *cum odio sui cœpit veritas, simul atque apparuit inimica esse*: de quâ videlicet itidem dixerat, eam, vt peregrinam, *inter extraneos facilè inimicos inuenire*. Ita, licet per se nihil sit veritate amabilius, eadem tamen decoris expers & inamabilis apparet, vbi sensibus nostris, siue anteceptis animi cuiusque, vel persuasionibus, vel affectionibus, sese aduersam ostenderit. Cuius etiam luce verberata mens atque conuicta, adhuc eam cunctatur ac reformidat tanquam veritatem amplecti, quòd id præoptet veritatem esse, quod, si non firmo iudicio, at animi tamen propensiori inductione, prauoque affectu, vt sibi præsertim conueniens despondèrit atque præsumpserit.

Cap. 7.
Cap. 1.

Quod quidem postremum, vt alia pleraque huius tractatus, de magnâ Augustini mente deductum est: qui libro 10. Confessionum, simili quæstione discussâ, non inuenit quî fiat, vt veritas odiosa sit, cùm omnes ament beatam vitam, quæ aliud non est, nisi gaudium de veritate: *nisi quia* (inquit) *sic amatur veritas, vt quicunque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem*. Id in humano ingenio efficiente videlicet cæca cupiditate, aut distortâ ac praua dispositione animi; vt cùm quisque quod amat, saltem ipsâ affectûs persuasione, optimum putet, id reipsa tale videri velit: ne vel id cogatur ratione cogente deserere, quod improuidè adamauerit; vel probrosè in eo hæreat, quod sese agnoscat stultè & improuidè adamasse.

Cap. 23.

Quo in genere quantam vim habeat naturæ propensio, aut affectio, quam animus sibi paulò altiùs induerit; vel illud ostendit effatum, ex adytis desumptum Philosophiæ Peripateticæ: *Talis vnicuique finis apparet, qualis quisque est*. Ex quo etiam fiat, quod libro 2. de libero arbitrio cap. 9. obseruat S. Augustinus; vt, *cùm etiam diuersa sectantes bonum appetant, & malum fugiant; propterea diuersa sectentur, quod aliud alij videtur bonum*: pro variâ scilicet siue naturæ, siue appetitûs, affectione.

Ad Nicom. l. 3. c. 5. S. Th. 1. p. q. 83. a. 1. ad 5. 1. 2. q. 9. a. 2.

Hinc enim etiam exempli causâ in re præsenti, pro variâ animi in vtraque gente comparatione, Iudæis terrenam tantùm felicitatem spectantibus atque æstimantibus, Christus pauper, humilis, abiectus atque afflictus, scandalo fuit; Gentibus

autem

autem ratione solâ humanaque sapientiâ cuncta metientibus; Deus homo factus, & in probrosâ Cruce moriens, insignis visa est stultitia: qui puris mentibus, & altiori lumine cælestis sapientiæ collustratis, summa Dei virtus est, & summa sapientia. 1. Cor. 1. v. 24.

Atque Euangelicorum istorum pronuntiatorum, *Beati pauperes. Beati qui nunc fletis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & persecuti vos fuerint. Væ vobis diuitibus, quia habetis bic consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis. Qui amat animam suam, perdet eam*; & aliorum eiusdemmodi; veritas, quæ intimis Christi discipulis valde luminosa & formosa est; contrariè affectis animis, aspectu deformis, fœda, horrida videtur; eademque illa prorsus explorata Christianæ disciplinæ dictata, humano sensu refugiente, etiam apud Christianos fidem vix inueniunt; aut certè quæ solâ mentis fide conuictæ assensioue recipiuntur, si dicere licet, etiam credentis affectui falsa sunt. Luc. 6. v. 20. &c. Ibid. v. 24. 25.

Ergo sinceram veritatis lucem peruidere ac complecti volenti, tum falsis vulgi præiudicijs, affectionibusque denudandus est animus, tum ipsa veritas, quacunque materiâ circundata, hoc est, quocumque tandem habitu, humanæ menti objiciatur, in sua forma & tanquam natiuâ simplicitate, contemplanda est, &, Guigonis verbo ac sensu, etiam sine aspectu atque decore, adoranda. Adoranda autem, hoc est, etiam sic habenda in honore, & cum veneratione suscipienda. Vt & in illo Senecæ: *quò minùs virtutem adorem, & ex interuallo ingenti reptabundus sequar.* De vit. beat. c. 18.

Quod autem subiunxit noster sapiens, etiam cruci affixam adorandam esse veritatem; id inquam ex ipsâ ad Christum crucifixum comparatione, sic interpreter. Vt quantumuis mundo odiosa sint præcepta diuinæ veritatis, & à sapientibus huius seculi, pro falsis reprobata, pro fatuis illusa, pro impijs damnata, atque omni probro ac contumeliâ diuexata; & tanquam cruci ac patibulo ad extremum dedecus confixa; non tamen proinde qui Dei Spiritu ducantur, hoc minùs diuinam in illis relucentem veritatem sibi colendam, adorandamque putent; propterea quòd ij, qui, cùm magnâ mentis cæcitate laborent, sibimet (vt ait Tertullianus) videntur Deo consultiores, eam fœdè lacerent atque traducant. Verba eius Doctoris libro 2. contra Marcionem, ecce sunt ista: *Mundi autem habentes Spiritum,* Cap. 2.

tum, non agnoscentes in sapientia Dei per sapientiam Deum, consultiores sibimet videntur Deo: Quoniam sicut sapientia mundi, stultitia est penes Deum; ita & sapientia Dei, stultitia est penes mundum.

Sed absit, vt illam mundi rectricem, & tum dominatricem atque imperatricem rerum omnium, tum quamlibet excelsarum mentium reginam veritatem, in cuius obsequia intellectus omnis in quandam veluti captiuitatem redigendus est, siue sensuum nostrorum brutæ propensioni, siue, adeò angustis terminis circumscriptæ humanæ intelligentiæ, siue quorumcunque mundi Sapientum cæcæ præsumptioni, temerariè ac stultè subjiciamus.

Nam qui diuinam veritatem tunc recipit, cùm iubet placentia, refugit cùm ingrata præscripserit; rursumque admittit, cùm suo sensui iudicioque consentanea, auersatur cùm supra rationem aut captum suum quiddam dictare ac proponere videatur; is, etiam cùm illam recipit, non diuinam adorat veritatem, sed suo sensui suisque defert affectibus; neque mentem suam ipsi veritati submittit, sed pro eâ colit, quod sibi pro libito formauerit, simulacrum quoddam, imaginemque veritatis.

Quam in rem præclarè neruoseque S. Hilarius, aduersus Arianos disputans: *Multi enim sunt* (inquit) *qui simulantes fidem, non subditi sunt fidei, sibiq. fidem ipsi potiùs constituunt, quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt: cùm sapientiæ hæc veritas sit, interdum sapere quæ nolis.* Quibus quidem postremis diuinè pronuntiat: Eum qui verè sapiens sit, non eam duntaxat amplexaturum veritatem, quæ ad sensus suos atque affectus, & tanquam genium, accommodata & facta sit; sed eam etiam quam refugiat sensus, horreat voluntas, auersetur sibimetipsi permissa humana ratio; vbi sensibus & mente nostrâ maior autoritas, eam acceptandam adorandamque persuaserit.

L. 8. de Trinit.

Neque vile quis putet, aut humanæ mentis excelsitati minùs congruens, si eâ quam dixi reuerentiâ, sese summæ submittat veritati. Quia, vt eiusdem sapientis à quo incepit, verissimo dicto caput finiam: *Quanto quæque creatura nobilior est & potentior, tantò libentiùs subditur veritati: immo hinc potens & nobilis est, quia subditur ei.* Sic ille.

Cap. 1.

CAPVT XIX.

Profana priscorum Philosophorum sapientiæ curiosum & immodicum studium; veræ ac diuinæ sapientiæ non mediocri impedimento esse.

TAmetsi ea res in paucis fortasse locum habeat, illius tamen pertractatio digna est, quæ hisce ad veram sapientiam institutionibus, coronidis vice, adijciatur.

Visum igitur est cautionis gratiâ, diligenter admonendum lectorem meum, si quisquam in istas paginas, antiquæ illius, atque his sæculis Christianis penè antiquatæ, sapientiæ nimius admirator inciderit; eo in studio sapienti quodam temperamento opus esse: ne dum se diuino (vt appellant) Platoni, vel alteri cuipiam veterum Philosophorum nimis addicit, & tanquam in Magistri verba iuratus, illius placita, quantumuis per solam ingeniosæ exercitationis speciem, enixiùs defendere contendit, eò ad extremum sensim prouectus sentiatur, vt eius sectę quam adamarit falsa dogmata, non iam diuinâ fide corrigat, verùm ipsam ad errantis Doctoris sensa deflectat, ac demum pro diuina veritate, philosophici cerebelli commentum, aut ex vtriusque disciplinæ commistione fœdissimum monstrum obtrudat; Christianum perdens, neque faciens Philosophum.

Quod quidem & primis Ecclesiæ sæculis (velut in libro de Præscriptionibus demonstrat Tertullianus) longè plurimi, & nuperis quoque temporibus, inconsultè nonnulli, suo aliorumque magno, aut damno, aut periculo fecere. *Ipsæ denique hæreses* (inquit ibidem idem autor) *à Philosophia subornantur*: siue, vt alibi de iisdem agens Philosophis; *Ipsi illi* (infit) *sapientiæ professores, de quorum ingenijs omnis hæresis animatur.* &c. Vnde mox paulò commotior, & pro ingenio tanquam subiratus, exclamat; eo loco quem priùs citauimus: *Quid ergo Athenis & Ierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est; qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & dialecticum Christianismum protulerunt.* Quod vtinam dictum ipse seruasset, neque Dei λόγον siue Sermonem, Platonicum magis quàm Christianum protulisset.

Cap. 7.

Lib. 1. adu. Marci. c. 13.

V. Petau. Theol. tom. 2. l. 1. c. 5.

 Quan-

Quanquam igitur & nos priscis illis moratæ Philosophiæ antistitibus, Pythagoricis, Platonicis, Stoicis, in hac præsertim tractatione aliquantum ducamur & delectemur; &, siue variæ atque amœnæ eruditionis gratiâ, siue his obsequendi studio qui istis etiam capiantur, siue, atque maximè, vt appareat, quàm sint ea præcepta quæ tradimus, humano ingenio consentanea, quando in eadem etiam externi sapientes, ipsâ sponte naturæ, aut rationis ductu, incidêre; eorundem dictis, vbi illi præclarè & ex vsu vitæ quicquam protulerint, etiam de Augustini sententiâ, scripta hæc nostra respergamus: attamen ijdem nos,

L. 2. de doct. christ. c. 40. eum qui eiusmodi (vt Sanctus appellat Hieronymus) sæcularis sapientiæ, studiosus sit, in primis commonitum cupimus: Vt ne temere se, & absque solidæ Theologiæ præsidio, in ea studia aut disciplinas altiùs immergat; sed si eos autores degustare est animus, quemadmodum in hortum solemus, respirandi tantisper, aut ficuius fructus obiter decerpendi gratiâ, sic apud eos sanè diuertat, non vti in eorum sensa, tanquam habitaturus, immigret; neque illis se dedat vt suis; sed velut inter alienos, quid denique rerum istic agatur, exploret.

Et æquum profectò fecerimus, si dum aut Platonem lectitamus, aut Senecam, ij fuerimus aduersus illos, qualem ipse profitetur Annæus, fuisse sese erga alienos. Nam cùm Epicurum frequens legeret, deque eius hortulis (siquam is vocem paulò fortiorem, & Stoico propiorem, emisisset) etiam Stoam suam

Epist. 2. ornaret; Lucilio id ita excusat in quadam epistolâ: *Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum. Soleo enim & in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed vt explorator. Honesta, inquit, res est læta paupertas.* Hoc enim illud est, quod is eâ die de Epicuri scriptis, cum Lucilio suo communicandum, apprehenderat.

Quod item monitum, figurâ sermonis haud absimili, tradidisse video etiam doctissimum Clementem, in his ipsis libris, quos tanquam variâ, immo omnigenâ, eaque præsertim quam Græcam appellat, veluti ex Græcis seu Philosophis, seu Oratoribus, Poëtisúe desumptam, erudtione refertos, Στρωματεῖς inscripsit. Vbi cùm Christianum sapientem dixisset, singulari studio circa ea quæ sunt præcipua; hoc est circa cælestis discipli-

L. 6. c. 8. næ scita, semper versari: *Sed si quando ei est otium* (inquit) *& tempus relaxandi animi ab ijs quæ sunt præcipua; loco alterius recreationis etiam Græcam attingit Philosophiam; tanquam is qui sit*

bellarium

bellarium ad cœnam illaturus , non vt qui neglexerit ea quæ sunt præstantiora. Sic ille.

Cæterùm si quisquam, siue pro æui forsan genio, animiue sui lubentiâ, siue vnde vnde iniectâ atque susceptâ, autorem aliquem eiusmodi, exponendi necessitate, paulò profundiùs in eius se placita penetrauerit, eundemque sibi perfamiliarem atque intimum iam effecerit; huic tenenda restat huiusce moniti pars altera: vt scilicet norit in autore suo proba atque sana, ab his quæ praua sunt, aut errori certè affinia discernere; neque erga illum ita insulsè afficiatur, quin exploratos deprehensosque eius errores detegat, castiget, emendet; aut vt ea quoque quæ suspecta sint, tueri velit: multò autem minùs, vt (quod dicebamus principio) fidei nostræ mysteria ad Doctoris sui peregrinos sensus & exoticos, periculosè detorqueat.

Sanè enim vbi non iam doctrinę lusus, sed seria fidei res agitur: *siccentur flumina Ethan, pereant doctrinæ istæ Gentium, pullulent vireta Ierusalem*; inquit Augustinus ad illa Psalmi 73. *Tu siccasti fluuios Ethan.* Quę vox hebræa, quoniam fortem seu fortitudinem significat, hinc per fluuios Ethan, intelligit doctrinas Philosophorum, de virtute sua (vt ipse ait) præsumentium.

Quam item in rem luculentum scilicet, non autorem modò, sed etiam exemplum habemus S. Doctorem Hieronymum, qui ita de se S. Damaso Pontifici: *Itaq; & nos facere solemus,* Epist. 146. *quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis. Siquid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus. Siquid verò superfluum de idolis, de amore, de curâ secularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem ferro acutissimo desecamus.*

Et aliâ quadam ad Magnum oratorem epistolâ: *Quid ergo* Epist. 84. *mirum si & ego sapientiam secularem, propter eloquij venustatem & membrorum pulchritudinem, de ancillâ atque captiuâ Israëlitidem facere cupio, & quidquid in eâ mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado?*

Quibus more suo alludit S. Doctor ad legem in Deuteronomio præscriptam, quâ constituitur, vt siquis pulchram mulierem inter captiuos inuentam adamauerit (quo ille nomine, tum locis relatis, tum aliâ quadam ad Pammachium epistolâ, sapientiam secularem allegoricè intelligit) eamque sibi adiungere voluerit; id ei eâ lege liceat, si modò prius illius radat cæsariem, Cap. 21. v. 11. Ep. 26. c. 4.

&

& circumcidat vngues; id est, quidquid in eâ est emortuum, nec cum sana fide probisúe moribus consentiens, præcidat ac resecet, atque, quoad eius licet, ex ancillâ ac peregrinâ Israëlitidem, hoc est, de profanâ sacram ac religiosam efficiat.

His consequenter adiungere licet, quod Aldum Manutium religiosè sapienterque submonet Princeps Mirandulanus, quadam ad eum epistolâ: *Tu* (inquiens) *quod te scribis facturum, accinge te ad Philosophiam; sed hac lege: vt memineris, nullam esse Philosophiam, quæ à mysteriorum veritate nos auocet.* Tum clausulæ loco illam subiicit, quæ mihi semper perplacuit, estque reipsa Christiano Philosopho, & (pro more veteri) templo inscribi, digna sententia: *Philosophia veritatem quærit, Theologia inuenit, Religio possidet.*

Quo perbreui dicto, argumentum omne materiamque huius capitis, acutè perstrinxit, summatimque complexus est. Sæcularem scilicet sapientiam, ab his potissimùm acceptam Philosophis, qui nobis propiùs accesserunt, (quod de Platonicis non semel profitetur Augustinus) siquis temperatè eâ vtatur, ad Christianam disciplinam, siue capessendam, siue tuendam, non parum conducere: non tamen (quamlibet sectam adamet) ita ei adhærendum esse Christiano, quasi apud illam inuenienda sit veritas; siue quod ad benè beatéque viuendum possit sufficere. *Sine fide enim, impossibile est placere Deo*; inquit Gentium Apostolus. Neque vis humanæ rationis, quantumuis acuta ac perspicax, eò vnquam assurget, vt vel finem ipsum per se attingat humanæ vitæ (quippe cùm is transcendat omnem naturam, omnemque exuperet intelligentiam) neque quibus propriè præsidijs, ex peculiari quibusque temporibus diuinæ prouidentiæ ratione, ad eum securè ac certò perueniri possit.

Lib. 10. de ciuit. c. 1. De vera relig. c. 9.

Heb. 11. v. 6.

Siquidem (vti legimus in libro Sapientiæ) *Difficilè æstimamus*, (seu, coniecturamus, vt est in Græco) *quæ in terra sunt: & quæ in prospectu* (seu, manibus) *sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? Et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?*

Cap. 9. v. 16.

Qua proinde cælesti sapientiâ diuinoque spiritu destituti Platonici, etsi id habuere præ cæteris, quod intelligerent (vt de ijs testatur S. Augustinus) *hominis animam, nisi participato luminis illius, à quo & ipsa, & mundus factus est, beatam esse non posse*;

L. 10. de Ciuit. c. 1.

posse; negarentque, *vitam beatam quenquam assecuturum, qui non vni optimo, qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit*: attamen quoniam vim & energiam diuinæ illius charitatis, quam fidelium cordibus Spiritus sanctus infundit, isti ignorauere; neque viam sanctæ humilitatis, siue perfectæ humani sensus sub Deo suo subiectionis, sat exploratam, atque adeò magis quò eundum, quàm quà eundem esset, perspectum habuere; idcirco nec ipsi eam, quam se quærere profitebantur, felicitatem inuenerunt: *pulsatâ salute* (vt de ijs scitè Tertullianus) *licet non aditâ veritate.* *De resurr. carn. c. 1.*

Quo de argumento cùm non vno loco eruditè disputet S. Augustinus, tum præsertim in suis Confessionibus; vbi rem ipsam oculis quasi subjicere videtur, istac adductâ pereleganti similitudine: *Aliud est*, (inquiens) *de siluestri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire, & frustra conari per inuia, circumobsidentibus & insidiantibus fugitiuis desertoribus, cum principe suo leone & dracone: & aliud tenere viam illuc ducentem, curâ cælestis Imperatoris munitam, vbi non latrocinantur qui cælestem militiam deseruerunt.* *L. 7. Conf. c. 21.* In quibus facilè perspiciet solers lector, istorum alterum Platonicis illis Philosophis, alterum diuinâ, seu Christianâ disciplinâ, initiatis, conuenire.

Viam igitur pacis, veritatis, felicitatis, non humana ratio autoritasúe, sed fides inuenit, quam diuina ingignit autoritas, cuius fundamenta argumentaque, ex sacris litteris & diuinâ Theologiâ petenda sunt.

Quod autem adiunxit Mirandulanus: inuentam veritatem religione possideri; eò illum dixisse existimem, quòd inuenta per fidem veritas, casto Numinis cultu, morumque sanctitate tenenda sit; neque ad veræ sapientiæ possessionem, vitæque beatæ vsumfructum sufficiat, rectè sentire & prauè viuere, pulchra loqui, turpia facere; breuiter, se dictis sapientem, factis insulsum, ineruditum, absurdumque præbere.

Audiamus sanè ex S. Cypriani sensu, quid propriè intersit inter iactabundam illam Philosophorum, & veram Christiani sapientiam. Is enim in libro de Patientiâ (vti iam antè indicauimus) cùm vanam istorum, vti sapientiam, ita & patientiam reiecisset: *Nos autem*, inquit, *fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus; qui virtutum magis conscientiam, quàm iactantiam nouimus; qui non loquimur magna, sed viuimus; quasi*

serui & cultores Dei; patientiam quam magisterijs cælestibus discimus, obsequijs spiritualibus teneamus. Sic Cyprianus: Minutium felicem, vt sæpe aliàs, imitatus; cuius ista sunt: *Nos, non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed viuimus.* Quo de argumento etiam nonnulla, extremo nunc monito, adijciam.

CAPVT XX.

Adamandum esse præ cæteris diuinarum litterarum studium. Quædam in rem nostram nuperorum eruditorum exempla.

POstremò igitur, qui aduersus eos priscæ sapientiæ doctores, ita ac prædixi affectus sit, mihi demum hoc loco rogandus, atque cohortandus est, harum vt litterarum lectionem in secundis, sacrarum autem in primis habeat: certus in his sese, non modò (quod indubitatum est) immensò maiorem vtilitatem animi sui, sed gustum quoque, solatium, oblectationem incredibilem, vbi eas sibi familiares atque intimas habuerit, reperturum esse.

L. 3. Conf. c. 5. *Præf. de vit. beat.* Quod quidem præclaro S. Augustini experimento compertum est: qui nempe, cùm diuinas litteras primùm ob styli simplicitatem fastidiret, magisque scriptis Platonicorum caperetur; postquam hortatore S. Ambrosio eas gustare cœpit, ita illarum sanctâ dulcedine captus est, vt iam non inueniret verba, figurasue sermonis, quibus earum expertam suauitatem, ex animi sui sententiâ satis exprimeret, ac commendaret.

In ps. 90. conc. 2. Hinc enim modò illas attendit velut dulces litteras è patriâ cælesti, ad solatium animæ peregrinantis submissas: modò vt *In ps. 138.* blanditias Spiritus Dei, alludentis infirmitati nostræ, atque ex illis mirabili ratione potionem quandam ad amorem suum nobis conficientis: modò vt siluas quasdam amœnitate præcipuas, & frondosis emblematum, allegoriarumue vmbris opacas, in quibus cerui spirituales pastum suum, quietem, oblectamentum inueniunt.

Audiri possunt quæ eam ob rem ipse scribit, Deum alloquens, libro 7. Confessionum. *cap. 2.* *Sint castæ delitiæ meæ, scripturæ tuæ. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta: aut non habent illæ filuæ ceruos suos, recipientes se in eas, & am-*

& ambulantes, & pascentes, & ruminantes. O Domine, perfice me, & reuela mihi eas. Ecce vox tua, gaudium meum; vox tua super affluentiam voluptatum. Sic Augustinus.

Sed huc maximè facit egregia quædam S. Paulini ad Iouium epistola; quâ illum multis & fortibus hortatur, vt Philosophorum libris posthabitis (ex quibus nonnihil profani sensus hausisse videretur) ad sacrarum lectionem litterarum, vnde vera sapientia petenda sit, animum transferat. Vbi hæc ad illum inter cætera. *Erige in summam sapientiæ mentem tuam, & ipsum veri luminis fomitem Christum pete. Omnium poëtarum floribus spiras; omnium oratorum fluminibus exundas, philosophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues litteris, Romanum os Atticis fauis imples. Vt istis occuperis, immunis es & liber; vt Christum, hoc est, sapientiam Dei, discas, tributarius & occupatus es. Verte potiùs sententiam; verte facundiam. Nam animi philosophiam non deponas licet, dum eam fide condias, & religione consertâ, vtare sapientiùs; vt sis Dei Philosophus, & Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum, sapiens; vt non tam linguâ quàm vitâ eruditus, tam differas magna, quàm facias. Esto Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo; veræ in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati.* Hæc & plura Paulinus. *Epist. 38.*

Ex quibus omnibus facilè colliget quiuis cordatus, sibi præ quacunque Philosophicâ disciplinâ, diuinas litteras adamandas & adhibendas esse; neque veram illam salutaremque sapientiam, ex Platonis scriptis aut Epicteti, sed ex Christi Domini, qui est ipsa Dei Sapientia, doctrinâ, factis, atque exemplis, esse petendam; atque in vsus nostros ac vitam, studiosâ imitatione, transferendam.

Quam in rem libet ad extremum, præstantissimi viri, Iusti Lipsij meminisse: qui cùm, siue suopte genio, siue susceptæ professionis ratione, multus, ac totus quodammodo, in Stoicorum placitis eruendis exponendisque fuisset, librum etiam de Constantiâ, ex horum aliorumque Philosophorum verbis sensisúe conscripsisset; attamen sub mortem, cùm è circumstantibus nescio quis, velut ad dolores fortiter ferendos, Stoicam illi apathiam suggessisset; *Vana sunt ista*, respondit, digitoque in Christi crucifixi imaginem, quam ad lectulum habebat, intento: *Hæc* (inquit) *vera est patientia*; & ad ipsum Christum: *Domine* (inquit) *da mihi patientiam Christianam.* *Aub. Myræus in Vit.*

Ita ille Stoicè scripsit, Christianè vixit: documentum insigne futurus ijs, qui talium curiosiores extiterint; vt cæteris studijs antehabendam sibi putent Christianam sapientiam; & si litteræ Zenonem, Platonemúe sonent, attamen Christum corteneat, vita loquatur, mores ostendant.

Subjungamus Stoico Platonicum Philosophum, Michaëlem Mercatum seniorem; qui cùm in Platone bonam partem ætatis flagranter posuisset, studiorum consorte Marsilio Ficino; postquam ei Ficinus (absente Mercato, & insciente, vitâ functus) ex condicto apparuit, veritatemque eorum, quæ de futura vita traderet Christiana religio, testis locuples affirmauit; ita animo affectus est, vt damnato omni priore studio, totum se ad vitæ Euangelicæ exercitationem, perfectionemque conferret. *Licet enim antiquæ probitatis vir esset* (vti proloquitur, hæc de eo referens Cardinalis Baronius) *innocuamq; & proficuam omnibus vitam excoluisset, prout decebat verè Philosophum; ex eo tamen tempore, valedicens Philosophicis disciplinis, solius Christianæ philosophiæ, cæteris eminentioris, propensior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, mundo defunctus, sibi soli vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris Christiani, qui inter Philosophos sui temporis magna cum laude claruerat, nulli secundus.*

Anno Chr. 411.

Adeò ad mordendum afficiendumque palatum cordis, nimio plus valet pusillum illud granum sinapis, siue altè demissa in animum dictata Christianæ sapientiæ, præ quauis disciplina philosophica, præter splendorem eloquentiæ (teste magno Doctore Hieronymo) nihil in se mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonstrante, sed ad extremum in olera flaccida, atque marcida ebulliente.

In cap. 13. Matth.

Demum in nobilibus eiusce rei, quam tractamus, exemplis, præterire non possum suprà laudatum Ioannem Picum Mirandulæ Comitem. Quippe qui etiam adolescens, cùm æui prisci atque recentis disciplinas vniuersas, quamlibet abstrusas ac reconditas, magno studio coluisset, in ijsque ita versatus esset, vt ingeniorum sui temporis phœnix audiret: attamen deinde ita animo immutatus est, vt iam despretis illis omnibus (Tertulliani verbo) *philosophatis doctrinis hominum*, solam coleret Christianam sapientiam, solam adamaret Euangelicam illam arborem, atque vti vera volucris cæli, assiduè habitaret in ramis eius. Auditus aliquando dicere: perfectis quibusdam quæ reli-

De anima c. 3.

quę erant lucubrationibus suis, sibi demum esse deliberatum; quod superarat facultatum in egenos diuidere, sumptoque in manus Crucifixo, ac nudis pedibus ingredientem, per castella vrbesque Christum prædicare; prout testatur Ioannes Franciscus, eiusdem nepos, in ipsius vita.

CAPVT XXI.

De nonnullis effatis præceptisue salutaribus, ex his quæ sparsim isto Opere tradita sunt, ad vsus opportunos, recolligendis.

FInem iam spectante tractatu, quem primitus animo destinaueram, in quo, seu veluti res ipsa postulare visa est, seu prout tulit scribentis animus, varia disperse tradidimus præcepta atque instituta diuinioris Sapientiæ, humanæ vitæ, nisi fallimur, felicitatique conducibilia: operæpretium, vt existimo, facturus sum, si ex his quę sparsim atque diffusè disputata sunt, ad extremum quædam selecta capita, atque effata, breuiori modulo recolligam, quæ haud difficulter comprehendantur teneanturque memoriâ, ad vsus proprios particularesque opportunè adhibenda. Exemplum secutus monitumque Ioannis Chrysostomi, qui quandam ad populum orationem conclusurus, ne turba rerum (vt ipse loquitur) audientium obruat atque confundat memoriam, necesse esse ait, vt ea quæ dicta sint, summatim ac paucis repetantur; ad idipsum allatâ, familiari, sed opportunâ, neque inamœnâ similitudine. *Sic enim* (inquit) *& matres facere solent: cùm poma, aut bellaria, aut aliud simile quidpiam, in puerilem immittunt sinum; ne per puerorum negligentiam excidat aliquid eorum quæ data sunt, contractam vndique tuniculam cingulo subjiciunt, quò sint in tuto. Idem nos faciamus*, subdit, *orationem in longum porrectam contrahamus, memoriæq́ custodiæ deponamus.* Sic ille. *Hom. 3. de verb. Isa. &c.*

Quod equidem & nos aggredimur in præsentia facere; præcipua quædam videlicet ac generalia huius institutionis ac disciplinæ pronuntiata, & tanquam bellaria sapientiæ, in vnum reducta atque collecta, velut in sinum commendaturi memoriæ: non ea fortassis ad vulgi palatum facientia, sed ipsis comperta atque probata sapientibus, ijsque qui cordis gustatum sincerum, neque infectum habeant, vti confidimus, non iniucunda.

Quemadmodum enim (vt tradit Boëtius in libello de Hebdomadibus, & S. Thomas, ac Gilbertus ibidem) in metaphysicis alijsque eiusmodi disciplinis, aliquæ sunt communes notiones, quas non vulgus, sed soli docti approbant: qualiter, vt ibi Boëtius, communis est animi conceptio apud sapientes, *Incorporalia in loco non esse*, nimirum modo quodam physico & substantiam ipsorum circumscribente; aut, quod idem ibidem significat: *omne quod est*, *ad* (primum summumque) *bonum tendere*: ita in hac morali sapientiæ cælestis disciplinâ, Effata quædam sunt, incomperta vulgo, at ipsis veluti per se nota sapientibus; non quasi ex ipsa simplici vocum propositione, continuò per se manifesta sit eorum veritas (sic enim iam essent vnicuique nota per sese) sed quòd ei qui vocum ipsarum vim ac significationem paulo altiùs penitiusque penetrauerit, atque extremorum (vti appellant) habitudinem ad inuicem, responsumûe acutiùs peruiderit, confestim per sese, hoc est absque

In 1. dist. 2. part. 2. a. 6. alio intellectus ratiocinio, aut certè (vt formam loquendi Cardinalis Aureoli in alio proposito, imiter) *ex quodam imperceptibili syllogismo*, nota esse incipiant; vbi hi qui tardiores sunt, ampliori quadam ad eorum assensum animi dispositione indigent, disciplinâ inquam & exercitatione magis operosâ. In quem

Epist. 95. ferè sensum dictum videtur à Seneca: *quædam admonitionem Philosophiæ desiderare, quædam probationem.*

Igitur rectè appositeque eodem loco idem Philosophus, de sapientiæ (quę appellat) decretis agens: *Sicut sanctiora sacrorum* (inquit) *tantùm initiati sciunt: ita in Philosophiâ, arcana illa admissis receptisq; in sacra ostenduntur; at præcepta & alia huiusmodi, profanis quoque nota sunt.* Quod pluribus disputans Gilbertus Porretanus, præfatione ad suos in prædictum Boëtij libellum commentarios; Philosophos ait, non cuilibet totam speciem, & quasi formam Philosophiæ ostendere, sed prout est varia discentium comparatio, ita pro cuiusque captu disciplinæ modum attemperare. *Paucos verò*, inquit, *quos intensiore studio vident attentos, & mentis acie perspicaciores, ac verè dignos quibus sapientiæ veritas exeratur, in quoddam quasi diuersorium, extra publicam rationalium viam, & θεωρήματα, siue ἀξιώματα, hoc est, speculationes, siue dignitates disciplinalium ducunt; vbi, quodam quasi sinu secreti, sapientiæ ipsius quandam præ cæteris dignitatem ostendunt.* Sic ille. Qui item (quod ad rem significatam attinet) rectè admonet, istic à Boëtio hebdomades dici, conceptiones quasdam magis

gis abstrusas & altioris intelligentiæ, neque vulgo duntaxat, sed sapientibus quoque communiter ignotas. Quæ tamen (siquis id curiosiùs inquirat) cur à Boëtio isto nomine appellentur, non est facile sanè conijcere. Nam quod idem Gilbertus ibidem subobscurè significat, per excellentiam, *hebdomades, hoc est conceptiones*, nominari; nemo, qui Græcè sciat, admiserit. Quod autem in Beati Thomæ in easdem hebdomades commentario, inter eius Opuscula, habetur; eum librum dici *de hebdomadibus, id est de editionibus, quia in Græco hebdomada idem est quod editio*; Adeò à vero abhorrens est, vt mirum sit profectò, quomodo id in textum S. Doctoris irrepserit. Aptiùs ad vocis originem suspicabitur quispiam, conceptiones illas ita inscriptas, quòd vel septenario comprehenderentur numero, vel in septenas atque septenas essent distributæ: quomodo videmus, aut historias Liuij, decades; aut Plotini opera, Enneades inscribi; quod eorum Operum tractatus singuli, denis, nouenisûe libris contineantur. Nisi fortè quis malit eas Boëtianas hebdomadas, quemadmodum Agellij Noctes Atticas, Macrobij Saturnalia, Maioli Dies caniculares, Cresolij Vacationes autumnales, Bisciolæ Horas subsecinas, à tempore quo ij tractatus aut habiti esse aut conscripti finguntur, appellatas. Lego denique apud Agellium, extitisse olim etiam M. Varronis Opus inscriptum *Hebdomades*; ita appellatum ex materiâ, quòd (velut apparet ex eo autore) septenarij in eo numeri virtutes potestatesque tractarentur. L. 3. c. 10.

At iste fortassis omnis in tenui labor est; neque est hic nobis (quod prouerbio fertur) tanquam laureola in mustaceo quærenda.

Cæterùm eo consilio, ista dicendis præmittimus, quò studiosus lector admoneatur, siqua illi fortè, vt principio assolet, in his pronuntiatis, & tanquam paradoxis melioris sapientiæ, hæsitatio aut scrupulus occurrat, non continuò ea incipiat habere pro minùs credibilibus; vt qui eadem intelligat, tametsi vulgo minùs iucunda aut plausibilia, attamen probari sapientibus; & certa ac manifesta fieri, paulò penitiùs in ipsa adyta disciplinæ cælestis ingressis. Deinde, ne idcirco sibi desperet, diffidatque posse, in earum rerum notionem, & tanquam exploratę veritatis possessionem, venire; certus vnicuique studiosè pulsanti, ipsa tandem patere sapientię penetralia, nec vllum ingenuum amatorem à desideratis illius amplexibus excludi.

Quan-

Quanquam hæc omnis admonitio, inde in præsenti minùs videatur necessaria; quòd ea quæ nunc iam subiungimus effata cælestis sapientiæ, homini saltem Christiano, non tam intellectu assensuúe difficilia futura sint, quàm ipso actu, vsuque vitæ: quando & eorum pleraque à nobis in Operis decursu sufficienter exposita, ac demonstrata sunt; & modò sumus, quantum res postulare videbitur, iisdem aliquam appositurι, siue probationem dicas, siue admonitionem.

CAPVT XXII.

Quædam proponuntur veræ Sapientiæ effata, cuilibet homini ad bene beateq; viuendum opportuna.

EFfatum primum. *Res omnes creatas veriùs in arte Dei atque sapientiâ, quàm in seipsis, aut suâ propriâ naturâ, subsistere.*

Quippe quæ (vt antè ostendimus) in arte & sapientiâ diuinâ contineantur velut in causâ primordiali atque altissimâ; habeantque in illâ statum perfectum & incommutabilem, atque absolutum ab illo defectu multiplici, quem in propriâ naturâ annexum habent, ob multifariam essentiæ suæ circumscriptionem. Secundùm illud S. Augustini tractatu 1. in Ioannem: *Quidquid factum est, in illo vita est*; (scilicet in Verbo) *foris corpora sunt, in arte vita sunt*: quia videlicet, vt cum S. Anselmo Monologij cap. 34. obseruat S. Thomas in primum Ioannis: *Creatura in Deo, est creatrix essentia.*

Si igitur illas amare placet, in Deo amentur, vbi verè sunt & permanent; non in seipsis, vbi vmbra sunt & deficiunt. Nam quando in illis delectare non potest, nisi in quo illæ, Deum imitando, de suprema eius perfectione participantur, non in quo, ob suam circumscriptionem, ab eius perfectione multipliciter deficiunt: stultum profectò est, illas in seipsis amare, vbi quæ offendant annexa habent longè plurima, & non potiùs in illâ primâ ac summâ essentiâ, vbi iam pura lux, pura pulchritudo, purum bonum sunt, poteftque quod in illis delectat, absque vlla offensione diligi. Vnde B. Augustinus: *Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem. Si placent animæ, in Deo amentur.* Et generaliùs in
L. 4. Conf. c. 11. & 12.

6 libro

6. libro de Musicâ cap. 14. *Quamobrem* (inquit) *neque in voluptate carnali, neque in honoribus & laudibus hominum, neque in eorum exploratione, quæ forinsecus corpus attingunt, nostra gaudia collocemus, habentes intimum Deum; vbi certum est & incommutabile omne quod amamus.*

At ista non capit immersus terræ, & corporis sui sensibus obnoxius animus. Et plures ea quæ disputantur in præsentia, fortassis ne attendent quidem: perinde atque si, non ad veritatem, aut ex animi sententia, sed in speciem duntaxat, aut subtilitatis exercendæ gratiâ, dicantur: aut quasi, quod dixit M. Tullius, gloriosâ quadam ostentatione, *virtutes ebullire velimus & sapientias*; non autem legitimam tradere, & humanæ vitæ opportunam, disciplinam. Vt meritò Seneca, *quòd ita nos stultitia* (vt ait) *tam pertinaciter teneat*; hanc inter cæteras caussam adferat: *quia illa quæ à sapientibus viris reperta sunt, non satis credimus, nec apertis pectoribus haurimus; leuiterq́; tam magnæ rei insistimus.* Epist. 59.

EFFATVM SECVNDVM: quod scilicet ex primo sequitur. *Vniuersa quæ sub sensus cadunt, non vt veras res, sed vt verarum imagines, aut velut earum meras vmbras, esse aspiciendas.*

Hoc ipsum superiùs cum S. Augustino, Philone, Plotino, dictum est: quibus ipsum placet Platonem adiungere, dum libro 5. de Rep. somniantibus comparat eos, qui ista pulchra existimant, cùm non sint reuera ipsum pulchrum, sed pulchro similia. Quod ipsum non Socraticum modò ac Platonicum, sed cæleste quoque, diuinumq́ue esse præceptum; à nobis vberiùs, in huius tractatus Appendice demonstrabitur.

EFFATVM TERTIVM. *Quæ passim bona vulgus æstimat, hæc non verè bona, sed neutra seu indifferentia esse.*

Hoc sanè ex his esse videtur, quæ apud vulgum paradoxa sunt, immo paraloga, & solis nota sunt sapientibus. Nam veluti scripsit, Socraticè philosophans Satyricus:

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus, vsque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt Iuu. Satyr. 10.
Vera bona.

Et ipse Socrates apud Senecam: *Hanc summam esse sapientiam, bona malaq́; distinguere.* Epist. 71.

Cæterùm proposito dogmati, tanquam primario ac firmissi-

mo non tota duntaxat incumbit Attica Porticus, nihil repugnante Academiâ; sed vel maximè inniti videtur ipsum etiam Christianum Euangelium. Ita præ cæteris attestante B. Ambrosio in libro 2. de Officijs: vbi capite 3. ita loquitur: *Nihil enim bonum Scriptura, nisi quod est honestum, asserit:* additque, hanc esse enodem & absolutam diuinæ Scripturæ sententiam. Et capite 5. *Sed & illa quæ videntur bona, diuitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, detrimento esse ad fructum beatitudinis, Dominico declaratum liquet iudicio, cùm dicitur: Væ vobis diuitibus.* Et infrà: *Certum est solum & summum bonum esse virtutem, eaq; solâ vitam præstari beatam.* Vnde & Clemens Alexan- *L. 5. Strom. c. 6.* drinus: *Solum bonum honestum esse, nouit & Barbara* (id est Iudaica, seu Christiana) *Philosophia.* Nouit etiam Brachmanum natio; vt qui (teste Strabone) inter alia dogmata censerent: *Geogr. l. 15.* *Bonum aut malum nihil esse eorum quæ hominibus eueniunt: non enim fore, vt ijsdem alij angerentur, alij lætarentur, somniorum similes conceptus habentes.*

1. 2. q. 59. a. 3. Neque huic dogmati (vt id admoneam, cautionis gratiâ) quod ad rem attinet, repugnare dicemus Doctorem Angelicum; *3. p. q. 15. a. 6. ad 2.* dum aduersus Stoicos contendit, temporalia esse saltem secundaria bona hominis. Quia neque Stoici, ita bona aut mala esse negant, vt non fateantur quædam in ijs esse *commoda aut in-* *V. Lips. Manud. l. 2. diss. 23.* *commoda*, siue (Stoicâ phrasi) *producta aut reiecta*: & S. Thomas locis alijs expressè docet; quod *temporalia bona si considerentur secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis,* *1. 2. q. 114. a. 10.* *sed tantùm secundum quid*, itemque, *eadem quasi nihil esse in com-* *2. 2. q. 36. a. 2.* *paratione ad bona futura.*

Lib. de Philosophia. Quò denique facit quod apud Apuleium, velut ex Platonis mente legimus: *Corporum sanitatem, vires, indolentiam, cæteraq; eiusmodi bona extraria, item diuitias, & quæ fortunæ commoda dicimus, ea non simpliciter bona nuncupanda esse.*

Ex quibus omnibus, eiusdem effati multiplex ratio potest *Ep. 120.* erui, tribus tantùm verbis insinuanda. Primùm enim (quod inculcat Annæus) non potest verè simpliciterque bonum censeri, quo quis & malè vti potest, illudque adeò sibi in pestem, perniciemque conuertere.

Deinde, quomodo absolutè bonum dicitur, quod bonum non facit habentem? Aut, quî censeri potest hominis bonum, quod neque ipsa est vera hominis felicitas, nec per se conducens ad veram eius felicitatem? Immo verò quod ex genere suo,

cum virtute, sine qua nemo verè felix esse potest, vix queat consistere; neque rursum veram sinceramque animo pacem tribuit, sed illum potiùs inquietum reddit & ærumnosum? Siquidem vt rectè Plato scripsit, dialogo 6. de Rep. *Quæcunque bona vulgo dicuntur, deprauant animum atque impediunt, forma, diuitiæ, corporis vires, & genus in ciuitate potens, & cætera generis eiusdem.*

Igitur, si rectè attendimus, solo ista errore vulgari dicuntur bona, cùm verè non sint; vt vel eâ causâ, eoque etiam solo nomine, meritò sint à viro sapiente, ingenuâ quadam excelsitate mentis, atque animi magnificentiâ, contemnenda.

EFFATVM QVARTVM. *Qui vulgo felices existimentur, Dei sapientumq; iudicio, potiùs infelices esse censendos.*

Quod vtinam, quàm certò, siue diuinâ, humanaque virorum sapientum auctoritate, siue ratione, experientiaque compertum est, tam promptè animis insinueur mortalium! Sed nimirum haud facilè creditur, quod ei contrauenit, quod amatur.

Audi interim, non iam tubam, sed tonitruum Euangelicum: *Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis. Væ vobis qui ridetis nunc.* Luc. 6. v. 24. 25. Quod equidem *Væ*, toties ore diuino congeminatum, beatulos illos, qui scilicet tales existimentur ab hominibus, non reipsa tales esse designat, sed sanè quàm miseros & ærumnosos.

Audi & externos Sapientes. Disertè Plato epistola 8. *Locupletes verò* (inquit) *beatos appellare, sermo amens est & infelix, mulieribus puerisq; conueniens; atque eos qui id credunt, tales efficiens.*

Et apud eundem in primo Alcibiade, hæc duo coniunctim Socrates pronuntiat: *Nemo itaque felix esse potest, nisi sapiens bonusq; sit.* Et mox: *Non ergo qui diues sit, sed qui prudens* (siue sapiens bonusque) *miseriam vitat.* Romani Philosophi è pluribus locum vnum produco, in quo iisdem propemodum verbis, id quod proposuimus effatus est. *Si vis vtique verborum ambiguitates deducere, hoc nos doce: beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit; sed illum, cui bonum omne in animo est &c.* Ep. 45.

Denique si expertis creditur, audi vnicum Ecclesiasten. *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & delicias filiorum hominum;* Cap. 2. v. 8. 10. 11.

nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur: & vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

Non igitur possunt huius sæculi bona beatum efficere possi-
Sen. ep. 71. dentem; idque (vt paucis multa complectar) quia *falsa & adulterina*, non vera, *bona sunt*; quia caduca, fluxa, transitoria, non æterna sunt, quia vilia, & humani animi dignitate longè inferiora sunt; quia cor & mentem & sapientiam aufetunt; quia non finis noster, summum bonum, sed, vt multùm, illius adipiscendi præsidia quædam & velut instrumenta sunt. Et sapiens est, qui ista considerat.

Epist. 15. Addamus & illas Senecæ voces: *Discedent aliquando ista insidiosa bona, & sperantibus meliora, quàm assecutis. Si quid in illis esset solidi, aliquando & implerent: nunc haurientium sitim*
De breu. vit. c. 15. *concitant &c.* Et in alio tractatu: *Cùm ad extrema venerint, serò intelligunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.* Quibus vtique satis significat, omnem illam rerum temporalium solicitudinem, vt quæ ad animi pacem felicitatemque nihil conferat, inutilem esse & superuacuam: quasi illud moneret de Euangelio; frustra nos turbari erga plurima; cùm vnum, vnicum, sit necessarium.

EFFATVM QVINTVM. *Dementissimæ vecordiæ est; rerum post vitam futurarum fidem habentem, totum teneri occuparique præsentibus; de æternis verò, quia futura sint, nec sub sensus cadant, tanquam ad se minùs pertinentibus, solicitum non esse.* Cui istud vnâ operâ adiungimus, veluti subnexum, eodemque ferè recidens:

EFFATVM SEXTVM. *Supremæ esse insipientiæ; immortalem animum, eundemque suæ perennitatis, æternitatisque conscium, sibi in præsens solummodo, siue non nisi in modicum corruptibilis vitæ tempus, prouidere.*

Etenim supremam eo in facto imprudentiam insipientiamque versari, res ipsa loquitur, siquis animum ei duntaxat ad-
L. 1. de legib. uerterit. Prudentia certè, teste Tullio, ex prouidendo appellata est; atque prouidere in futurum, constat ei maximè at-
Cap. 4. v. 13. que intimè esse proprium. Quò spectat illud Ecclesiastæ: *Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit prouidere in posterum.* Ad quæ verba præclarè Laodicenus interpres; qui (vt ait, eius voces referens, S. Hieronymus) *res magnas breui sermone exponere contendens, more sibi solito hic etiam*

locutus est : De commutatione (inquiens) *bonorum in mala. nunc Ecclesiastæ sermo est ; insipientem hominem conantis exprimere , qui futura non cogitans , præsentibus & caducis , quasi magnis atque perpetuis delectatur.* Sic ille appositissimè.

Nam si is imprudens & insipiens censetur humano iudicio, qui solis intendit hodiernis , incuriosus reliqui temporis, atque vnde sibi suisque in posterum consulat, nihil habens pensi : quanto magis homo Christianus summæ imprudentiæ & insipientiæ diuino iudicio incusabitur , si, huic vitæ mortali, fragili , breuique solùm prouidens, de æternitate, quæ illum manet, non recogitat ; sed similis factus iumentis insipientibus, ad ea duntaxat , quæ ob oculos habet, attendit?

Admonente interim , & grauissimis præcipiente Saluatore; quibus vtinam assiduis vocibus cordis nostri aures circumsonent : *Operamini non cibum qui perit , sed qui permanet in vitam æternam.* *Ioa.6.v.27.*

Perinde ac si diceret: Nolite, mortales (immo immortales, quando ad animum nunc respicimus) nolite, tot vestris tamque importunis laboribus panem duntaxat periturum quærere , aut non nisi de istâ mortali vitâ sustinendâ , tuendâ, atque ornandâ cogitare. Nam , ne frustra sitis , & studio vos conuexetis inutili , ad vitam alteram semper manentem atque æternam laborandum est ; eoque , vt vobis semper bene sit, omnes curæ vestræ, studia, labores, cogitata, vota conferenda.

Enimuero vt in hanc rem denique etiam Platonis verba quædam vsurpem : *Annon ridiculum id est , in rebus minimis* (quales eæ sunt omnes , quæ huic vitæ tantùm seruiunt) *omne studium ponere , & obnixè contendere , quò quàm diligentissimè & sincerissimè peragantur : in maximis autem* (quales sunt vtique quæ æternitatem respiciunt) *leuem operam satis esse putare ?* *Dialog. 6. de Rep.* Sic ille.

CAPVT XXIII.

Pronuntiata alia eidem fini subseruientia.

AFfinia dictis sunt, & quæ sequuntur pronuntiata. Sed nempe res momenti præcipui, modis pluribus proponenda est; quò eius veritas, vel faciliùs penetretur à rudioribus, vel (vt est varius cuiusque genius) congruente aliquâ ratione in cuiusque animum illabatur.

EFFATVM SEPTIMVM. *Stultum est ac summè peruersum: rebus his creatis, quæ vltimo fini nostro quærendo præsidia solum sint atque adminicula, tanquam ipso fine vltimo, summoq; bono, frui; finis autem ad quem quisque factus sit, & quo solo beatus esse poßit, nullam aut postremam rationem habere.*

Lib. 1. de Doct. Christ. c. 3. 4. &c. Equidem, vt alio in loco cum Doctore maximo S. Augustino fortassè pluribus dicturi sumus; summa, immo tota, humanæ vitæ affectusque nostri peruersitas, in eo vnicè versatur, quòd, contra ipsam rerum naturam, vtendis frui, & fruendis vti velimus. Ex quo necesse sit, nos, non stulto modò ac superuacuo in rebus istis labore fatigari, sed etiam summè existere infelices; vt qui beatam vitam ibi quærimus vbi non est; neglecto fine ac summo bono, in quo manifestum sit, illam vnicè esse quærendam. *L.4.Confess. c. 12.*

Quod si ille ridetur vt fatuus, qui in hisce rebus infimis, quæ in vsus veniunt humanæ vitæ, fine omisso sistat in medijs, aut pro re quæ summè sit necessaria, eius solummodo instrumentis quærendis occupetur: quam esse dicemus fatuitatem eius hominis, qui ita se gerat in ipso ęternitatis negotio; vbi nempe agitur summa rei, & vbi error semel admissus, non potest deinceps vllo studio corrigi, vllâ pœnitentiâ emendari?

EFFATVM OCTAVVM. *Nihil admodum cuiusque referre, quî sese hæc habeat mortalis vita, dummodo ei in æternum bene ac beatè futurum sit.*

Audiatur hoc loco ille simplex sapiens ac theodidactus frater Ægidius Assisias; cuius hæc fertur, inter alias, aurea sententia: *Homini qui expectat æternum bonum, quid mali potest facere* *Sent. aur. c. 2.*

cere quodcunque malum? & ei qui expectat æternum malum, quid boni potest facere quodcunque bonum?

Nimirum non exordia rerum, sed exitus præsertim spectandi sunt. Et, si, teste diuinâ Scripturâ, *malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ*; velut etiam è diverso, magnum aliquod gaudium obliuionem infert omnium præteritorum dolorum: quanto magis id verum erit, cùm non longo mœrori succedit æterna lætitia, aut breuibus gaudijs tormenta subeunt sempiterna? Ipsâ videlicet vtriusuis status æternitate, absorbente penitùs, quidquid in vita antecessit aut mœroris aut gaudij, & (velut indicat Apostolus) suo quasi pondere obruente. Eccli. 11. v. 29. Ioan. 6. v. 22. 2. Cor. 4. v. 17.

Pretiosa igitur afflictio, cui succedent æterna gaudia! Infelix gaudium, cuius extrema luctus occupabit æternus!

EFFATVM NONVM. *Vitam paupertate alijsq; incommodis exercitam, ampliùs, ipso suo genere, ad veram summamq; felicitatem, quàm sæculi bonis ac delicijs circumfluentem, conferre.*

Et istud mundo paradoxum est; at in scholâ Christi, disciplinaque veræ sapientiæ, exploratissimum & indubitatum axioma: quando Christum, certum est, beatos pauperes, beatos esurientes, beatos lugentes, beatos afflictos ac persecutionem odiumque mundi tolerantes, pronuntiasse; & è contrà, huius sæculi diuitibus, (prout anteà ostendimus) itemque risu, satietate, delicijsque diffluentibus, *Væ* multiplex comminatum esse. Luc. 6. 20. &c.

Veruntamen & huic Euangelicæ Sapientiæ consentientem habemus etiam moratam Philosophiam; non nostram duntaxat, quam apud Boëtium audias, illi solando erigendoque, hoc ipsum effatum, & tanquam aphorismum, adhibentem: *Etenim plus reor hominibus aduersam, quàm prosperam prodesse fortunam*; sed externam quoque, & toto naturæ rationisque ductu constantem. Eò quippe spectant tum alia multa quæ de hoc ipso argumento exaggeratè disputat Romanus Philosophus, nominatim in libro de Prouidentia; Vbi & hanc commendat Demetrij vocem, quam meritò appellat magnificam: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam contigit aduersi*: tum illa ipsius Senecę vox, etiam magnificentior; eademque adeò supra totam Porticum, communemque sensum Sapientum illorum erecta, vt non nisi veniam præfatus, & audacię specie excusatâ; eam is etiam suo Lucilio committere ausus sit: *Permitte mihi* (inquiens) *mi Lucili virorum optime, aliquid audacius dicere. Si vlla* Lib. 2. prosa 8. Cap. 3. Epist. 66.

bona

bona maiora esse alijs possent, hæc ego quæ tristia videntur, mollibus illis ac delicatis prætulissem. Quibus quidem suppares sensus ac voces, in Euangelij discipulis iure laudamus; at ab Ethnico Sapiente profectas, nunquam satis mirabimur.

EFFATVM DECIMVM. *Veram æternamq; felicitatem minori labore, quàm falsam ac transitoriam, comparari.*

Erit, vt existimo, etiam istud, plerisque filiorum huius sæculi parum credibile, ijs videlicet, quos Spiritûs Dei suauitatem, & illud, quod Scriptura commendat, securæ mentis, & in rectè factorum conscientiâ, futurorumque bonorum expectatione acquiescentis, *quasi iuge conuiuium*, nondum experiri aut degustare contigerit. Quippe, vt acutè Socrates Platonicus in Philebo extremo; etiam *primum voluptati locum boues darent & equi, & bruta denique vniuersa, ex eo quod eius illecebris mancipata sint*: quibus ait plurimos fidem habere; eos nimirum, qui perinde atque illa, ipso sensu ac gustu affecti sint, neque puras illas, atque sinceras voluptates, *quæ* (vt ibidem præmisit Philosophus) *virtutis, tanquam Deæ cuiusdam, pedisequæ sunt*, exploratas habeant; aut verum illud, atque ex vero bono natum gaudium, siue (vt quodam loco egregiè definit Seneca) *ex bonâ conscientiâ, ex honestis consilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore, vnam prementis viam*; ortum atque conflatum. Quibus in rebus tantum ponit idem Annæus, vt cùm alio in loco quæstionem hanc proponeret: *Quid est beata vita? Securitas* (inquiat) *& perpetua tranquillitas.* Eumque imitari visus B. Ambrosius libro 3. de Officijs: *Beatam vitam* (inquit) *efficiunt, tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Et hinc consequenter, libro de Iacob & vitâ beatâ, de sapiente loquens: *Etiam in ærumnis* (infit) *beatus manet: quia non in delectatione corporis vita beatitudo est, sed in conscientiâ purâ ab omni labe peccati, & in eius mente qui cognoscat, quia quod bonum est, hoc delectat, etiamsi asperum sit; quod autem indecorum, etiamsi suaue, non mulcet.* Ita S. Ambrosius.

Prov. 15. v. 15. — Ep. 23. — Ep. 92. — Cap. 1. — Cap. 7.

Cuius quidem intimæ securitatis qui sensum aliquem atque experientiam habeat, simulque reflectat animum ad prioris vitæ curas inanes, angores, morsus, fastidia, ad illas incerti & fluctuantis animi, atque in harum rerum quibus se felicem fore speraret, prensatione solicitâ, nunc desperantis, postea erecti, ac rursum illusi, iactationes, frustrationes, fallacias; ad il-

los postremò mentis sui consciæ, atque semetipsam assiduè, aut refugientis, aut incusantis, pauores anxios, & tot alias dolorum causas inter ipsa gaudia incutientes, atque omnem falsæ voluptatis sensum, aut auertentes, corrumpentesúe, aut amatâ aliquâ offensione diluentes: is sanè nihil iam dubitabit de præsentis effati veritate, neque vllius difficultatis obtentu auertetur à veræ æternæque felicitatis studio; quam nunc intelligat, non sanctiùs modò, veriùs, securiùs, certiùs, sed minori etiam labore, immo cum vero atque sincero, omnibusque mundi voluptatibus antefetendo gaudio, quæri ac comparari posse.

Quanquam & qui eius, quam dixi, rei inexperti sint, de eâ meritò possint alijs credere, viris sapientibus, & vtramque sortem, id est vtriusque vitę studium atque institutum, expertis. E quorum numero S. Augustinus, cùm iam recens esset, ab ijs, quas appellabat *nugas nugarum*, aut (ad sensum meum efficaci voce) *delitiosas lassitudines*, ad Deum & diuina conuersus, simili animi reflexione, expertam mundi seruitutem cum suaui Christi iugo conferens, planè diserteque pronuntiat: *Laboriosior est huius mundi amor.* Idemque postea in suarum Confessionum libris, omnes annos suos Deo recogitans, & illa deplorans vitæ suæ tempora, quibus (vt ibidem ipse loquitur) *sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis suæ sarcinam, atque tabescens curis marcidis*, errabat longè à delitijs domus Dei; illarum deinceps sanctâ dulcedine, incredibilique suauitate compertâ, cæcitatem pristinam in hunc modum incusat; inter alia: *Vbi eram, & quàm longè exulabam à delitijs domus tuæ, cùm accepit in me luxuria sceptrum? O tardum gaudium meum! Et ego ibam porrò longè à te in plura & plura semina dolorum, superbâ deiectione, & inquietâ lassitudine. Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua; serò te amaui! Te volo iustitia & innocentia, pulchra & decora honestis luminibus, & insatiabili satietate. Quies est apud te valde, & vita imperturbabilis. Tu autem es plenitudo & indeficiens copia incorruptibilis suauitatis.*

Et quasi iam nollet solus secum gaudere gaudium suum, ad similis gaudij experimentum, passim inuitat fratres suos, clamans, vt saltem fatigati fallacijs, ad Deum & cor suum redeant: quoniam (vt ait Deum ipsum alloquens) *Ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, & proijcientium se in te, & plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles.* Quasi illud diceret, cum Romano Philosopho: *Rectum iter quod serò cognoui,*

Conf. lib. 8. c. 11.
Lib. 10. c. 34.
Lib. 6. mu- sic. c. 14.
Lib. 6. c. 6.
L. 8. c. 1.
Lib. 2. c. 2.
L. 10. c. 27.
L. 2. c. 10.
Ibid. c. 7.
L. 5. c. 2.
Ep. 8.

ni, & lassus errando, alijs monstro. Vnde etiam sunt & illæ vo-
L.4.c.12. ces: *Intimus cordi est, sed cor errauit ab eo. Redite præuaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. Quò itis in aspera, quò itis? Quò vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, vbi quæritis eam. Quærite, quod quæritis, sed ibi non est vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?* Quibus sanè omnibus de Dei spiritu, & intimâ sanctę suauitatis experientiâ, ab eo sancto ac sapiente Patre prolatis, nihil expressius, certius, efficacius, pro veritate propositâ proferri potest.

Atque huiusmodi pijs sensibus, sanctisque animi ad Deum suum aspirantis affectibus, præ cæteris illius S. Doctoris Operibus, aurei illi Confessionum libri referti sunt; vt de ijs ipse meritò scripserit libro 2. suarum Retractationum cap. 6 *Confessionum mearum libri tredecim, & de malis & de bonis meis Deum laudant iustum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum. Interim, quod ad me attinet, hoc in me egerunt cùm scriberentur, & agunt, cùm leguntur: & multis fratribus eos multum placuisse scio.* Sic ibi vtque ingenuè de memetipso profitear, eos ego libros ab adolescentiâ, quodam è Magistris indicante, familiares habui, & iterum, tertiò, sæpiusque perlectos, semper ęquè iucundos ac salutares expertus sum, non sine pio dulcique sensu, ac fructu animi mei. Quò proinde, eosdem itidem iuuentuti studiosæ, & sapientiæ salutisque suæ amanti, esse peruelim quàm commendatissimos.

At enim me iam animaduerto, in his exponendis (etsi non præter rerum merita) attamen quem mihi principio modum formamúe præscripseram, differendo prætergredi: abrumpo igitur, & istam duntaxat effatorum sapientiæ decadem priore subnixam, conglobatim, strictimque subijcio, à cordato quouis absque aliâ probatione acceptandam. Ecce igitur illam.

1. *Quidquid finem habet & cum tempore transuolat, pro nullo aut leui esse habendum.*

In vita S. Aug. 2. *Non erit magnus, magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.*

3. *Hominem Deo charum, vtcunque cætera se extrinsecus habeant, felicem atque beatum esse.*

4. *Nihil extra Deum atque diuina magnum esse, aut generosæ mentis amore dignum.*

5. Summi

5 *Summi boni capacem animam bonis istis infimis occupari posse; impleri ac satiari non posse.*

6. *Quidquid nobis adest, prater Deum nostrum, non est dulce.* Aug. in ps. 85.

7. *Spirituales puræ mentis delitias, omnibus huius vitæ voluptatibus antecellere.*

8. *Beatam vitam, siqua esse potest in isto orbe mortalibus, in animi pace imperturbata, ac rectæ conscientiæ suauitate, consistere.*

9 *Nisi qui se Deo eiusq́; amabili prouidentiæ, quouis rerum occursu, perfectè subjecerit ac permiserit, mentis tranquillitatem ac pacem animi retinere non posse.*

10. *Nunquam tranquillè bilareq́; victurum, nisi qui paucis contentus esse didicerit.*

Porrò omnium dictorum clausula, coronis, & summa summarum, hæc esto: *Summè fatuum & infelicem esse, qui nihil nisi seruit tempori: sapientem autem atque felicem, qui soli laborat æternitati.*

CAPVT XXIV.

Quæ proposita sunt effata veræ Sapientiæ, non leuiter atque transcursim obeunda, sed studio aliquo solicitiore considerandæ. Quamobrem otium cogitationis rursum ac seriò commendatum.

HÆc igitur habui in præsentiarum, quæ summatim comprehensa traderem effata diuinæ Sapientiæ, & tanquam aphorismos disciplinæ cælestis: quæ fideli retenta memoriâ, multipliciter valere possint, ad humanę mentis, in finem vltimum atque supremum, directionem, iudicij constantiam, pacem animi, consonantiam vitæ, actuumq́ue omnium accuratam ac sanctam disciplinam.

Quod si hic fortasse quisquam obiecter; quod, Deum ex totâ animâ, totoq́ue corde diligendi præceptum proponens, sibimet objicit S. Augustinus: ista nempe *quàm auditu breuia, tam factu esse difficilia & ardua*: Primùm, id quod solet in similibus, respondebimus: nihil esse factu tam difficile, quod non amore, & magna voluntate, vincatur. L.6. de Mus. c. 14.

Deinde, ipſa tractatione vſuque molliri omnia, cùm aſſueueris.

Demum, plurimum eò conferre poſſe, ſi in aliquo otio cogitationis (ad quod videlicet, velut multorum bonorum fontem, non ſine causâ ſæpe prouoco lectorem meum) nunc huius, nunc iſtius effati veritatem atque efficaciam, ſincerâ atque accuratâ conſideratione perpenſam, tibique certò atque intimè perſuaſam, penitùs admittas in animum, nullâ vulgi fallacis aduersâ opinione abolendam.

Habent enim iſta intus quidpiam, diligentiùs dignum inſpici, quodque turbis immiſtus, & ad tot alia diſtractus animus, peruidere non poſſit. Quâ gratiâ rurſum rogatum te velim, lector optime, ne eam in rem te pœniteat, ſubinde partem aliquam temporis, aut curæ quiddam atque operæ contuliſſe. Neque enim quicquam eſt, mihi crede, ſeu homine dignius, aut honeſtius, ſeu vtilius rurſum aut pretioſius; eo otio, in quo, eruditis tranquillæ mentis exercitijs, ac ſapientiæ cognatis cogitationibus, ſummam animo verſes rerum tuarum, & negotium agas æternitatis.

Quod ſanè otium cogitationis, quàm ſit amicum, & (velut dicebam) quaſi cognatum ſapientiæ, vel hinc intelligas; quòd in Siracidę Sapientiâ, vbi ſic legimus: *In medio inſenſatorum ſerua verbum tempori: in medio autem cogitantium aſſiduus eſto*; cogitantium nomine; viros ſapientes intelligi, tum ipſa ſuadet inſenſatorum & cogitantium contrapoſitio; tum alię quędam verſiones expreſſere.

Cap. 27. v. 13.

Vt enim præclarè obſeruat Doctor Angelicus, eo Opuſculo quo, poſt Gilbertum, Boëtij libellum de Hebdomadibus exponit: *Habet hoc priuilegium ſapientiæ ſtudium, quòd operi ſuo proſequendo magis ipſum per ſe ſufficiat. In exterioribus enim operibus, indiget homo plurimorum auxilio: ſed in contemplatione ſapientiæ, tanto aliquis efficaciùs operatur, quanto magis ſolitarius ſecum commoratur*; Seſe videlicet (vt ſubiungit ibidem) ab exterioribus ad mentem ſuam reuocans, ita vt ipſe totus interiùs adſit, ne eius intentio ad diuerſa trahatur. *Vnde dicitur* (inquit) *Sap.* 8. *Intrans in domum meam* (hoc eſt, in mentem meam, prout hìc accipit S. Doctor) *conquieſcam cum illa, id eſt, cum ſapientia.* Hæc S. Thomas.

Opuſc. 69.

Verſ. 16.

Quibus & illam inſinuat præcelſam & incomparabilem, ſapientiæ, ſeu ſapientis animæ, ſupra hominum vulgus eminentiam;

tiam; quòd habens (quod Seneca dixit) *bonis cogitationibus plena præcordia*, secum degere & commorari possit, & quasi per se sibi sufficere; quadam ipsius supremæ Mentis, vitæque diuinæ, nobilissimâ æmulatione. Sicut enim summa ac diuina Mens, nullius indigens extra se, sibi summè per se sufficiens, in semet collecta, sempiternum æuum placidissimè secum agitat, ipso fructu contenta suarum diuinarum cogitationum: ita (etiam de Stoico sensu) sapienti secum bene conuenit, secum morari & consistere potest, & in illo, quod modò commendamus, cogitationis otio, iucundè beatéque acquiescit. Sic enim expressè atque excelsè Epictetus, sapientiæ amatorem commonens, *Oportet in hoc exerceri* (inquit) *vt possit sibi ipse sufficere, possit secum esse. Sicut Iuppiter secum est atque agit, & in se acquiescit, & cogitationibus fruitur se dignis.* Atque ante illum ex eadem Porticu Seneca, (cuius verba videri possit, dum ista scriberet, Epictetus respexisse) epistolâ quadam illud exquirens; qualis futura sit vita sapientis, si solitarius, absque amicis, aut humano consortio relinquatur, puta in desertum aliquod littus eiectus: *Qualis est Iouis* (respondet) *cùm resoluto mundo, & dijs in vnum confusis, paulisper cessante naturâ, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus.* Quæ ita dicuntur ex quadam illorum sapientum opinatione, nescio quam mundi inflammationem ac renouationem suspicantium; de qua plura Lipsius libro 2. Physiologiæ Stoicorum dissertatione 20.

De vit. beat. c. 20.

Arrian. l. 3. c. 13.

Epist. 9.

Adeò præcellens est atque diuinum, tum verò nec otiosum nec sterile, sed summè etiam frugiferum ac fructuosum, otium illud sapientis cogitationis.

Quamobrem etiam Lucilio suo non semel Seneca: *Otium tibi commendo* (inquit) *in quo maiora agas & pulchriora, quàm quæ reliquisti.* Et rursum: *Depono hoc apud te: nunquam plus agere sapientem, quàm cùm in conspectum eius diuina atque humana venerunt.* Et in aliâ epistolâ: *Mihi crede*, infit: *qui nihil agere videntur, maiora agunt; humana diuinaq; simul tractant.* Denique in libro de Tranquillitate animi, eodem sensu scripsit: *hominum maximas actiones in seductu esse.* Seductum appellans, quem frequentiùs secessum dicimus: tanquam is quidam quasi locus sit, quo animum nostrum, seu nosmetipsos, auocemus & seducamus à turba, veluti cum illo, siue nobiscum, seorsum ac secretò de rebus serijs atque grauibus collocuturi.

Epist. 68.

Epist. 8.

Cap. 3.

Cuius item seductûs ille quoque fructus, & operæpretium

existat : quòd animus sibi tum redditus , diuinisque vacans atque æternis rationibus , quodam quasi viuendi compendio , etiam horis non multis multum viuat , æuique maligni fugaces moras , ipsâ suppleat viuendi scientiâ , & quadam (si ita loquendum est) grandium compenset densitate factorum.

In quam sententiam non semel inuenio ab eo Philosopho præclarè dictum : *Sapientis multum patere vitam.* Cuius ille vocis

Epist. 78. autorem Posidonium laudat eâ epistolâ , quâ Lucilio suo hanc spem faciens , venturum scilicet aliquod tempus , quo inter se iungi , atque dulciter philosophari possint : *quantumlibet sit illud*, inquit (hoc est , quamlibet breue & exiguum) *longum faciet scientia vtendi. Nam , vt Posidonius ait , vnus dies eruditorum plus patet , quàm imperiti longissima ætas.* Quia videlicet vir sapiens rectè vti nouit ipso tempore , & eruditum illud otium , quo secum esse , sibique vacare permittitur , in longum extendit & quasi conduplicat , arte viuendi. Quò proinde & illud referri potest , quod de se scribit Iustus Lipsius , in suâ ad Stoicam Philosophiam Manuductione : vbi illud pertractans istius

L. 3. differt. 11. sectæ vulgò creditum paradoxum : *Sapientis esse omnia* : quod

L. 2. de Abrah. c. 7. ante omnes Zenonas & Chrysippos (vt Sanctus obseruat Ambrosius) his verbis pronuntiarat Salomon : *Eius qui fidelis est,*

Prou. 17. apud Sept. *totus mundus diuitiarum est* ; eò quòd (vt ibidem ex Stoico sensu Ambrosius) *Domina omnium est & possessor Sapientia , quæ sua putat naturæ munera , quoniam in vsum hominum data sunt* : proindeque ea , quæ natura ipsa publica fecit , etiamsi in vsus aliorum cesserunt , sua reputat , ijsque gaudet , atque frui nouit vt suis : hîc demum exclamat noster Lipsius : *O magnæ igitur & veræ opes ! veniamus in partem. Ego conari aut facere me fateor ; & istos agros , siluas , hortos , fontes , statuas , tabulas , & quidquid natura aut industria instruit , oculis & cogitatione vsurpo vt mea ; pascor suauiter , & sinceriore gaudij fructu , vel horulæ spatio , quàm Domini inscripti , anno vel annis.* Videsne , & in genere isto , quid valeat animi sapientia , & vti etiam rerum istarum , vel exiguam vsuram fructumúe , longum faciat scientia vtendi?

Quamobrem & de se pariter , verùm propiùs ad rem præsentem ,

Epist. 61. alibi testatur ipse Seneca ; sese iam senem id agere , *vt sibi instar totius vitæ sit dies* : sanctis videlicet diuinisque cogitationibus , magnisque rebus atque actibus (vti loquebamur)

Ps. 72. v. 10. densatus ; quasi & hic illos , quos Scriptura memorat , *dies plenos* possis agnoscere.

Quam

Quam itidem vocem, post hæc inuenio, etiam ipsi Senecę vsurpatam, dum ait: *Longa est vita, si plena est: impletur autem, cùm animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem suam transtulit;* Siue, cùm improbis expeditus cupiditatibus, sui iam iuris ac potestatis effectus est, boniq́ue sui, id est, perfectæ sapientiæ, compos. *Ep. 93.*

Denique rem ampliùs explanans in libro de Breuitate vitæ, ita pro meo sensu loquitur: *Sapientis ergo multum patet vita: non idem illum qui cæteros terminus includit. Longam illi vitam facit, omnium temporum in vnum collatio;* quia (vt ibi præmiserat) *& præteritum recordatione comprehendit, & instanti vtitur, & venturum præcipit.* In quem sensum adiungit (quod magnificè quidem, sed arrogantiùs dictum censeas) *omnia sæcula illi, vt Deo seruire.* *Cap. 15.*

Ex quibus interim id accipiemus in vsus nostros: sapientis vitam in cogitatione præsertim, inq́ue collatione & consideratione consistere, ac vitæ humanæ breuitatem suppleri posse sapientiâ, vitamq́ue ipsam longam effici, arte ac scientiâ viuendi.

Credis te viuere fortassis, cùm distraheris in plurima, cùm animum in diuersa diuidis, cùm, istâ curarum ac solicitudinum implicatione, infelicem vitam laceras, &, quasi tuus esse nolis, in infinita temetipse, partim noxia, partim superuacua, partiris? Occupatio ista, non vita est. Tunc viuit animus; cùm se de medio curarum inanium, ac noxiarum cupiditatum ereptum, semet inquam ipse sibi reddidit; cùm secum est, cùm se circumspicit, se introspicit, & rerum magnarum ac verè necessariarum rationem à se deposcit; cùm sese incusat errarorum conscientiâ, cùm cælestis disciplinæ studio, sese in horas efficit meliorem; cùm se supra nubes ac mundum istum attollit, cognatoq́ue æthere fruitur; cùm, annos æternos in mente habens, suam immortalitatem cogitat, & sese ad statum æternum puritate mentis, ardore sanctorum desideriorum, diuinarumq́ue rerum, tum meditatione, tum imitatione, componit.

Tunc viuit, cùm se sentit viuere. Nisi etiam somnum, vitam appelles; cui prorsus similis est ista occupatorum vita: cùm nihil admodum interesse videatur, sopore oppressus, an curis distractus sit animus; quando sic etiam suus non est, neo sibi seipsum, cui se maximè debet, reddit.

Assuescet

Assuescet igitur vir sapiens, vbicunque sit, suus esse; atque
Sen. ep. 62. inter curas, quas ei imponet officij ratio, ad sese respiciet identidem, nec rebus se tradet, sed commodabit; atque vbi primùm res ipsæ permiserint, anhelabit ad dulcem, sibiq́ue dilectam solitudinem, & velut ab obscurâ caligine cæcoq́ue tumultu, ad lucem illam ingenuam, animiq́ue sui arcanam pacem, & tanquam vnitatem, reuolabit. Nam quamuis ex verbo veteri, quo non nobis solis nati dicimur, quoad res ac vires patientur, promptus erit iuuare mortales, aliorumq́ue saluti priuatim ac publicè commodare; non ita se tamen alijs natum intelliget, vt sibi viuere non meminerit. Ne in illum incurset, non sine stomacho Tertullianus; dum vetus id verbum, seueritate censoriâ, & quadam eloquentiæ toruitate, dispungens, libro de
Cap. 5. Pallio, extremo ita loquitur: *Errat olim ista sententia. Nemo alij nascitur, moriturus sibi* Bene, præclarè!

Cæterùm, ne eius otij, quod potissimùm ex Senecæ dictis isto capite commendauimus, seu vsum, seu fructum, vni videamur debere Philosophiæ; quem tamen ex diuinis litteris, admonente S. Augustino, & vim ipsam ac nomen otij cogitationis suggerente, in superioribus didicimus; libet eiusdem sanctissimi Præsulis aliâ consimili atque præclarâ sententiâ, monitum hoc nostrum claudere atque obsignare.

Sic enim is rursum tractatu 57. in Ioannem: *In ijs* (inquit) *qui vitam quietam in studijs dulcibus & salubribus agunt, sancta delitietur Ecclesia, & dicat; Ego dormio, & cor meum vigilat. Otium meum non impenditur desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. Ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus diuinis se intendit affectibus*: & quæ sequuntur.

CAPVT XXV.

Ex traditis præsenti Tractatu ad extremum colligitur: veræ cælestisq́; sapientiæ studio nihil omnino esse in vita anteponendum.

EQuidem hac in re (quod etiam legenti, atque animum ad ipsam instituti nostri rationem aduertenti; non obscurè, opinor, apparuit) potissimùm versata est huius tractatus intentio; vt lectorem mentis ingenuæ, generosiq́ue pectoris, varijs

varijs hinc inde propositis incitamentis, ad veræ studium atque cælestis sapientiæ, posthabitis rerum infimarum, quibus tanquam magnis mortalium vulgus inhiat, superuacuis solicitudinibus, seriò capessendum adducerem. Cui profectò nihil anteponendum esse in vitâ, vel istâ in primis, quam præsenti capite deducimus, ratione, planè conficitur.

Si enim (veluti variè in decursu Operis demonstratum est) omnis humanæ mentis, siue ad hanc vitam, siue ad futuram, pertinens felicitas, in ipsa consistit participatione diuinæ Sapientiæ: par est profectò, vt in huius amorem totis inardescamus præcordijs, atque eius summæ felicitatis vel nunc participandæ desiderio, solis occupemur exerceamurque cælestis disciplinæ studijs, ijsque nos sensim ad statum illum beatissimum atque optatissimum aptemus.

Et sanè cælestem sapientiam, quatenus illam in se continet, quam Scriptura appellat prudentiam iustorum, quâ quis videlicet practicâ ratione intelligat, diuino amori ac glorię nihil omnino anteferendum esse, peccatum esse summum malorum, eoque fugiendum super omnia, temporalia omnia vana esse, atque æternorum amori posthabenda, & his affinia Christianæ scita sapientię, quæ nos in Appendice tractabimus; nimisquam clarum est, ad diuinam amicitiam, veramque hominis felicitatem, esse absolutè necessariam. De qua etiam accipitur illud, quod scriptum est in libro Sapientiæ: *Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.* Et similia. Luc. 1. v. 17. Cap 7. v. 26.

Ea autem, quæ in hoc tractatu præsertim versatur, sublimior sapientia, complectens in sese, ex propria sua notione, non vulgarem rerum diuinarum humanarumque scientiam, cum intimâ ipsius diuinitatis, rerumque æternarum dilectione, sensu, & quasi sapore coniunctam, non est illa quidem ad æternam salutem, simpliciter & per se necessaria; ad quam vtique illa sufficit, quam B. Hieronymus sanctam rusticitatem appellat: absque eâ tamen ausim dicere, ingenuæ indolis generosæque mentis hominem, & ad magna quædam, & vulgo maiora genitum (quod saltem attinet ad vitæ præsentis beatitatem, dulci quadam suimet experientiâ ac sensu constantem) non fore perfectè felicem. Ep. 103.

Nam quando ex S. Augustini certâ sententiâ, tunc quisque expers miseriæ atque beatus dicendus est, *cùm in suo genere perfectè esse cœperit*; atque, vt etiam agnoscit ac definit Seneca, ipsa L. 3. de lib. arb. c. 7.

Epist. 89. *Sapientia perfectum bonum est mentis humanæ*; manifestè sequitur, humanam mentem, vti perfecta futura non est, si destituta sit sapientiâ, ita absque eâ esse non posse vsquequaque felicem.

Lib. 1. c. 2. Et cùm ex eiusdem S. Doctoris definitione, scribentis aduersus Academicos; *aliud non sit beatè viuere, nisi secundum idquod in homine optimum est viuere, hoc est, secundum eam partem animi, cui dominanti obtemperare conuenit cætera quæque, quæ in homine sunt, quod est mens aut ratio*: quæ quidem proprium est simulacrum diuinæ mentis, atque Sapientiæ ipsius imitatio: rursum efficitur, beatam vitam, absque eâ quam commendamus sapientiâ, saltem perfectam esse non posse.

Ad hæc, quando mens ipsa duabus partibus, intelligente & appetente, constat; necesse est illam, vt vsquequaque beata sit, vtrâque esse sui parte perfectam. Atque ad partem intelligentem perficiendam atque ornandam, accedat oportet, veræ sapientiæ beneficio, non vulgaris rerum diuinarum humanarumque scientia: ad appetentem autem, dulcis ac fortis rerum diuinarum æternarumque dilectio, & gustus quidam ingenuus, saporque perspectæ ac deprehensæ veritatis.

Alioqui enim neque rerum naturam, causas, ac fines ritè cognoscere, aut ipsam in suis quasi latentem operibus, inuenire, mirari, adorare diuinitatem, cuius rei gratiâ conditum hominem, atque in hoc mundi tanquam theatrum, inductum sensere viri sapientissimi; neque rursum satis seipse nosse, ac suæ indolis cælestem ortum recognoscere, suarumque etiam operationum, quibus nempe seipsum, in finem suum vltimum promouere debeat, introspicere vim, modos, adiuncta; aut etiam ijs fines nobiles, ac circunstantias conuenientes, præfigere; neque vllum denique, vt ita loquar, dulcem vitæ humanæ sensum, fructumûe sincerum capere poterit; neque vitam sanè homine dignam, quam constet præsertim in bonæ mentis honestis exercitationibus sitam esse, sed sterilem, inertem, & (si ad rem ipsam animum suum sincerè reflectere voluerit) insuauem, & densis obductam obsessamque tenebris; sine luce & corde, viuere.

Hinc enim est illud, quod de se testatur Siracides, extremo libri sui capite ad ipsam nos exhortans, quocunque labore quærendam, comparandamque, sapientiam: *Possedi* (inquit) *cum ipsa cor ab initio*. Quòd scilicet ipsa sapientia sit, quæ cor

Cap. 51, v. 28.

ac

ac pectus homini tribuit, sine qua excors ac vecors, aut (quod ille ait) *corpus sine pectore*, futurus sit. Et quod itidem vir secundum cor Dei, Salomoni filio verbis extremis vouebat præcipiebatque, tanquam magnum momentum habens ad felicitatem: *vt intelligas* (inquiens) *vniuersa quæ facis*. Ita videlicet, vt neque cæco errore ductus, neque animi impetu aut perturbatione, seu inconsideratè & quasi casu quicquam faceret, sed scitè, tranquillè, circumspectè, atque adeò ex sapientiâ; vniuersa operaretur. *Horat. l. 1. epist. 4.* *3. Reg. 2. v. 3.*

Quomodo etiam Platonem videas (illum, Plinio, sapientię Antistitem) in primo Alcibiade sapienter obseruantem: eum, qui, quę facit non intelligat, erraturum vtique, eoque malum infelicemque futurum. *Lib. 7. hist. nat. c. 30.*

Igitur qui non aliquam ex his quas Apuleius Platonicus in libro de Philosophia appellat fusciores animas; quasi ex ignibus obscurioribus, sphærisue ignobilioribus delibatas, sed nobilem genium, mentemque præclaram ac resplendentem, sortitus sit, huic dico vitam, absque cælesti sapientiâ, nec iucundam satis, neque felicem vsquequaque futuram. Nam cui genius iniquior, istas tanquam alas negauerit, quibus nitatur ac sese efferat in sublime, is facilè fortassis suo modulo contentus viuet, neque concessis maiora affectans, tranquillus suâ se inuoluet mediocritate. At è contrà magnus, suæque conscius magnitudinis, proindeque nihil mediocre spirans, animus, frustra se versabit, agitabitque, atque huc illuc iactabit in varia; nullam quippe pacem, felicitatemque veram ac solidam inueniens, donec, cæteris contemptis quę bona mortales existimant, vni totum se tradet, addicetque studio cælestis sapientiæ, eamque admittet ac sectabitur vitę ducem, solaque se pascet, educabitque (quem vtique verum esse cibum & epulas animæ, sapienter, apud Augustinum, etiam Monica mater aduertit) incommutabilis contemplatione veritatis. *De beat. vita disp. 1.*

Alioqui enim quonam modo scitè eleganterque viuet, eâ destitutus quam summa ingenia artem definiunt, disciplinamque viuendi? Aut qua ratione excelsè ac nobiliter operabitur, qui non norit in vitæ actibus spectare causas altissimas; quod solius constat proprium esse sapientis? Quemadmodum autem, vel pacatus ager atque tranquillus, qui sapienti ratione nesciat, suis moderari, dominarique perturbationibus? Vel quî decoram vitæ æquabilitatem, constantiamque tuebitur, (qua in re magna

pars est posita felicitatis humanę) qui, nullo certo proposito, vagus feratur, prout eum, siue affectionum suorum inconstantia, seu rerum quas amat mutabilitas, impulerit? Aut quomodo rursum in se consistet, secumque libenter morabitur, qui verè solus sit cùm solus est, siue, qui non possit secum colloqui, sese erudire, semet solari, vt cui mens adsit ieiuna, sterilis, neque eruditis fœcunda cogitationibus? Quo pactò denique animi pacem reperiat, etiam inter rerum aduersa, qualia necesse est permulta in vitam humanam incidere, qui non didicerit re quauis sapienter vti, & quamlibet ex æquo ferre fortunam; nec possit (quod dixit Annæus) *quidquid euenit bono animo excipere*, eoque mala sua in bonum vertere, *casuum suorum benignus interpres?* Hoc enim vel maximè sapientis esse, insinuat etiam Plato in Theæteto, vbi quasi ex mente Protagoræ ita loquitur: *Hunc ipsum sapientem voco, qui conditionem illius, cui mala videntur, suntq́, permutans, bona apparere & esse facit.* In quem etiam sensum accipiam illud diuinum oraculum: *Non constristabit iustum* (siue, hominem sapientiâ & virtute perfectum) *quidquid ei acciderit*: quia scilicet ea, quę passim mala censentur, alijs ipse oculis aspicit, eademque sibi in bonum vertit, scientiâ vtendi. Quâ interim arte qui careat, hunc manifestum est, esse non posse in vitâ degendâ felicem.

De vit. beat. c. 15.

Prou. 12. v. 21.

Vt iam illud omittam: ad partem aliquam felicitatis, atque honestatem, & tanquam splendorem pertinere humanæ vitæ, in eo (vt ita loquamur) sapientiæ gradu constitutum esse hominem, vt non sibi duntaxat, sed alijs etiam priuatim ac publicè prodesse possit; ac voce, exemplo, omnique vitæ ratione philosophans, esse quidam veluti (quod de sapiente suo gloriosiùs Seneca) *humani generis pædagogus*, aut (quod etiam veterum nonnulli dixerunt) *quidam quasi terrenus Deus*; diuinæ scilicet beneficentiæ æmulatione. *Deus enim est homini, iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Vt in hunc sensum religiosiùs vsurpem, quod irreligiosè scripsit (si mens eius spectetur) Plinius, in Historia naturali.

Ep. 89.
Trismeg. in claui ad Tat.
Clem. 7. Strom. c. 9.
Chrys. hom. 4. in Ep. Philipp.
Lib. 2. c. 7.

Quò & illa faciunt Philonis Iudæi in libro de Somnijs: *Est autem vir ciuilis, non suum tantùm, verùm etiam publicum bonum. Sicut enim Sol omnibus lucet habentibus oculos: sic sapiens omnibus, quotquot sunt ratione præditi.*

Hæc porrò ita pronuntiamus hoc capite, spectatis humanis consue-

consuetisque communi rerum ordini, rationibus. Non quasi non possit absque illa de qua nunc loquimur, humano studio ac labore quæsitâ, rerum diuinarum humanarumque scientiâ, hæc omnis homini subinde obuenire felicitas. Nam siquos diuina sapientia, extra ordinem sibi dilectos, speciali luce ac dono cælestis cognitionis illustrauerit; vt magnum Antonium, vt Seraphicos Franciscum, ac Teresiam, sicut hos negare non possumus fuisse in vita (quantum fas mortali) verè felices; ita eos dicemus, absque litteris ac disciplinâ, fuisse verè sapientes.

Sed enim ratiocinationem à nobis hoc loco propositam, in pauca licebit in hunc ferè modum colligere. *Quandoquidem omnes eâ cupiditate ducimur, vt felices simus: atque, vt sermone superiori apparuit, tales efficimur, cùm & rebus vtimur, & rectè quidem vtimur, illius autem recti vsus rationem, felicemque successum sapientia suppeditat: omni ratione consentaneum est, vnumquemque ita se comparare, in idque omni studio niti, vt quàm sapientissimus existat.* Quæ quidem non mea, sed summi Philosophi, & quem Arnobius piè sanctéque sapientem appellare non dubitauit, Platonis inquam in Euthydemo, perapposita, & verissima est oratio. *Lib. 2. contra Gent.*

Quamò enim, certum est, neque humanâ tantùm, sed diuinâ etiam autoritate, comprobatum, veram cælestemque sapientiam, rebus vniuersis, quę à mortalibus optari possint, antecellere: tantò, manifestum est, huius studium, cæterarum rerum quarum cupiditate ducimur in vita, studio anteponendum esse.

Nam cætera quidem hominum studia, aut per se noxia ac perniciosa sunt, aut vana profectò atque inutilia, nisi si ad finem veræ sapientiæ referantur.

In primis siquidem, eorum *quæ* (vt pulchrè Seneca) *nunc magna, magnorum ignorantiâ, credimus*; puta opum, honorum, voluptatum, immodicum importunumque studium, adeò nihil ad pacem animi, veramque ac sinceram felicitatem conferre potest, vt potiùs (quod nos inter effata Sapientiæ posuimus) miserum, ærumnosumque faciat, siue sectantem, siue etiam ea possidentem. *Epist. 86.*

Quod quidem pernosse, adeò est de ratione sapientię, vt eâ (veluti ipse appellat) *breui formulâ*, epistolas suas concludendas obsignandasque censuerit idem Philosophus: *Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges, infelicissimos esse felices.* *Epist. 124.*

 Eorum

Eorum autem quę ad vſus vitę neceſſarios faciunt, moderata, & perſonę, loco, tempori attemperata conquiſitio, vt ſapiat generoſę menti, quodam ſapientię quaſi intinctu condienda eſt; cuius etiam ſtudio prouidendum, ne fini viuendi ipſa obſtent adminicula vitę.

Porrò artes omnes diſciplinaſque reliquas, vnamquamque in genere ſuo ancillari debere ac ſubſeruire ſapientiæ, magno ſa-
1.p.q.1.a.5. pientum conſenſu receptum eſt. Eò enim ſpectat, quod S. Thomas alijque Doctores, in eo quod Prouerbiorum 9. v. 3. dicitur: *miſit ancillas ſuas &c.* ancillarum ſapientię nomine, reliquas ſcientias naturales, allegoricâ ratione intelligunt. Expreſſiſſimè autem Philo Iudæus, libro *De congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ*, logicam, muſicam, aſtronomiam, aliaſque artes liberales, tradit famulas eſſe ſapientiæ; eaſdemque ſeſe habere inſtar veſtibuli, ante ſapientię aut virtutis ædem ſiti, eò quòd ad hanc per illas adeatur. Proindeque etiam illas Agari comparat ancillæ Saræ, cum qua priùs Abraham congreſſus eſt prolis gratiâ, quàm vllam ex Sarâ Dominâ (quam ait referre ſapientiam) ſobolem, fructumúe ſuſciperet.

Quapropter eos, qui veræ ſapientiæ ſtudio neglecto, diſciplinis illis inferioribus toti teneantur, pulchrè apud Plutarchum Bion Philoſophus ſimiles eſſe aiebat procis Penelopes, de qui-
Lib. de liber. educ. bus Homerus in Odyſſeâ. *Nam quemadmodum hi, cùm ad Dominæ nuptias peruenire non poſſent, cum eius ancillis conſuetudinem habuerunt; ita qui Philoſophiam nequeant apprehendere, eos in alijs infimi pretij diſciplinis, ætatem ſeſeq; conterere.*

Quam denique rem omnem fuſiùs exequens in primo Stro-
Cap. 3. matum priſcus ille ſcholæ Alexandrinæ magiſter: *Iam enim quidam* (inquit) *ancillarum ineſcati philtris, contempſerunt dominam Philoſophiam; & ex ipſis alij quidem conſenuerunt in muſica, alij in geometria, grammatica, rhetorica. Sed quemadmodum liberales, (quas vocant encyclicas, hoc eſt circulares) diſciplinæ, conferunt ad Philoſophiam, quæ eſt ipſarum Domina: ita & ipſa Philoſophia conducit ad parandam ſapientiam. Eſt enim ſapientia domina Philoſophiæ, ſicut illa, eius quæ priùs auditur, diſciplinæ.*

Hæc omnia Clemens: quibus confirmandis & illam ſubiungit à nobis ex Philone relatam, ipſo etiam Philone laudato, Agaris ſeruæ & Saræ Dominæ, allegoriam.

Tandem artes illæ ac diſciplinæ inferiores, vel circa ea quæ ſunt extra hominem verſantur, vnique ſeruiunt ſeu ſuſtinendæ

ſeu exornandæ mortali vitæ; vel hominem in ſeſe, ſed tantùm in parte perficiunt: ſapientia autem (quam artem artium rectè appellat idem Philo) per ſeipſam eſt ars & diſciplina vitæ, ſolaque perfectum ac beatum efficit poſſidentem, ipsâ de ſe verè atque excelsè prædicante: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Itaque reliquæ, quantumuis liberales, & ingenuæ, diſciplinę, ſoli ſeruiunt tempori; hæc amatores, poſſeſſoreſque ſuos beatæ aſſerit, atque tranſcribit æternitati. *Lib. de its mul.* *Prou. 8. v. 35.*

Sed pergamus porrò & modis alijs eandem quaſi incudem tundere; ſiue, lectorem noſtrum, ad ſapientię cæleſtis amorem atque cupiditatem, incitare.

CAPVT XXVI.

Eiuſdem ſtudij ac cupiditatis incitandæ gratiâ, ſapientiæ cæleſtis dotes ac decora, fructus ac commoda, compendio recenſita.

SOlent amantes, ac maximè ſponſi, eorum quos ament, laudes ac decora, libenter ac cupidè celebrare, atque ijs crebrò commemorandis & commendandis, ſiue ignes ſuos amoremque fouere, ſiue dilectis alludere atque blandiri, ſiue denique eâ re demonſtrare audientibus, ſe non ſine causâ, nec amore indigno, eas quas ſic commendent, deperire. Id adeò, non in profanis modò, vel Theocriti Idyllijs, vel Virgilij Bucolicis vel aliorum vatum amatorijs carminibus videre licet; ſed in ſacro etiam Cantico, ſiue diuino Epithalamio: vbi ſponſum ac ſponſam videas, tanquam amœbæâ alluſione, mutua decora commendantes, & alterum alterius formam, elegantiam, cultum, adſcitis vndique artis coloribus, ac luminibus orationis, deſcribentes.

Hunc igitur in morem, in libro diuinæ Sapientiæ, inducitur Salomon, cupidus ſcilicet atque ardens ſapientiæ cæleſtis amator, dilectæ ſuæ præclara decora, & laudes egregias enumerans; quibus ipſe captus incitatuſque, eam amauerit, exquiſieritque à iuuentute ſuâ, & iam tum in ſponſam concupierit aſſumere. Quas quidem hîc placet quodam perſtringere compendio, vt & nos, earum contemplatione, ardenti, ſi fieri poſ-

sit, illius sponsę præstantissimę & amabilissimę; incendamur amore, cupiditate inflammemur.

Primùm enim, si nobilitas quæritur; cælestem habet originem; natalesque diuinos. *Candor est enim lucis æternæ*; & præstans imago diuinitatis; quæ ex ore Altissimi prodiens, cum illo fuit semper; & est ante æuum: quippe quæ illi semper assistit, non modò vt sedium eius assestrix assidua, sed vt intima etiam ac perpetua contubernalis. Hoc enim etiam loquendi modo vsam inuenies vulgatam nostram; vbi sic legimus: *Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei*; quasi dicat, interprete nostro Cornelio: *Inde patet, quanta sit sapientia generositas & nobilitas; quòd scilicet ipsa habeat contubernium, vel vt græcè est, συμβίωσιν, id est conuictum, siue summam consuetudinem, & familiaritatem cum Deo.*

Sap.7.v.26. — Cap.8.v.3.

Si excellentia, sublimitas; dignitas; maior est mundo, cælis altior; solo Deo, eiusque vlu intimo, contenta est; cultoresque suos verè magnos, illustres, beatos, immortalesque facit. *Quoniam*, vt ait idem Sapiens, *immortalitas est in cognatione sapientiæ*. Id est, ipsa sapientia, cognatos siue amicos suos, gloriosos reddit & immortales.

Ibid. v. 17.

Cap.6.v.21. Si potestas, autoritas, gloria: *concupiscentia sapientiæ* (inquit) *deducit ad regnum perpetuum.*

Si autem vtilitas diligitur: *Labores eius magnas habent virtutes. Sobrietatem enim, & prudentiam docet; & iustitiam, & virtutem* (siue fortitudinem) *quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

Cap.8.v.7.

Si pulchritudo, decor, venustas: *Est hæc speciosior sole; & super omnem dispositionem stellarum comparata inuenitur prior.* Ideoque rectè idem Sapiens: *super salutem* (inquit) *& speciem, dilexi illam, & proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius.*

Cap.7.v.29. — Ibid.v.10.

Cuius etiam obscurè & velut è longinquo propositæ, tam eximia, tamque ingenua, atque natiua pulchritudo est, vt eâ causâ in Philebo Plato scripserit: *mentem quidem & sapientiam nemo vnquam, aut reuera, aut falsò cogitauit deformem.* Et in eiusdem Conuiuio Diotima fatidica, amorem docet esse philosophum, siue cupidum sapientiæ; *quia scilicet* (inquit) *sapientia pulcherrimum quiddam est; amor autem circa pulchrum versatur.* Vnde etiam est illud Socratis in Phædro extremo, siue Dialogo de pulchritudine, quod refert etiam, commendatque Clemens

Clemens Alexandrinus: *O amice Pan, cæteriq; dij indigetes, date* L. 5. Strom.
mihi vt pulcher intus efficiar, & quæcunque extrinsecus habuero, c. 6.
internis sint amica Pulchritudinem appellans sapientiam (subiungit Clemens) *quia quod sapientissimum, id pulcherrimum.* Tandem B. Augustinus, magnus & ipse, ardensque cælestis sapientiæ & veritatis amator: *Quid admirabilius* (ait) *quid speciosius* De verâ relig. c. 49.
ipsa veritate?

Si delectatio, iucunditas, suauitas; quâ potissimum solent duci mortales: nihil est sapientiâ dulcius. Quando eam non vanè de se prædicantem audimus apud Siraciden: *Spiritus enim* Eccli. 24. v. 27.
meus, super mel dulcis; & hæreditas mea super mel & fauum. Quò fortè respiciens idem Augustinus: *Mel* (inquit) *sapientia est, primatum dulcedinis tenens in escis cordis.* In ps. 80. Quoniam scilicet humano cordi nihil est sapientiâ dulcius: si modò sincerum palatum habeat, neque pestifero illecebrarum carnalium sapore infectum & inquinatum. Vnde idem rursum alibi: *Nihil est* In ps. 30.
dulcius (inquit) *immortalitate sapientiæ.*

Demum istâ, sibi adamatæ ac concupitę sponsæ, suauitate captus noster Sapiens: *Proposui*, ait, *hanc mihi assumere ad conuiuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis, &* Sap. 8. v. 9.
erit allocutio cogitationis, & tædij mei; id est, consolatio lenimentumque curarum. Et infrà: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conuersatio illius,* Ibid. v. 16.
nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.

Si opes denique ac diuitię: generatim de ea Salomon, qui vt erat mortalium sapientissimus, ita prę cæteris nosse potuit pretium eius: *Melior est* (infit) *sapientia cunctis pretiosissimis;* Prou. 8. v. 12.
& omne desiderabile ei non potest comparari. Quoniam scilicet (vt habet liber Sapientię) *omne aurum in comparatione illius, arena* Sap. 7. v. 9.
est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Multisque item ostenditur in libro Iob, nihil esse ei comparabile, hominesque nescire pretium eius. Cap. 28. v. 12. &c.

Tandem prætermissis innumeris alijs, quibus in libris sacris, qui officiorum, morumue præcepta continent, ipsa commendatur sapientia; sufficiat Salomonem ipsum (siue eum qui illic in eius persona loquitur) vno verbo cuncta complexum de se dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa; & lætatus sum* Sap. 7. v. 11. 12. 14.
in omnibus. Infinitus enim (vti subjicit) *thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.*

Hæ igitur ſunt honeſtates, ſi ipſi diuino Spiritui credimus, hæc decora, hic ſplendor, & tanquam forma ac pulchritudo ſapientiæ: quæ ſi oculis cerneretur (vt, poſt Platonem, non vno loco ait Tullius) amores ſui excitaret admirabiles, atque ardentiſſimos. Sed ita facti ſunt, & comparati plerique mortales, vt inſtar brutarum animantium, ex ſolo ſenſu de rebus æſtiment: illa autem ſerena atque cæleſtis pulchritudo, quę ſolâ percipitur intelligentiâ, ne leui quidem ſuſpicione, qualis aut quanta ſit, attingant; amarumque putent & inſuaue, non dico ſtudium & exercitationem, ſed quantum eſt vtilitatum, ac fructuum diſciplinæ cæleſtis; quos, qui ſincerâ atque purâ mente deguſtent, experiuntur ſanè iucundiſſimos, & omnibus carnis atque ſenſuum illecebris, nimium quantum præſtabiles, atque anteferendos.

In Phadro. 1. de offic. 2. de finibus.

Quapropter vt modò, quod erat alterum ex propoſitis, eas quę ſparſim toto Opere, variâ occaſione indicatæ ſunt, veræ ſapientiæ opportunitates, commoda, fructus, compendiariâ recenſione reguſtemus: quid, amabo, in vitâ cenſeas opportunius & optabilius homini, & ſiue eius indole dignius, ſiue ad prædulcem animi ſenſum, puræque mentis oblectationem, accommodatius: quàm omni ſtudio eam ſui partem excolere atque ornare, quâ cæteris præſtet animantibus, habeatque quod homo ſit, diuinum animal, Deo propinquum ac ſimile, eiuſque fruendi, ac beatæ capax immortalitatis? Siue, vt in eam rem loquitur Seneca, *dies noctesq́ꝫ bona menti laborare*, hoc ſtudium anteferre cæteris, hac vnâ voluptate teneri, ijs neglectis atque deſpretis, quæ vel hôc viles & indignę ſunt, quòd illi ſunt cum equis, bobus, ſuibuſque, communes?

De vit. beat. c. 1.

Agnoſcere ſeſe eo fine inductum in mundum, vt operum Dei, hoc eſt imaginum, veſtigiorumúe ineffabilis eius ſapientiæ, contemplator, teſtis, approbator, admirator, laudator exiſtat: atque eapropter præ cæteris animantibus, vultu in cælum erecto conſiſtere, quò ſe diuinorum contemplationi natum intelligat, & non pecudis inſtar, paſtûs gratiâ, à naturâ in terram abiectum? Mundum hunc ſpectare, non veluti profanum, ſibique ac brutis animantibus commune domicilium, ſed tanquam ædem, ſacrariumque diuinæ Sapientiæ, cuius ipſe adeò ſacerdos atque antiſtes ſit; quem proinde purè ac caſtè in eo verſari oporteat, nec niſi ſancta cogitantem, niſi diuinis operantem?

Imitari

Imitari Deum omnia in ſapientia facientem, & ſolo illius inter filios hominum manifeſtandę deſiderio, occupantem ſe ac delectantem. Subducere ſubinde ſeſe turbis, curiſque mortalium, & in alta quadam atque tranquilla ſolitudine poſitum, intra ſe recondi, Deumque in ſe inuenire, illi ſoli ſibique vacare; & nunc ipſam rerum naturam dulciter contemplantem, in re vel minimâ demirari Dei ſapientiam, & ipſam vbique ſeſe prodentem agnoſcere ac venerari diuinitatem; nunc ipſum attendere curſum ſæculorum, legeſque ordinatiſſimas ſempiternę prouidentiæ, & ſæpe à nobis poſt Auguſtinum decantato, magno carmine, diuinoque cantico oblectare ſe ac paſcere; nunc cum ipſa Dei Sapientiâ familiariter iucundeque verſari, in eius amplexu atque allocutione cuncta vitæ mortalis tædia ponere, ſuſpirare æternorum deſiderio, atque ad intimum Domini gaudium, non ſine pio dulcique ſenſu, aſpirare. Ipſam denique Dei vitam, aut diuinæ ſimilem viuere; cùm, etiam teſte Philoſopho, Dei vita ac felicitas, ſuprema quædam contemplatio ſit; eaque itidem operatio ſit felicitas hominis, quę eſt illi diuinæ operationi maximè cognata: velut etiam, ſuprà memorauimus.

Ad Nicom. l.10. c.8.

Aliàs ſubire & efferre ſe cogitatione, velut in excelſum montis verticem; & inde tanquam ex illâ S. Cypriani ſpeculâ, *deſpicere rerum infra ſe iacentium faciem, & oculis in diuerſa porrectis, à terrenis iam contactibus liberum, fluctuantis mundi turbines intueri*, & cæcas ridere anxiaſque curas mortalium, iſtud terræ punctum (vt inquit Seneca) ferro & igni diuidentium, aut formicarum inſtar in anguſto laborantium. Vt enim hîc iuſtiùs vſurpem, quod de ſuâ ſcripſit (Horatij verbo) inſaniente ſapientiâ, Lucretius:

Epiſt. 1. ad Don.

Præf. in l. 1. qq. nat.

L. 1. Carm. ode 34.

— Nil dulcius eſt, bene quàm munita tenere
Edita doctrinâ Sapientum templa ſerenâ:
Deſpicere vnde queas alios, paſſimq; videre
Errantes, atque viam palantes quærere vitæ.

Lucret. l. 2.

Siue, vt potiùs, quod ab Iſaia de homine iuſto magnificis verbis expreſſum eſt, ad ſapientem noſtrum transferam: *Ille in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius; panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.*

Cap. 33. v. 17. 18.

Hæc enim in primis ad illam pertinent ſapientis animæ ſu-

Cap. 58. v. 14. blimitatem, qua homo, eiusdem Isaię phrasi, *super altitudines terræ*, hoc est (vt Magnus interpretatur Gregorius) *super omne quod altum magnumq; in terra videtur*, sublatus, in quadam se positum conspicit, non excelsâ modò, verùm etiam munitissimâ arce sapientiæ; quò neque iam vlla fortunæ tela, aut turbinum vis, aut inimicus internæ pacis, anxiarum curarum, tanquam ventorum, inquietus flatus aspiret: quia, vt etiam antè laudatus Philosophus; *Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam: semper illic serenum est.*

L. 31. Mor. c. 34.

Epist. 59.

Tum illam insinuant securæ mentis, atque tranquillæ, lætitiam; quę scilicet diuino munere, nullo iam extra se indigens, sed sibi cum Deo sufficiens, sanctis cogitationibus internisque pascitur delitijs, & ipsâ alitur quasi saginâ veritatis. Postremò & illam exprimunt, arcanam & intimam contemplationem diuinæ pulchritudinis, quâ nimirum semel attentè conspectâ & apprehensâ, pulchro fastidio despicit vniuersa, quę infrà sunt, & ipsa non sunt; ac veluti factus diuinitati propinquior, *cernit terram de longè*, hoc est, vt rem abiectam, vilem, minimam, & iam oculis eius vix apparentem, seriò & ex animo contemnit.

Denique, vt paucis ad extremum cuncta concludam: quid dulcius, gloriosius, beatius; quàm, eiusdem cælestis disciplinę beneficio, sentire sese mutatum in virum alterum, & domitis, omnibus animi perturbationibus, in se experiri regnum sapientiæ pacatissimum; habere mentem vni Deo subditam, eidemque vni, amore casto inhærentem, dominantem cæteris quę infra se sunt, maiorem mundo, & extra omnem rerum labentium mutabilitatem positam, atque illâ, quam suprà memorauimus, tanquam arte viuendi, quâ & mala sua in bonum vertit, etiam ex hac vita, futurę fructum felicitatis præcipientem? Hinc enim est illud beatissimum: inter generis humani ruinas erectum stare, inter fluxa constantem, vnum eundemque inter varia, in periculis securum, inter aduersa atque prospera moderatum. Quod omne proprium esse sapientis, vel illa indicat apud Augustinum, in libro de beata vita, sapientiæ descriptio: quâ sapientiam ait nihil aliud esse, quàm modum animi, ita se librantis videlicet, vt vitæ tenore semper æquabili, neque efferatur prosperis, neque deprimatur aduersis. Ex quo nimirum suboriatur, sæpe à nobis commendata, pax animi, mentis securitas, veritatis sapor, suauitas conscientiæ: in quibus

Disp. 3.

bus illa insit, quam dicebamus, delibatio pacis æternæ, ac vitæ diuinæ atque felicitatis adumbratio. *Sapientia* enim (inquit alibi idem S. Doctor) *est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.* *Serm. de verb. Dom. l. 1. c. 3.*

Quin igitur, horum similiumque contemplatione, tandem expergiscimur, & assurgimus animo, iisque damnatis quæ nos illudunt opinionibus, ac cæcæ pertæsi stultitiæ, toto pectore aspiramus ad sapientię cælestis amplexus castissimos, & fructus eius suauissimos degustamus? Auscultantes Doctori Sanctissimo, ad eius, sub lucis nomine, ardens studium, sanctumque amorem, his ipsis verbis nos adhortanti: *Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, vt ad ipsam, duce ipsa, aliquando veniamus, & in illâ ita viuamus, vt nunquam moriamur.* Sic Augustinus. *Tract. 34. in Ioan.*

Ad extremum libet etiam Doctoris Angelici super his sensum, & verba proferre; quibus paucis quidem, sed efficacibus, eorum quæ diximus summam egregiè videtur esse complexus. Ita enim ille libri primi contra Gentiles cap. 2. *Inter omnia studia hominum, sapientiæ studium est perfectius, sublimius, vtilius, & iucundius. Perfectius quidem quia in quantum homo sapientiæ studio dat se, in tantum veræ beatitudinis iam aliquam partem habet. Vnde Sapiens dicit: Beatus vir qui in sapientiâ morabitur. Sublimius autem est: quia per ipsum homo ad diuinam similitudinem præcipuè accedit, quæ omnia in sapientia fecit. Vnde quia similitudo causa est dilectionis; sapientiæ studium præcipuè Deo per amicitiam coniungit. Propter quod Sapient. 7. dicitur; quod sapientia est infinitus thesaurus hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Vtilius autem: quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum peruenitur. Concupiscentia autem sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Sap. 6. Iucundius autem est: quia non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius: sed lætitiam & gaudium. Sap. 8.* Hæc S. Doctor. *Eccli. 14. v. 22.*

CAPVT XXVII.

Non sine labore acquiri cælestem sapientiam; proindeq; ad eam ardens studium, & magnam animi alacritatem adferendam.

SApientiæ quærendę studium, rem sanè non leuis operæ, sed assidui magnique laboris esse; tum ipsa paucitas sapientum ostendit, tum eorum etiam, qui eam denique assecuti sint, certissima demonstrat autoritas.

Quam in rem in primis proferre licet, luculentum regis Salomonis exemplum: qui cùm adhuc puer, quemadmodum paulò antè vidimus, cælestis sapientiæ luce, decore, honestate, dulcedine, immortalitate captus fuisset: *Hæc cogitans apud me*
Sap.8.v.18. (inquiebat in libro Sapientię) *circuibam quærens, vt illam mihi assumerem.* Etenim vox ipsa circumeundi, ambitionem quandam, soliciramque prensationem denotat, & studium sagax cuncta tentandi experiendique, siqua via detur, ad id quod adames, aliquando perueniendi.

Vnde eius libri Græcus interpres Matthæus Cantacuzenus:
Eccli. 6. v. 36. *Circuiuit ipse* (scilicet Salomon) *dum diu multumq; elaboraret, dum se omnibus honestis actionibus exerceret, dum omnes, qui sapientiâ virtuteq; præditi essent, alios obseruaret, atque suspiceret, alios etiam in magistrorum ac pædagogorum haberet loco, ac prorsus in hoc studium totus incumberet.*

Similique modo circuibat etiam Sanctus Paulinus, quem epistolâ quartâ ad Seuerum, audire licet in hunc modum sese, aliosque ad sapienrię studium incitantem: *Omnis in Christo sapientis limina, vt iussum est, exterentes, vbique captemus cibum vitæ, vbique aucupemur Verbum Dei, de omnium fidelium ore pendeamus; quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat; & necesse est à minimo Dei seruo vel guttam cælestis sapientiæ destillare, quæ ariditatem mei cordis irroret, & mihi, supra huius sæculi sapientum flumina, ad potum vtilitatis exuberet. Quoniam Spiritus vbi vult spirat, & audio vocem eius, & nescio vnde veniat. Igitur vbique auram captabo, vndecumque vel tenuem halitum legam.* Pòst verò alludens ad sanctam illam peccatricem, in domo Pharisæi, circa Domini pedes vario piorum studiorum genere occupatam;

cupatam; quod tunc argumentum ſtylo verſabat: *Quocunque* (inquit) *vel in domum indigni, vel in domum Phariſæi, audiam iuſtum veniſſe, contendam præripere hoſpitis gratiam. Cùm repe- rero ſapientiam, cùm reperero iuſtitiam in alicuius penetralibus recumbentem, curram ad pedes Chriſti, vt vel extremo ſapientiæ veſtigio ſigner.* Vbi, ſi aduertis, per Chriſti ſiue Sapientię pedes, minimum quemlibet, humilemque Chriſti ſeruum intelligit, à quo ſi vel ſtillam expectet cæleſtis ſapientiæ, ad illum extemplo properaturus ſit, auidus à quocunque diſcere, & ſic vel extremo ſapientiæ veſtigio ſignari. Quaſi imitaretur, quod præſcripſerat Plato in Euthydemo: *Neque turpe eſſe, neque indignum, ſapientiæ gratiâ, cuilibet ſeruire, & honeſtis obſequijs vnumquemque demereri.*

Circuibat etiam ſapientiam quærens S. Auguſtinus; qui libros concludens, quos (vt ipſe ait) cùm ſe ad Chriſtianæ vitæ otium contuliſſet, nondum baptizatus, contra Academicos ſcripſerat, mentione iniectâ ſapientię, ita auditores, collocutoreſue ſuos, Alipium, Trigetium, Licentium, alloquitur: *Sed vt breuiter accipiatis omne propoſitum meum, quoquo modo ſe habet humana ſapientia, (id eſt, qua* homines *verè ſapientes effici poſſint) eam me video nondum percepiſſe. Sed cùm trigeſimum & tertium ætatis annum agam, non me arbitror deſperare debere, eam me quandoque percepturum. Contemptis tamen cæteris omnibus, quæ bona mortales putant, huic inueſtigandæ ſeruire propoſui.* Sic ille. *Lib. 1. Retract. c. 1.* *L. 3. contra Academ. c. 20.*

In quibus duo quædam obſeruo Primum, id quod ait, propoſitum ac fixum ſibi eſſe, contemptis cæteris, quæ bona mortales exiſtimant, vni inſeruire ſapientiæ: iam tum ſcilicet intelligens (quod à nobis ſæpiùs toto tractatu inculcatum eſt, & ex altero S. Doctoris loco, quem mox ſubiungemus, confirmabitur) neminem ad veram ſapientiam eſſe peruenturum, niſi qui ſeſe ab infimis, ſeu bonis, ſeu bonorum vmbris, quadam cogitationis magnificentiâ, atque animi excelſitate, ſeduxerit.

Alterum, quod ait, ſapientiam ſibi inueſtigandam; quæ vox, & ex vſu, diligentem quandam perquiſitionem, atque indagationem ſignificat, & ex ipſâ vi ſuâ, propria venatorum eſt, feras per veſtigia perſequentium, atque adeò circuitu vario, nemora aut ſaltus obeuntium.

Sanè quidem ſapientiæ ſtudium (quod ad ſcopum quoque præ-

ſentem

ſentem facit) video à magnis viris, ſiue comparatum venationi, ſiue etiam venationem appellatum. Eò videlicet, quòd, quemadmodum venatorum eſt, feras latibulis, luſtriſque ſuis excitatas, demum comprehendere: ita ſtudioſorum ſapientiæ, latentem abſtruſamque veritatem, aliquando tandem deprehenſam, in lucem apertumque proferre. *Trahitur* enim *ſapientia de occultis*; inquit Beatus Iob.

Cap. 28. v. 18.

Vnde etiam Doctiſſimus Clemens Alexandrinus, illud exponens, quod per Iſaiam dicit Spiritus Sanctus: *Dabo tibi theſauros tenebroſos*; ſiue, vt Septuaginta, *inuiſibiles*, vt noſtra verſio, *abſconditos*: *Dei theſauri* (inquit) *& quæ non deficiunt diuitiæ, eſt, quæ venatu eſt difficilis, ſapientia.* Atque in Operis principio, de ſeipſo agens, ſuiſque in ſacra diſciplina inſtitutoribus: *Cùm autem in eum vltimum incidiſſem*, inquit (in Sanctum Pantænum videlicet, ſuum in Schola Alexandrinâ deceſſorem) *conquieui in Ægypto, venans ea quæ latuerant.* Arcana nimirum diuinioris ſapientiæ. Sic enim pergit de Pantæno: *Sicula reuera apis, Apoſtolici & Prophetici prati flores decerpens, ſinceram quandam & incorruptam cognitionem ingenerauit, eorum qui audierant animis.* In quo item cupidæ atque argutæ apis exemplo, pratum floridum, prædæ gratiâ, circumuolantis, & in florum intima inſinuantis ſe, eorumque occultos ac multiplices ſinus ſcrutantis ac perueſtigantis, exquirendæ nobis indagandæque ſolerti venatu ſapientiæ, imaginem quandam ac formam potes agnoſcere.

L. 5. Strom. c. 2.

L. 1. Strom. c. 1.

Porrò inter opera ſubtiliſſimi Cardinalis Cuſani, librum inuenies hiſce expreſſis verbis inſcriptum, *De venatione Sapientiæ*: in cuius etiam capite primo; *nihil enim ſunt Philoſophi* (inquit) *niſi venatores ſapientiæ.* Quo modo etiam à M. Tullio, in primo de Natura Deorum definiri Phyſicum videas, *id eſt*, ait, *ſpeculatorem venatoremq́; naturæ.* Et veritatis quoque inter ſiluas venatum ſapit, Horatianum illud:

Lib. 2. ep. 2.

Scilicet vt poſſem curuo dignoſcere rectum,
Atque inter ſiluas Academi quærere verum.

Ad extremum, ſapientię ſtudium, in quadam ſummę veritatis ſolerti venatione conſiſtere, illa etiam indicant Auguſtini verba, libro 2. de libero arbitrio ita ſcribentis: *Quid aliud agimus, cùm ſtudemus eſſe ſapientes: niſi vt quantâ poſſumus alacritate, ad id quod mente contingimus, totam animam noſtram quo-*

Cap. 16.

dammodo

dammodo colligamus, & ponamus ibi, atque stabiliter infigamus; vt non priuato suo gaudeat, quod implicauit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum & locorum affectionibus, apprehendat id quod vnum atque idem semper est? Deum scilicet, seu incommutabilem veritatem.

Apprehendat, inquam; quodam quasi venatu videlicet: quando prædam diu multoque labore quæsitam, apprehendere demum, venatorum est.

Cuiusmodi diuinos venatores, in Parte secundâ memorauimus; senem Macedonium, per deserta locorum & aspera montium, Deum venantem studio infatigabili, & Seraphicum Franciscum, dilectum vbique per sua vestigia persequentem.

Ad quod denique studium, ipse Augustinus in alio tractatu, tanquam ad omnium nobilissimum ac diuinissimum, simulque suauissimum ac beatissimum exercitium, Christianam animam inuitans, atque vnâ qualis esse debeat sapientiæ studiosi occupatio, vno veluti verbo indigitans: *Ad capiendum Deum* (inquit) *exercere. Quod semper habiturus es, diu desidera.* Quod perinde valet, ac si diceret: Habeant equidem alia alij, quisque pro affectu ac genio suo, exercitia. Exerceantur qui sæculo student, captandis honoribus, quærendis lucris, voluptatibus consectandis. Ducantur alij curiosis studijs, & disciplinis incubantes sæcularibus, humanam sapientiam indagent. Sectentur alij venatu feras, & labore illo non ignobili, sibique iucundo, exerceantur. *In Psal. 83.*

Tu qui melioris sapientiæ studiosus es, nobilioremque ac diuiniorem prædam affectas; *ad capiendum Deum exercere.* Hæc te vna teneat exercitatio; hæc te præda delectet: quam si intimâ cognitione, sanctis desiderijs, castoque amore aliquando apprehenderis ac tenueris, nihil iam ampliùs ad æui præsentis, futuræue vitę felicitatem, desiderabis. Quid enim vltra desideret anima summę veritatis, summique boni, pro modo suo, effecta particeps?

In quem scilicet sensum, idem S. Doctor alibi ea prologuitur, quæ laudatis verbis vice commentarij esse possint. Ita enim ad illa verba Psalmi septuagesimi secundi: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, considerans *homines* (vt ipse ait) *cupiditatum diuersitate dilaniari*; seu, quod dicebamus, varijs quemque teneri exercitijs: *Eligat* (inquit) *sibi partes*

genus humanum. Eligant alij militiam, alij aduocationem, alij diuersas variasq; doctrinas, alij negotiationem, alij agriculturam. Istas sibi partes faciant ex rebus humanis. Clamet populus Dei: Pars mea Deus in sæcula: Hęc Augustinus.

Ex quibus, alijsque huiusmodi, pronum erit cuique colligere, ad cælestis sapientiæ studium, magnam animi alacritatem, & labori par pectus, esse adferendum.

Nam si, velut habet vetustissimum verissimumque verbum: *Dij laboribus omnia vendunt:* multò id maximè obtinebit, vbi de supremo diuinorum donorum agitur; hoc est, de verâ cælestique sapientiâ. Quę, vti de eâ etiam scriptum est in libro
Cap. 28. v. 13. Iob: *non inuenitur in terrâ suauiter viuentium:* quia nempe non nisi diligenti studio, labore improbo, sed ingenuo, longâ disciplinâ atque exercitatione, ac super omnia, assiduo ad Deum patrem luminum recursu, non alio pretio, comparatur. Edi-
Prou. 17. v. 16. cente idcirco per os Sapientis Spiritu Sancto: *Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?* Vt prorsus opus sit insana fuisse capita, Ioannem Malcolsum, & Ioannem Cle-
Anno 791. mentem, quos ex Chronico Arelatensi memorant, Caroli Magni temporibus, Galliarum vrbes concursantes, diuinum hoc munus venale proposuisse; atque, vti propolæ assolent, proclamasse: *Quis vult emere sapientiam?*

Equidem eundem Sapientem admonentem audio, in ijsdem
Cap. 23. v. 23. sacris Prouerbijs: *Eme sapientiam, & noli vendere sapientiam & doctrinam.* Sed his illud duntaxat significatur; dignum esse sapientię donum, quod quouis pretio, id est quouis labore, quæratur; idemque aliquando obtentum, conseruandum esse omni studio, neque re quacunque propositâ, amittendum. Siue, quod suâ versione expressere Septuaginta Interpretes: *Veritatem acquirendam, & sapientiam non esse repellendam.*

Recolenda igitur in proposito, & præ oculis habenda, illa
De mor. Eccl. Cath. c. 17. Beati Augustini sententia: *Si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inueniri nullo pacto potest.* Cui simile quiddam tradit Romanus Philosophus, dum illam arguens stultorum inscitiam aut vecordiam, qui nullo fine proposito, nullâ
De vit. beat. c. 1. arte viuendi, vitam instituunt: *Conteritur,* inquit, *vita inter errores, breuis, etiamsi dies noctesq; bonæ menti laboremus.* Etenim bonæ menti dies noctesque laborare, non est aliud nisi vitam omnem viresque animi, sapientiæ studio (quæ perfectum bonum est mentis humanæ) addicere.

CAPVT.

CAPVT XXVIII.

Laborem susceptum veræ sapientiæ gratiâ, ipso tempore vsuq; dulcescere; quin etiam inter initia, ipso nobili conatu, generosis animis iucundum esse.

AT nequem fortassis à cælestis disciplinæ studio absterreat à nobis toties inculcatum laboris nomen; is in primis intelligat, etiam laborem ingenuum, & rei seriò deamatę causâ susceptum, generosis animis dulcem esse. Nam si, vt iam capite superiori tradi cœptam similitudinem exequar; in his qui venatu corpus exercent, quanquam sine labore id non faciant, ipse tamen illis dulcis est labor; &, vt præda desit, aliudúe pretium operæ, ipsa illis opera pretium est; delectatque nobiles animos, quodam velut belli simulacro rudimentoue, generosus prædam captandi, feramque conficiendi ardor, atque inter eius nunc propè captę spem, nunc insperatò elabentis frustrationes, gratâ varietate condita exercitatio. Quanto dulcior erit, sapientię cælestis quærendę atque inuestigandę labor? Cuius vtique venatum amabilem, tantum necesse est, seu nobilitate, seu felicitate præcellere; quantum, siue corporis exercitationem, ipso suo generè præcellit ingenua mentis generosę exercitatio; seu ferarum capturam, apprehensio immortalis sapientię; seu ludicram illam fugitiuæ prædæ captationem, certa atque secura aliquando tandem obtinendæ cælestis sapientiæ, hoc est (Sanctissimi Doctoris verbo) Dei capiendi ac possidendi, expectatio.

Quin & ipsi adeò primi conatus, ac studia animi ad sapientiam aspirantis, non sine lucro ac profectu sunt: quippe cùm sapientiæ pars quædam sit, desiderare sapientiam; atque eam nosse, super omnes mundi delitias, gloriam, opes, desiderandam. Delectantque non parum bonam mentem, suique sibi profectus consciam, inductæ animo præformationes & rudimenta disciplinæ cælestis: dum sese in dies mutari sentit in melius, seseque iam suis cupiditatibus, atque ijs rebus quas priùs stultè deperibat, ipsoque mundo, maiorem effici; subnasci sibi pennas pulcherrimas, quibus sublata terram de longè despiciat; aperiri sibi sensim sublimem ac purum æthera, regio-

nem inquam supremæ lucis, & veritatis incommutabilis. Quò cùm peruenerit, & omnia ista inferiora, quæ eam à sincero æternorum intuitu, & ipsius Pulchri contemplatione impediunt, quadam liberi volatus eminentiâ, & casti amoris ingenuitate, transcenderit; iam se intelligat manere imperturbatam requiem, pacemque animi suauissimam ac beatissimam, cunctis sæculi gaudijs ac delirijs anteferendam.

Ad quam nos vtique suo ipsius experimento prouocat Sira-
Eccli. 51. v. 35. cides, pæne extremis suę Sapientiæ verbis edicens: *videte quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Modicus quippe est, tam præstantis boni respectu, quamlibet longus & assiduus, sapientiæ quærendę studio, impensus labor. Quanquam, si quod res est loquimur, non is reipsa longus assiduusque futurus est: quando prima tantùm deuoranda sunt tædia disciplinæ viuendi. Nam post cliuum istum, in cuius ver-
Epist. 31. tice posita est ædes Sapientię, si non *vno spiritu* (quod Lucilium suum hortabatur Seneca) at animo tamen non degenere exuperatum, plana deinceps inuenias omnia, & labore nullo, in ipsum intimum penetrale arcanaque adyta, te inferas; *iam tibi*
L. 2. de lib. arb. c. 16. *ipsâ sapientiâ* (quod S. ait Augustinus) *de interiore sede fulgente, & de ipso secretario veritatis:* vbi iam beato in otio; susceptæ exercitationis fructus percipias amplissimos ac suauissimos.

Heb. 12. v. 11. Vt enim eam ipsam in rem diuinus Apostolus: *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam profert iustitiæ.*

Vers. 16. Quibus consentaneè, (ad illud Psalmi 72. *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei*) philosophatur S. Ambrosius, verbis egregijs & commemorabilibus; quæ eò libentiùs referam, quòd non tantùm huic rei bellè seruiant; sed nostræ etiam illi cogitationi, qua Dei sanctuarium censebamus propriè dicatum fuisse diuinæ Sapientiæ, non obscurè fauere videantur. Sic igitur ait prædictum Psalmistæ versum exponens. *Id est, solus mihi superest labor, vt ingrediar sanctuarium Dei, vbi est Cherubim, id est cognitionis profundum; & non labor, qui est in incertis & vanis opinionibus. Ideo ingrediamur adytum cognitionum sacrarum, atque interiora penetralia veritatis, vt non sit nobis labor. Sapientia enim nos à sensu laboris abducit.* Et rursum: *Ingrediamur igitur sanctuarium Dei, vbi sunt Cherubim, in quibus est recordatio sacræ cognitionis; & veri illius atque æterni luminis,*

nis, in illo candelabro imago resplendet, quo possumus intelligere in nouissimo. Sanctus enim in vltimo cognoscit, & perfectam sapientiam processu ætatis adipiscitur.

Quasi illud nobiscum dicat: Non sine labore transcendi cliuum disciplinæ cælestis: at postquam ad eius sanctuarium perueneris, iam in procliui esse omnia, ipsâ sapientiæ tandem possessæ dulcedine, omnem laboris sensum auertente; atque eius administris Cherubinis, qui in intimo sapientiæ penetrali consistant, illius arcana atque occulta, in vero quodam ęternoque lumine manifestè pandentibus. Quippe quibus proprio nomine atque ex ordinis sui officio, peculiariter competit, quod indifferenter de Angelis scripsit, in libro de diuinis nominibus, Magnus Dionysius: illos scilicet esse *diuini silentij* (siue, latentis diuinæ bonitatis ac perfectionis) *interpretes, & tanquam clara lumina, eum qui in adytis latet, enuntiantia.* Vt qui in hanc intimam secretamque scholam admissus sit, eum tanquam inter Cherubinorum choros versantem, necesse sit proinde sublimes, beatas, vulgoque incompertas veritates ac sapientias, sincero cordis gustatu percipere, & (quod hinc sequitur) sublimia, beata, vulgoque incomperta gaudia gaudere. *Cap. 4.*

Quamobrem hoc loco, non sine causâ, fert animus, obiter admonere cupidum cælestis sapientiæ affectatorem, vt illius obtinendæ gratiâ, aliquem subinde, inter precandum, ad cælestes illos Sanctorum Cherubinorum choros respectum aut recursum habeat. Qua in re præeuntem habemus S. Sophronium Ierosolymitanum, hisce inter alia verbis Sermone quodam illos inuocantem: *O vos Cherubim, oculis plena, & quadriformia; quæ internis viribus formæ vestræ cognatis, amplè magnificeq́ exculta, omniq́ sapientiâ plena estis (quare etiam cognitionis fontes & scaturigines appellamini) diuini Verbi cognitione me expolite, & è terra in sublime potenter euehite.* *Orat. de Angelis*

Augustinus porrò B. Ambrosio consentiens, libro quem inscripsit, *De quantitate animæ*, capite 33. septem animæ, vt appellat, gradus, siue actus diuersos, pertractans, quos posteà, doctrinę causâ, ita breuiter recolligit, vt *primus dicatur animatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, virtus; quintus, tranquillitas; sextus, ingressio; septimus, contemplatio*: cùm in alijs actibus, quibus aut virtuti vacat anima, aut quà potest *pergit in Deum, id est* (inquit) *in ipsam contemplationem veri-* *Cap. 35.*

tatis, laborem aliquem agnouerit; in postremo gradu, siue in ipsa contemplatione veritatis, (ad quam etiam in vitâ mortali, constanti studio, & ipsâ iuuante Dei sapientiâ, peruenire liceat) eam animi pacem, eam gaudiorum siue copiam, siue suauitatem ac sinceritatem inuenit, vt illum putes, non aliquam quæ puris mentibus etiam in vita subinde obtingat, æternę illius felicitatis delibationem, & quendam, prout ipse appellat, æternitatis afflatum (de quo tamen eum reipsa agere, præsertim ex fine capitis manifestum est) sed statum ipsum supremæ Dei visionis, beatissimamque regni cælesti requietem, describere. Ita enim loquitur eo capite. *Iam verò in ipsa visione atque contemplatione veritatis, qui septimus atque vltimus gradus est, neque iam gradus, sed quædam mansio, quò illis gradibus peruenitur, quæ sint gaudia, quæ perfruitio veri & summi boni, cuius serenitatis atque æternitatis afflatus; quid ego dicam? Dixerunt hæc, quantum dicenda esse iudicauerunt, magnæ quædam & incomparabiles animæ, quas etiam vidisse ac videre ista credimus. Illud planè ego nunc audeo tibi dicere* (alloquitur puerum Adeodatum, cum quo eo sermone colloquitur) *nos, si cursum quem nobis Deus imperat, & quem tenendum suscepimus* (erant quippe tunc Romæ, à baptismo recentes, & reditum meditantes in Africam) *constantissimè tenuerimus, peruenturos per virtutem Dei atque sapientiam, ad summam illam causam, vel summum autorem, vel summum principium rerum omnium, vel si quo alio modo res tanta congruentiùs appellari potest: quo intellecto verè videbimus, quàm sint omnia sub sole vanitas vanitantium.* Ita enim tum hîc, tum alibi legit illud Ecclesiastæ, licet postea in suis Retractationibus, vulgatam lectionem prætulerit. *L. 1. c. 7.*

Et quanquam his verbis videri possit S. Doctor, eam insinuare supremam Dei contemplationem, in quodam attactu intimo, & mysticâ, quam vocant, & sine medio adhæsione ad Deum, consistentem, quæ paucis & rarò in vita mortali conceditur; quippe cuius eum, iam tum odorem aliquem ac gustum accepisse, suspicio esse potest, ex eo quod sub idem tempus cum sancta sua matre habuit ad ostia Tiberina colloquio, diuinisque ac secretis sensibus, quos tunc sese expertos, ipse *Lib. 9. c. 10.* testatur ac dulciter describit in suis Confessionibus: attamen ex toto contextu magis est vt eum accipiamus, de eo stabili ac permanenti statu, quem accipit virtute ac sapientiâ perfectus animus,

mus, cùm *ab omni iam cupiditate ac fæce rerum mortalium* (vt ibidem ait) *eliquatus*, Deum ſeu veritatem purâ quadam mentis contemplatione apprehendit, eique amore caſto prorſus inhæret, neque vllo tangitur infimarum rerum deſiderio, ſed totus in puriſſimis diuiniſſimiſque deſideratæ ſapientiæ amplexibus acquieſcit.

Cuius etiam feliciſſimi ſtatus nemo niſi expertus exprimat, quàm liquida & ſancta ſint gaudia, quàm dulces afflatus è vicino guſtatę, & tantùm non apprehenſæ, æternitatis. Ipſo etiam Auguſtino alibi dicente: *Hæc eſt hominis vita beata atque tranquilla, cùm omnes motus eius, veritati rationiq́; conſentiunt, & vocantur gaudia, amores ſancti, caſti & boni.* Hæc ipſa denique eſt pax illa Dei quam mundus non poteſt tribuere, hoc legitimum mentis Deo penitus ſubditæ ſabbatum, hæc vita perfecti conſummatique ſapientis. *L. 1. de Gen. contr. Manich. c. 20.*

Quamobrem idem ſanctus eximiuſque Doctor, poſt reſuſcitatos & redaccenſos in pectore ſuo primos illos bonæ mentis igniculos; ſeu illos quaſi iuueniles, ſed aliò deinde terrenis auerſos illecebris, amores cæleſtis ſapientiæ; cùm ad eam ſeriò conuerſus, amplexuum eius ſuauitatem incredibilem, & illa, quæ ſuprà memorauit, caſta gaudia eſſet expertus; aduerſus eos ſubindignans, qui fallaci rerum temporalium iucunditate teneri ſe ſinunt, ne diuino illo immortalique bono perfruantur; ita quodam loco exclamat, ſermone conuerſo ad ipſam diuinam Sapientiam: *Væ qui derelinquunt te ducem, & oberrant in veſtigijs tuis; qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuas: ô ſuauiſſima lux purgatæ mentis, Sapientia! Non enim ceſſas nobis innuere, quæ & quanta ſis, & nutus tui ſunt, omne creaturarum decus.* Et infrà: *Væ, qui ſe auertunt à lumine tuo, & obſcuritati ſuæ dulciter inhærent &c.* Atqui quod attinet ad illa Sapientiæ veſtigia, quę rebus omnibus impreſſa eſſe, in Parte ſecundâ pluribus declarauimus, iuuat hîc poſtremum audire, quæ hoc ipſo loco de ijs tradit Doctor noſter: vbi videlicet, id quod de ipsâ Sapientia ſcriptum eſt: *In vijs oſtendit ſe illis hilariter* (nempe ſe quærentibus & amantibus) *& in omni prouidentiâ occurrit illis*; in hunc ipſum ſenſum exponens: *Quoquò enim te verteris* (inquit) *veſtigijs quibuſdam, quæ operibus ſuis impreſſit, loquitur tibi; & te in exteriora relabentem, ipſis exteriorum formis intrò reuocat: vt quidquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit ſenſus, videas eſſe numeroſum* (hoc eſt, *L. 2. de lib. arb. c. 16.* *Sap. 6. v. 17.*

harmo-

harmonicâ proportione constans) *& quæras vnde fit, & ad teipsum redeas* &c.

Ex quibus denique; opportuno monitio, illud obserues, quæ magna ex parte est præsentis Tractationis intentio: primam quasi labem, infelicitatemque mentis humanæ, in hoc esse positam; quod illice sensu seducta, & circa diuinæ Sapientiæ vestigia, vagis desiderijs oberrans, viam ad ipsam perueniendi non inueniat; sed, pro ipsâ, eius sequatur vmbras, seseque conuexet earum captatione inutili; nunquam sapiens, tranquilla, felix, ac beata futura, nisi cùm vmbras illas egressa, ipsam in seipsa apprehendet veritatem incommutabilem, eique fixè ac stabiliter inhærens, quandam & ipsa accipiet (quæcunque sors rerum mundum agitet) in animi sui summo vertice immutabilitatem.

Quò vtique spectant & illa eiusdem summi Doctoris; in libro quem scripsit, *De Magistro*, operosè monentis, vt signa transgressi foris sonantia, vnum Magistrum agnoscamus intus docentem, diuinam scilicet veritatem & sapientiam *: vt ad* Cap. 14. *eum* (inquit *) intrò conuersi erudiamur, quem diligere & nosse beata vita est; quam se omnes clamant quærere, pauci autem sunt, qui eam verè se inuenisse lætentur*. Hæc Augustinus.

CAPVT XXIX.

Extrema nostra, super hoc Opere, studiosi lectoris allocutio.

HÆc igitur habui, studiose Lector, quę, pro argumenti suscepti ratione, partim de templo Sapientiæ mystagogicè, partim de nonnullis, ad benè beateque viuendum perопportunis, disciplinę cælestis præceptionibus tropologicè, tecum dissertarem in præsentiâ.

Placuit quippe, siue animi causâ eò suâ sponte propensi, siue, & potissimùm, tui operæpretij spiritalis, ab ipsa Æde Sapientiæ, ad ei adiunctam morum cælestium Academiam, variâ occasione diuertere: aut etiam, ex veteri Ægyptiorum sacerdotum exemplo (qui, vt principio monere me memini, non nisi in ipsis ædium sacrarum penetralibus, arcanam suam sapientiam discentibus traderent) eandem & sapientiæ ædem, & sacræ disciplinæ scholam atque officinam habere. Cui vsui fir-

mando

mando & illud facit, quòd longa Hermetis Ægyptij de rebus diuinis, *Asclepius* inscripta disputatio, intra adytum habita ponitur; velut ex principio & fine apparet disputationis.

Iuuit denique (vt hac quoque viâ meum tibi institutum approbem) ipso nostræ scriptionis genere, vetustissimi temporis vsum, quo Deorum delubra, sapientium dictis, & ad hominum mores formandos accommodatis sententijs inscribebantur, reuocare atque repræsentare: quem quidem ab illis heroicis cœptum temporibus, quibus (vt superiùs admonui, ex Platonis Protagora) septem illi Græciæ Sapientes in templo Apollinis Delphici sapientiæ suæ primitias dedicarunt, ad sequentes deinde continenter transisse ætates, tum illa indicat Macedonis Philosophi de quodam Afranij versu, à nobis antea ex Agellio memorata sententia; tum cuiusdam Platonici dictum de primis Euangelij S. Ioannis verbis, quod S. Augustinus sic commemorat in decimo de Ciuitate Dei: *Quod initium* (inquit) *Euangelij cui nomen secundùm Ioannem, quidam Platonicus, sicut à sancto sene Simpliciano accepimus, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.* Quod quidem præsertim aptè vsurpetur eo in templo, quod ipsi sacrum sit Sapientiæ, quam vtique clarum sit, his tanquam proprijs sibique cognatis insignibus luminibusque libenter ornari, & (Scripturæ verbo) *eruditis* oblectari *cogitationibus*.

Agell. l. 3. c. 8.

Cap. 19.

Prou. 8. v. 12.

Neque ad extremum id alienum fit, ab eâ quam profitebamur Dissertatione Mystagogicâ: quando Mystagogiæ nomine, à S. Dionysio alijsque Patribus, sacram disciplinam, diuinarumque rerum informationem significatam intelligimus.

Eccl. hier. c. 1.
Myst. Theol. c. 1.

Quod autem Opusculum illud, externorum quoque Sapientum dictis, passim & variè, ac fortè etiam liberaliùs quàm pro quorundam ingenio, respersimus & tanquam illuminauimus, id quidem studiosè à nobis; eius, quæ exinde sperari posset, vtilitatis contemplatione, factum est. Vt hi videlicet, qui asceticis scriptis, velut ieiunioribus, austerioribusue, non capiuntur, istâ miscellæ eruditionis illecebrâ, ad hæc legenda ponderandaque deueniant; eoque agnoscere incipiant, quàm rationi veritatique consentanea sint Christianæ effata Philosophiæ; quando in ea, vniuersa consentit, hoc est, & nostra diuinior, & ista externa sæcularisue sapientia. Siquidem & in hos nostros tractatus illud conuenit, quod de suis sic scribit Clemens

in primo Stromatum cap. 1 *Continebunt autem hi libri, qui dicuntur* Στρωματεῖς (tanquam variâ eruditione contexti) *admixtam, decretis Philosophiæ, veritatem.*

Alioqui enim parum intereſt, quid Plato ſenſerit, quid Zeno, Cleanthes, Seneca: ſed non leue eſt operę pretium, poſſe aliquem ex his ad veram virtutem, & Chriſtianam proficere diſciplinam.

Tandem, etiam ex Apoſtoli mente, alienæ vtilitatis ſalutiſque gratiâ, omnibus ingenijs ſeruiendum eſt: quod hoc loco pro virili fecimus, non ſine aliquo in re affini S. Doctoris Auguſtini exemplo.

Quippe meo quodam quaſi iure fecero in præſentiâ; ſi, quem (vti non ſemel in Operis decurſu profeſſus ſum) in toto Tractatu ducem habui præcipuum, eum in hac causâ etiam patronum aſciſcam. Cuius tamen verba priuſquam profero, pauca quædam nobis de rei totius argumento præmittenda ſunt.

Scripſerat B. Auguſtinus, ſub ſuæ conuerſionis initia, de Muſica; hoc eſt de vocum numeris, verſuumque dimenſionibus, libros quinque; idque (vt ait ipſe præ modeſtiâ; poſſetque re-
Lib. 6. c. 1. ipſa ita videri, niſi opus excuſet finis operis) *planè pueriliter.* Verùm iſtis libris ſextum atque vltimum additurus, in quo ſeriâ
Cap. 11. iam diſputatione, *res* (vti loquitur in primo ſuarum Retractationum) *digna cognitione verſatur, quomodo à corporalibus, & ſpiritalibus, ſed mutabilibus numeris, perueniatur ad immutabiles numeros, qui iam in ipsâ ſunt immutabili veritate; & ſic inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur*: priorum librorum ſcriptionem his verbis excuſat, quæ etiam, ſiqua opus
Lib. 6. c. 1. fuerit, excuſationi noſtrę licebit obtendere: *Quam noſtram nugacitatem* (inquit) *apud beneuolos homines facilè fortaſſis excuſet officioſus labor: quem non ob aliud ſuſcipiendum putauimus, niſi vt adoleſcentes, vel cuiuſlibet ætatis homines, quos bono ingenio donauit Deus, quibuſdam gradibus à ſenſibus carnis, atque carnalibus litteris, duce ratione auellerentur; atque vni Deo & Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nullâ naturâ interpoſitâ, præſidet, incommutabilis veritatis amore adhæreſcerent. Illos igitur libros qui leget, inueniet nos cum grammaticis & poëticis animis, non habitandi electione, ſed itinerandi neceſſitate verſatos.* HęcAuguſtinus.

Quæ equidem proportione quadam, in causâ noſtrâ vſurpare poſſumus. Nam neque nos habitandi electione; cum externis Philiſophis iſto in Opere verſati ſumus; ſed ſolam per illos

quasi itineris opportunitatem captauimus: quò nimirum ij, quos ex genij sui conditione, ista capiunt atque delectant pronuntiata sapientiæ sæcularis, per illa ad veram deducerentur sapientiam, in contemptu rerum transeuntium, & solâ proinde veritatis incommutabilis notitiâ, cultu, æstimatione, ac sincera denique dilectione, constitutam.

Neque tanquam idcirco vellemus lectorem nostrum in istis priscæ Academiæ siluis, aut Atticâ, Romanaue Porticu, detineri & consistere; sed eo duntaxat quasi transitu, atque vlterioris meliorisque disciplinæ gratiâ, vti: velut Epictetum videas, eum qui amorem sapientiæ ostentans, in studijs tamen eloquentiæ, alijsque eiusmodi nimio opere adhærescat, rectè admonentem: *non huc eundum fuisse, sed hac; & non nisi, vt transitus sint.* Arria. l. 2. c. 23.

Veruntamen neque hi (quos appellat Annæus) *clarissimi sacrarum opinionum conditores*, in ijs quæ rectè atque ex veritate dixerunt, velut externi, aut à nobis alieni, aspiciendi sunt: quando ipsa veritas (teste S. Iustino Philosopho) vbicunque inuenta, siue à quocunque prolata, nostra est: quomodo videmus ipsum Senecam à Tertulliano, *sæpe nostrum* appellari; quòd sæpe nimirum voces emittat Christianis decretis atque præceptis consentaneas. Admonente etiam S. Augustino: *Siqua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt Philosophi, maximè Platonici, ea esse ab ijs tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vindicanda.* De breu. vit. c. 14. Apol. ad Senat. Rom. De Anima c. 20. L. 2. de doct. Christ. c. 40.

Quod siqui fortassis in hæc scripta nostra incident, qui illis externæ sapientiæ scitis minùs ducantur, hos, pariter cum ipso Sancto duce nostro, admonebimus; ne ad ista legenda descendant, scientes non sibi, sed alijs esse conscripta. *His enim hæc scripta sunt* (inquit de suis illis libris S. Augustinus) *qui litteris sæcularibus dediti, magnis implicantur erroribus, & bona ingenia in nugis conterunt, nescientes quid ibi delectet. Quod si animaduerterent, viderent quà effugerent illa retia, aut quisnam esset beatissimæ securitatis locus.*

Quemadmodum enim Sanctus hic Doctor, cum, de quo agit scribendi laborem, eò à se susceptum commemorat; vt qui litterarum sæcularium studio, atque adeò seu versuum modulis, seu numerosâ oratione capiuntur, & quasi irretiuntur, ij per corporeos sensibilesque illos numeros, ad spiritales, qui in animâ de illis sonoris numeris iudicante reperiuntur; & per hos, qui etsi spiritales, suo tamen modo mutabiles sunt, ad veritatem, incommutabilem, quibusdam gradibus peruenirent, intelligerentque, cùm in numeris illis sonoris, æqualitas sit

quæ delectet, eam quæcunque sit in quibusuis numeris mutabilibus, ab illâ primâ & incommutabili æqualitate procedere; cuius vtique imitatio sit, quidquid extra illam numerosum est, & non nisi quadam illius similitudine atque imitatione delectat. Cui affine quiddam etiam in Plotino inuenire est; Enneadis primæ libro tertio, de musico, amatore, philosopho, ad ipsum mundum intelligibilem, siue ad Deum, reducendis disputante. Ita nos scilicet satagimus hoc in Opere, vt ab eâ seu veritatis vmbrâ; seu sapientiæ imagine, quæ in externorum sapientum dictis præclaris, acutisque sententijs placere potest; sensim deducamus lectorem nostrum, ad concupiscendam illam fontalem atque primæuam sapientiam; vtque vniuersè istud denique intelligat, qui hac veritatis, æqualitatis, pulchritudinis particulâ, & tanquam stricturâ, quæ in rebus infimis subobscurè relucet, adeò capitur; immensò ampliùs delectare posse, summam ipsam sempiternamque veritatem; quæ nempe, vt prima omnis veri, boni, pulchrique ratio, in vniuersis quibus oblectantur tenenturque mortales, occultâ quadam ratione, etiam nescientes delectat. Quod quidem loco antè citato, à S. Doctore Augustino insinuatum, in Appendice huic Operi, si Deus dederit, subiungendâ, paulò vberiùs disputabimus.

CAPVT XXX.

Sapientiam amantis & desiderantis animæ, pro eâ cælitus obtinendâ adipiscendâque, ad Deum patrem luminum suspirationes.

QVoniam intelligo, conducibile admodum esse, dulceque animæ peregrinanti, atque ad regionem æternæ lucis anhelanti, crebris votis ac suspirationibus, à Deo sapientiæ fonte, cæleste lumen exposcere, quò duce secura tutaque pergat inter tenebras vitæ mortalis, tandemque ad finem optatum, sempiternam inquam diuinæ lucis ac sapientiæ participationem, possessionemque, perueniat: eapropter visum est ad calcem Operis, nonnullas piarum aspirationum formulas, è sacris Scripturis, & S. Augustini scriptis ferè desumptas (prout etiam in margine partim indicabimus) vsûs gratiâ subjicere; quæ vel ad manum esse possint, has ipsas vsurpare volenti; vel certè esse instar exempli, ad quod alias similes quisque conformet, affectui suo ac genio magis opportunas.

Domine

Domine Pater & Deus vitæ meæ, qui me ad imaginem & similitudinem tuam benignissimè condidisti, vt in mente meâ diuinæ tuæ sapientiæ templum secretum, tibique acceptum, constitueres; *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis*; paruulis illis videlicet, quibus non alta, non curiosa, non terrena, sed tibi placita sapientibus, arcana & occulta sapientiæ tuę, præ sapientibus ac prudentibus huius sæculi, reuelare dignaris. Donum quippe tuum est cælestis illa sapientia; & frustrà est omnis humanus labor, cura, studium, exercitatio; *nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis, & sic quæ tibi placent didicerint homines. Mitte* igitur *illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ*; vt intelligam vniuersa quæ fecero, *& sciam quid acceptum sit apud te*. Solam enim iam amo, solam exquiro sapientiam quæ de sursum est: vt qui te docente didicerim, sapientiam huius mundi, vtpote falsam atque fallacem, stultitiam esse apud te; sapientiam autem carnis, tibi qui primæ, & summa, ac pura veritas, aduersam esse & inimicam. Eccli. 23. v. 4. Sap. 9. v. 4. Matth. 11. v. 25. Sap. 9. v. 17. 18. Ibid. v. 10. Iac. 3. v. 17. 1. Cor. 3. v. 19. Rom. 8. v. 7.

O dulce lumen occultorum oculorum meorum, vera & æterna Sapientia. *O lux quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam*. Lux, quam non attingunt oculi carnis, sed quæ solâ mente, eaque purâ, perciperis. Quando ita afficies cor meum, & peruades viscera, atque medullas animæ meæ; vt seriò certoque agnoscat, quàm vana sint omnia, quæcunque amantur & desiderantur extra te! O si te filij huius sęculi cognoscerent! L. 11. Conf. c. 19. L. 10. Conf. c. 34.

Cognoscam te Deus meus, æterna veritas; & ita cognoscam, vt nihil mihi iam sapiat, præter te. Væ pristinę illi & inueteratę cæcitati cordis mei! Væ densitati tenebrarum mearum! Vę caligini intercludenti mihi serenitatem veritatis tuæ! Vę tempori illi, quo non noueram, nec amabam te! Veni nunc, & posside cor meum, & in medio eius regni tui sedem constitue: vt omnes iam vires animæ meę, omnes facultates ad sensus meos, plenè gubernes atque dirigas in omnibus ne quà exorbitent à lege tua, æternisque primi ac summi veri rationibus. Sim totus deinceps filius lucis, & ambulem in splendore tuo, vt non me tenebræ comprehendant, horribiles, vltrices, æternæ, inextricabiles. L. 2. Conf. c. 3. Ioa. 12. v. 35.

O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas. Tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte. Illumina tu mirabiliter à montibus æternis; & penetra totum spiritum meum; vt tandem com- L. 7. Conf. c. 10. Ps. 75. v. 5.

prehendam ac sentiam, quòd absque tuâ æternitate, vanitas sum; absque veritate, vmbra sum; absque charitate, nihil sum.

Dona te mihi, chara lux mea, & sapientię sempiternæ splendor amabilis; perfunde cor meum lumine tuo, vt ei sapiat æterna veritas, solisque ducatur certis atque diuinis rationibus. Non me seducat sensus carnis, non me rapiat torrens opinionum fallacium, non me decipiat gloria mundi, & rerum istarum inanes vmbrę, ludibria oculorum, & simulacra per inane volantia.

Illucesce mihi, lux amabilis, lux suauissima, lux pulchritudinis & claritatis immensę; & disijce nubem illam magnam & tene- Soliloq. c. 23. brosam, quæ est ante oculos vanitatis meę, vt discussis vanis imaginibus, formisque rerum huius sæculi, tibi soli intendam, te solam ambiam, tibi semper fixè atque amanter adhæream. *Quo-* Ps. 35. v. 10. *niam apud te est fons vitæ*, abyssus inexhausti luminis, torrens immensę & inæstimabilis voluptatis.

L. 2. de lib. arb. c. 16. *O suauissima lux purgatæ mentis sapientia*, dulcesce mihi, & intimis meis sensum aliquem tuæ suauitatis infunde; ne prædulci tuâ aspiratione destitutus, infeliciter amem familiares mihi tenebras, *& obscuritati meæ dulciter inhærens*, per cæca viarum lapsa- Iob 10. v. 21. 22. bundus incedam, ac corruam denique, & in illam deuoluar *terram tenebrosam & opertam mortis caligine; vbi vmbra mortis*, quia nullus eò vitalis aspirat cæli radius; *vbi nullus ordo*, quia nulla sapientia, *vbi sempiternus horror inhabitat*, quia mentibus infelicissimis extrema incubat, alta, profunda desperatio. O noctem horrendam! chaos magnum & vsquequaque imperuium! quod diuidet lucem à tenebris, filios lucis, positos in regione pacis, à filijs tenebrarum, constrictis in regione vmbræ mortis.

Ps. 37. v. 10. *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus*, & ti- Ps. 12. v. 4. mor meus, *à te non est absconditus. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*: ne videam vanitatem, & vmbras amem, & ab vmbris detrudar in tenebras, quas nulla vnquam consoletur lux, sed vna foueat atque propaget nox perpetua, & ipsa addenset & conduplicet plena horroris atque desperationis æternitas.

Pater cælestis, da mihi spiritum bonum, spiritum princi- Luc. 11. v. 13. palem, spiritum veritatis, spiritum cælestis sapientię; quem te promptè amanterque daturum ijs qui à te illum peterent, appromisit ipsa sapientia tua, & conscius arcanorum tuorum Vni- 2. Paral. 1. v. 11. genitus tuus. Non à te postulo terrenas opes, mundi gloriam, carnis delitias, non vitę mortalis annos plurimos, non præsentis ęui transitoriam felicitatem. Quippe quę intelligam, ad ve-

ram animi solidamque pacem ac beatitatem nihil facere; quæque tu proinde, secreto iustissimæ prouidentiæ tuæ consilio, reprobis potiùs & à te auersis abunde largiris; cùm electis tuis atque amicis, in hoc mundo omnia his contraria promiseris. Verùm illud à te vnicè peto, quod à te in primis postulari desideras; nempe spiritum sanctum tuum, spiritum lucis ac veritatis, spiritum immortalis Sapientiæ; quo repletus cælestia sapiam, ignorem quæ mundi sunt, & totus pacatus atque tranquillus, sub alis abscondar incarnatæ Sapientiæ tuæ, gallinæ instar, infirmatæ propter nos; ibique requiescam ac protegar ab omni incursu rerum istarum temporalium, donec in meridiem æternæ lucis conuertantur vmbræ mortalitatis. *In Ps. 88. conc. 2.*

O vera lux mentium, & puri cordis iucunda serenitas, sapientia æterna, affulge; corusca, & plenè dissipa reliquias tenebrarum mearum. Amoue à facie cordis mei, vmbram sæculi, spes inanes, & mendaces insanias. Opto quidem & nitor æterna sapere: sed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus volitat cor meum, & adhuc vanum est. Nisi tu teneas & figas illud, vt paululum stet, & paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis. Quod si tu mihi felix aspires, & efficaci vitalique fulgore tuo percutias intima cordis mei, discutientur fallaces vmbræ, & tenebræ meæ erunt sicut meridies. *L. 11. Conf. c. 11.* *Isa. 58. v. 10.*

Admitte me in scholam sapientiæ tuæ æterna Veritas; & fac me attentum, assiduum, docilem auditorem disciplinæ cælestis. Amoue à me errores sæculi; mentem erudi atque informa diuinis præceptionibus, & pectus iam tui auidum æternis rationibus imbue. Sileat mihi tumultus carnis, sileat strepitus anxiarum solicitudinum, sileant importunæ rerum, quæ me circunstant, imagines: vt in intima quadam atque secretâ solitudine, loquaris tu mihi ad aurem cordis, dictesque tranquillè audienti, opportuna effata, atque æternæ meæ saluti pernecessaria, instituta sapientiæ tuæ. Infunde illa intimis sensibus; scribe illa in tabulis cordis mei; vt ea assiduè recogitem, illa mediter, in his me exerceam, atque ex eorum præscriptione, puram ac tibi placentem vitam degam. *L. 9. Conf. c. 10.*

O omnium artifex Sapientia, crea & finge in visceribus meis cor nouum, cor mundum, cor ad disciplinam tuam docile; quod iam vanitatem non diligat, aut mendacium quærat, sed ductum motionemque tuam sequatur in omnibus. Aperi oculos cordis mei; vt semper & vbique te videam, tecum conuerser, & iam non oberrem in vestigijs tuis; sed in vniuersis diuinis operibus te recognoscam, *Sap. 7. v. 21.* *L. 2. de lib. arb. c. 16.*

cam, admiter, amem, & ab illis ad te facili motu, perueniam.

Sap.12.v.1. *O quam suauis est, Domine, spiritus tuus!* quàm amœnus splendor tuæ sapientiæ! quàm decora lux, & speciosa facies incommutabilis
Ibid. c. 8. v. 2. veritatis! Amator factus sum formæ illius; opto illam in sponsam perpetuam assumere. Iunge illam mihi fœdere stabili: vt, despreto fatuo rerum pereuntium amore, huic vni amori indulgeam, eâ me oblectem, cum eâ conuiuam, cum illâ suauiter atque tranquillè acquiescam.

Ad te suspirat peregrinatio mea, dies æterne, q. em sol facit qui nescit occasum; & inter tenebras vitæ mortalis, luce tua recreari desidero. Quousque teneor hoc cæco & tenebroso carcere, ne euolem ad te lumen meum, & claro diuini vultus tui splendore lætifi-
Psal. 119. v. 5. cer? Tædet me diuturni huius incolatus. Nimiùm habito cum habitantibus Cedar, densis scilicet vndique circumsessus tenebris. Consolare exilium meum. Aspira interdum, & interluce mihi
Eccli. 36. v. 1. quasi per rimas mortalitatis; vt in luce tuarum miserationum in-
L. 9. Conf. c.7. terim respirem, *quantum patet aura in domo fœneâ.*

O Pater luminum, fons vnice verę atque beatę vitę, ne despicias misellam hanc animam, in ista conualle caliginosâ, procul à vultu tuo peregrinantem: sed inter obscura atque perplexa æui mortalis, custodi, guberna, deduc, dirige spiritum meum; dum exolutus vinculis corporis, quę eum impediunt, ne te purum lumen, tuæque faciei serenissimum iubar aspiciat, euigilet in diem æternam, tandemque emendatus ac purus, liber ac felix, tuique similis, in diuinę faciei tuę desiderato conspectu respiret, absorptusque immenso gaudio, in summę lucis ac veritatis incomprehensibilis beatâ conquiescat immortalitate.

Concludere libet hasce suspirationes, eâdem clausulâ, quâ similem ad Deum (vt ipse appellat) *patrem veritatis, patrem sapientiæ, patrem veræ summæque vitæ, patrem beatitudinis, patrem boni & pulchri, patrem intelligibilis lucis,* pro obtinendâ sincerâ veri cognitione longiusculam precationem, initio primi suorum Soliloquiorum
Cap. 1. institutam, Magnus Augustinus in hęc ipsa verba concludit.

Tandem oro excellentissimam clementiam tuam, vt me penitus ad te conuertas, nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te, iubeasque me, dum hoc ipsum corpus ago & porto, purum, magnanimum, iustum prudentemque esse, perfectumque amatorem perceptoremque sapientiæ tuæ, & dignum habitatione, atque habitatorem, beatissimi regni tui. Amen.

FINIS.

IOANNES PAVLVS OLIVA

Societatis IESV Vicarius Generalis.

CUm Opus, cui titulus, TEMPLUM SAPIENTIÆ, à P. FRANCISCO LE ROY nostræ Societatis Sacerdote conscriptum; aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur; cuius rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Romæ 15. Februarij 1663.

JOAN. PAULUS OLIVA.

APPROBATIO.

HOc TEMPLUM SAPIENTIÆ, cuius mihi censura à Reuerendissimo Patre, Magistro S. P. A. mandata est, summâ cum voluptate & admiratione perlustraui. Nam sapiens Architectus, idemque Mystagogus, P. FRANCISCUS LE ROY, eius fundamenta posuit in montibus sanctis sacrarum Scripturarum; illudque rite extruxit ad amussim Orthodoxæ fidei, & ad normam Christianæ probitatis. Per eius adyta, aditus patet ad reconditam eruditionem, ad sublimiorem Philosophiam, & ad summi Boni possessionem. Debet igitur omnibus pandi, vt quicunque ipsum adierint, veræ Sapientiæ Mystæ efficiantur. Sic censeo ego infra-scriptus Sacrarum Congregationum Indicis ac Rituum Consultor, & Monachorum Reformatorum S. Bernardi Abbas Generalis. Romæ die 25. Aprilis 1663.

D. JOANNES BONA.

Imprimatur.

F. RAYMUNDUS CAPISUCCUS
Ord. Præd. Sacri Apostolici Palatij Magister.

APPROBATIO.

TEMPLUM hoc *Sapientiæ*, à R. P. *Francisco le Roy Societatis* JESU, non minùs firmiter quàm eleganter constructum, exornatum, consecratumque; opus verè regium, quantum quantumque est, ad veram Sapientiæ Regiam, regalesque, in intimo ipsius penetrali reconditas, opes immensas: ad virtutis inquam, & sanctitatis scholam, ac tandem ad supremæ tranquillitatis arcem, cælestem illam Jerusalem, securo passu Lectorem deducet. Nullus in illo ædificio offensionis lapis est pertimescendus; nulla immunditie, nullus contra fidem aut bonos mores impingendi locus; simulachrum nullum. Quin abditus hîc quilibet æternæ Sapientiæ amator, Diuinitati factus quodammodo in Arca propinquior, peropportunas cælestis disciplinæ præceptiones hauriet, quibus in summam supremi Numinis, atque veræ Sapientiæ admirationem, cultum ac dilectionem raptus, facilè cum fructu, quod videtur esse finis Regij Authoris, exclamabit: *Quàm distant æterna rationes temporalibus!* Ita censeo Tornaci hac 15. Decembris anno 1664.

ÆGID. PLESSEREA
Can. Tornacensis Libr. Censor.

PRIVILEGIUM.

EGo infra-scriptus Societatis JESU in Gallo-Belgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati concessum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; facultatem do NICOLAO DE RACHE Typographo Insulensi, vt librum cui titulus est, *TEMPLUM SAPIENTIÆ*, à R. Patre FRANCISCO LE ROY eiusdem Societatis compositum, & à R. Admodum Patre nostro Vicario Generali approbatum, ad sex annos proximos imprimere, & libere distrahere possit. Datum Insulis 12. Decembris 1664.

JOANNES BLAUWART.

ERRATA.

Pagina	29.	Linea	20.	*quidam.*	Lege	*quiddam.*
Pagina	30.	Linea	23.	*obdebatur.*	Lege	*abdebatur.*
Pagina	30.	Linea	24.	*absturo.*	Lege	*obscuro.*
Pagina	72.	Linea	21.	*nauem significet.*	Lege	*nauem (tametsi in diuerso casu) significet.*
Pagina	84.	Linea	18.	*Patrum.*	Lege	*Patrem.*